S.R. IMPERIJ PAX LICITA DEMONSTRATA

Juan Caramuel Lobkowitz

14 - 29 - 19

Assistentia Germaniae S. J.

S.R. Imperij PAX LICITA DEMONSTRATA.

ANNO M.DC.XLVIII.

Auctor huius libri est Joannes Caramuel à Lockowitz Ordinis Cisterciensis et Abbas Montis Serrati in Bohemia; Scatet erroribus et fallaciis. Scripsit adversus illum Auctor Seditij Theologici Apologeticum, qui propter tempora nimis exulcerata, et veritati vix capacia necdum est editus.

DISPUTATIO I.

THEOLOGICO-POLITICA. AN IMPERATOR, NON OBSTANTE RESERVATO ECCLESIASTICO, possit Protestantibus bona Ecclesiastica occupata relinquere usque ad futuram Religionis concordiam?

Naturalibus & Moralibus scientiis ultimam manum imponere erat animus, non tractare Politica. Exornabam quatuor librorum editionem, quam si hic Liber retardat, saltem precursor pollicetur. *Primus Tomus* Rationalem, Naturalem, & Divinam Philosophiam complectitur (cujus aliquæ Partes Lovanij editæ) ad Genium parcissimum climatam, novâ traditam methodo, & præter Thomam, Scotumque quod huc usq; ab aliis fuit præstitum, Empedoclem, Pythagoram, Paracelsum, Fiennum, Beverovicium, Campanellam, Sennertum, Cartesium, aliosque tum veteres tum recentiores, singulatim discutientem & examinantem. Singulatim quidem, quoniam communis opinionum pertractandarum via, dum universas miscet, doctrinæ consequentiam perturbat, & mentes obnubilat studiosorum. Volui Peripateticæ doctrinæ hostes audire, quia cum ipsa semper prodiga, & plerumque falsa à plurimis monstrata sit, audiri debent singuli, aut frustra de inveniendâ veritate confiditur. *Alter Tomus* Moralem Philosophiam complectitur, ante me, quem viderim, à nullo scripturam. In eo Dialectica moralis traditur; agitur de moralibus Appræhensionibus, Iudiciis, & Discursibus; de moralibus syllogismorum formis, & morali propositionum efficaciâ. In ipso tota Physica; libri omnes de Generatione & Corruptione; omnes de cœlo & Mundo; omnes de Animâ; exponuntur moraliter. Adduntur Medica, Politica, & Summaria moraliter examinata. Volumusq; sicut Scholastica Theologia Philosophiâ Naturali, sic Moralem mora-

I. Occasio scribendi. Libri Authoris statim evulgandi. Philosophia Naturalis.

Philosophia Moralis.

lisub-

li subcollari, & Naturali per analogiam exactissimam correspondere. *Tertius Tomus* complectitur Moralem Theologiam, ad paucissimas Regulas redactam; quam quis brevi tempore addiscere queat, hoc enim habet docendi concatenata methodus, ut si vel unum annulum bene teneas, debeas universos tenere. *Quartus* erat secunda Pars Theologiæ Regularis, addenda Primæ impressæ olim Brugis Anno 1640. & Francofurti recusæ anno 1646. in quâ præter scholion elimatum ad Regulam D. Benedicti, quod Lovanii dedimus, multi Tractatus Regulares ponuntur.

Theologia. Moralis.

Regularis Theologia altera Pars.

Dum igitur hos Libros exornarem, & corrigendis impallescerem, rogor, consulor de Iure publico; sed quamdium à Viris privatis, excusant Me curæ & occupationes domesticæ. At quia privatis Amicorum affectibus successerunt superiorum imperia, omnia debui intermittere, & rem publicam agere. Ne te pluribus onerem, omissis aliis, quæ me laxiùs obstringerent, litteras sequentes adjungo.

ANSELMUS CASIMIRUS DEI GRATIA ARCHIEPISCOPUS MOGUNTInus Princeps Elector.

II.

REverend. honorabilis, devote, Nobis syncerè dilecte. Transmissa ad Nos Calendis Ianuarii fœlicia renascentis anni auguria, & devota tua desideria, oblataq; Sacrosanctæ Missæ officia, grato comprimis animo excepimus, tibique vicissim præsentem hunc annum cum innumeris subsequentibus auspicatum fortunatumque à Deo ter optimo maximo animitùs comprecamur, quo redditâ tandem Germaniæ nostræ aurea pace Moguntino nostro suffraganeatui tantò securiùs & quietiùs inservire, fidelesque tuos pro re Catholicâ labores fœlici exitu impensos fuisse lætari valeas. Quæ de cætero in materia gravaminum Religionis & Restitutionis aut Cessionis Bonorum Ecclesiasticorum apud Generales Pacificationum Tractatus Monasterii & Osnabrugæ exortæ fuerint hactenùs difficultates, & quousque statuum Protestantium postulata hoc in puncto exorbitent, quin jam pridem aliunde

ſiunde perceperis, nullum apud Nos eſt dubium. Quia in re tam arduâ & momenti vel maximi volentes Conſcientiæ noſtræ meliori proſpicere modo, non potuimus intermittere, quin diverſa Theologorum noſtrorum Judicia & reſponſa, in quantum ſcilicet hoc rerum & temporum ſtatu amore pacis, prædictis Proteſtantibus per Catholicos ſalvâ & illæſâ conſcientiâ condeſcendi & conferri valeat, expoſceremus. Quorum duo cum in finem tibi per præſentes includi juſſimus, quo iis perlectis & tuam Nobis hâc in re ſententiam, datâ occaſione exponere, & tranſmittere, Noſque inſuper tantò maturius cum noſtris Monaſterii & Oſnabrugæ ſubſiſtentibus Legatis negotium illud ulteriùs deliberare poſſimus. Electorali te interim noſtrâ Gratiâ benignè perpetim & clementer proſequentes. Dabantur Francofurti 29. Januarii 1646.

EMINENTISSIMO PRINCIPI, ANſelmo Caſimiro, Archiepiſcopo Moguntino, S. R. I. Principi Electori, Archicancellario, &c. Domino ſuo clementiſſimo.

III. Summa conſultationis difficultas exponitur.

ARdua res eſt, Princeps Eminentiſſime, hoc tempore afflictiſſimo momenta pacis & belli judicare; ardua res, quid faciendum ſpeculativè conſulere; ardua in praxi conſultationem ſequi. Et quidem meâ ſententiâ, dum agitur de pacis articulis, ***beatus ille, qui procul negotiis.*** Menſis eſt, ex quo ſua Cæſarea Majeſtas præcipuos Academiæ & Urbis Theologos advocavit Poſſonium, hæc puncta, aut ſimilia eorumdem conſilio diſcuſſurus; & ego qui omni diſputationi etiam invocatus interſum, vocari timui, & Viennâ ſanctam crucem adii devotionis prætextu, tutius judicans latere ſub modio, quàm ad candelabri jura adſpirare intempeſtè, & immiſceri arcanis Rerumpublicarum conſiliis. Sed quid hodie facturus? Etiam abſentem & latentem conſulis, Princeps Eminentiſſime; & quia ſum ſubditus, imperio ego tuo non ſolùm honoror, ſed & teneor. Tuas igitur clementiſſimas litteras pridie Nonas Februarius venerabundus lego, pluries relego; illa duo Conſilia examino, & reperio (loquor ſincerè) in illis propoſitam Quæſtionem, non ſolùm non ſolvi,

Quæſtio proponitur.

optima Cæsareæ Authoritatis portio, Semetipsam exinanivit, & exulis formam accipiens, quæ præsidebat inter Humanos Deos, hodie inter Dei inimicos agit privatum & peregrinum Hominem. Patere, Princeps Optime, ut recensuerim miserias & labores tuos, tuo enim exemplo illorum compos, horum particeps, habeo loco solaminis Tuam generositatem contemplari, & vitam meam ad Tuam confidenter elimo. Vive & vale Princeps generosissime; & à Christi labio dependens, dic Imperio, [*Popule meus*, Christiane Orbis, Regio Telluris optima, sponte moribunda Germania, *quid feci tibi, aut in quo contristavi Te? responde Mihi.* Ancillabaris hæresi, serviebas infidelitati, vinciebaris fœdere malesuado, & quia conatus Te donare libertate Orthodoxâ, educere de terra Ægypti, de domo servitutis, *ideò parasti crucem salvatori Tuo?* Salvatori, inquam Tuo; nam si reliquos Principes consideres, reperies Saxonem & Palatinum Tuarum miseriarum originem, plerosque causas, paucos patronos, & inter ipsos me & Antecessores meos præcipuos. Luthero contra indulgentias prædicanti An. M.D.XVII. Leonis X. nomine Archiepiscopus Moguntinus restitit; & triennio pòst in electorali suâ Universitate damnavit novam hæresin, & libros adjudicavit igni; authorque fuit, ut jussu Caroli V. Imperatoris, studium Coloniense idem faceret. Et ego, ne viderer meis Majoribus minor, tuæ fœlicitati meam posthabui. Igitur, si pro Te omnia perdidi, & vitam gladio exposui, *Quid ultra debui vel potui facere & non feci?*] erit, Elector Serenissime, Lynce & Aquilâ oculatior, qui videat. Pono calamum; & facientibus quod in se est, gratiam divinam non negari supponens; & Te egisse supra vires respiciens; concludo gratiâ suâ Deum Tuam illustraturum mentem, ut viam æquitatis cognoscas; roboraturum voluntatem, ut illam Tibi semper similis teneas; daturum vires, ut hostes, Deo & Tibi communes, debelles. Scio enim cui credidisti, cui servivisti, cui vixisti, & certus sum, quia reposita est Tibi corona Iustitiæ, quam reddet Dominus, Iustus Iudex; nimirùm, in hac vitâ pedi Tuo ecclesiæ hostes supponens; & in alterâ Te lumine Divino investiens.

LECTURO.

IV.

AAssumptâ in cœlum virgine, ait Bernardus, *Dando & accipiendo felici amicitiarum fœdere copulantur, humana divinis, terrena cœlestibus, ima summis.* Et quidem, si liceat ejus verba in sensum nostræ tragœdiæ consentaneum traducere, videntur mihi Europæ Principes, cùm Orthodoxæ Religionis negotia cum juribus Regionis miscent, offerendo acceptando, dando recipiendo, infelici controversiarum turbine confundere & turbare humanis divina, terrenis cœlestia, imis summa. Quæstioni theologo-politicè respondeo, & existimo Resolutionem illam, quæ muros moribus præponit, esse politico-theologum, nec à Principibus debere audiri. Sub Deo justo non debet Politica Commoditas præscribere sanctæ Theologiæ; sed ancillari potiùs, & animo servire dimisso. Scribunt, scribo multi defendunt agros campos; Deum Ego, & Animas, pro quibus ipse mortuus est. Anne Mundi Redemptor, mortem obiit pro bonis Ecclesiasticis? Anne crucifixus, mortuus, & sepultus, descendit ad inferos, resurrexit à mortuis, & adscendit in cœlos, ut ditaret Ecclesias? Nego, nego. Verbo olim exspoliavit Ægyptios & ditavit Hebræos; & verbo posset nudare Hæreticos, investire Catholicos; at moriens pro animabus nos docuit, vel unam solam animam multis divitiis præponendam. Hæc clara veritas; & quidquid contra illam dici aut obiici solet, clara falsitas. Barbarus erat ille Rex Sodomus quem vicit Abraham, & tamen vi naturalis luminis impulsus divitias vitæ subditorum præposuit, dixitque [Genes. 14. 21.] *Da mihi animas, cætera tolle Tibi.* Prudentissimus fuit Benedictus, & Deo excidium Cassini, totius Ordinis Capitis, revelanti, ut salventur Animæ immemor murorum exorat. Congregatio Hispanica sic Historiam recenset;

Communis Politicorum error.

Divitiis omnibus majoris faciendam unam animam.

Quærenti causam, lachrymis cur ora rigaret,
Vir sanctus mœrens talia dicta dedit.
Quas posui sedes, evertet barbarus hostis,
Vixque mihi est animas eripuisse datum.
Vera Patrem, salvis Monachis, dixisse probarunt,
A Longobardis diruta claustra feris.

Viden-

Videntur igitur nolle terrena despicere & amare cœlestia, qui nescio quo præjudicio præventi illis ista postponunt. Anne & Ego, cùm illos laborare præjudicio assero, etiam præjudicio laboro? Non video. Et quidem, si mei oculi vittâ alicujus præjudicii obscurantur, nec tamen illã video, sum cœcus. A cõmoditate præjudicia nascũtur; nemo n. libenter miser est; & Ego quid habiturus sum, si Ecclesiastica bona non cedantur Hæreticis? Triginta aut plura florenorum millia. Si cedantur? miserias paupertatem. Ergo si adhuc cessionem urgeo, certus sum me non duci propriæ utilitatis impulsu, sed publici boni desiderio. Hæc sub initium adnotasse sufficiat; ad rem & controversiam venio.

Tres Ego reperio Theologorum sententias, quas proderit examinare. Prima absolutè asserit; negat absolutè posterior: secunda interest, & mediam iniens viam, parti asserenti rationalem probabilitatem negat, concedit authenticam pendentem à Doctorum numero.

Triplex in hac controversiâ sententia.

PRIMA SENTENTIA.

V.

Vera proponitur.

UT falsis possim respondere opinionibus, à verâ incipio; & quia video multa Theologica ignorari à Politicis, multa Politica à Theologis, non præcipito calamum, sed quæ attentè sunt legenda & ponderanda, paulatim & attentè præscribo. Sit igitur

Et esse antiqua ostenditur.

CONCLUSIO I. *Hæc Quæstio non est invisa & nova, sed sæpe à Theologis ante centum annos visa, disputata, decisa.* Unde, si verum sit, Decisiones Imperialis Cameræ, ut potè totum Imperium repræsentantes instar legum esse, [quod asserit Georgius Ludovicus *in Pacis Religionis Analysi*, §. 6. *mihi pag* 559. Gravæus *in procemio. concl.* 2. & plures alij, quos allegat] nostra Opinio, quæ docet posse salvâ conscientiâ cedi Protestantibus bona Ecclesiastica, si id ad Catholicæ Religionis securitatem & pacem obtinendam necessarium sit, non solùm tuta & certa, sed Regula Consiliorum est: ipsa enim non solùm est Cameræ Imperialis, sed totius sancti Imperii Decisio, habita primum Passavii Anno M.D.LII. & demum in Comitiis Augustanis firmata die XXV. Septembris, Anno. M.D.LV. & *Pax Religionis* inscripta. Legenda igitur est Transactio Passaviensis, & Religionis Pax; & quia non quæri-

Passaviensis transactio Augustana Religionis pax.

tur, An possit libertas conscientiæ concedi? sed, An bona Ecclesiastica cedi (cùm tamen majoris fieri deberet illud prius, multò minoris hoc posterius) Articulum XL. illius Diplomatis, quod *Religionis Pacem* dicere voluerunt, propono.

Vnd nach dem ein Vergleichung der Religion vnd Glaubens-Sachen durch ziemliche vnd gebürliche Weege gesucht werden solle/ vnd aber ohne beständigen Frieden zu Christlicher/freundlicher Vergleichung der Religion nicht wol zu kommen/ so haben wir / auch der Churfürsten Räth / an statt der Churfürsten erscheinete Fürsten/ Stände/vnd der Abwesenden Bottschafften vnd Gesandten/ Geist- vnd Weltliche diesen Friedstand / von geliebts Friedenswegen das hochschädlich Mißvertrawen im Reich auffzuheben / vnd diese löbliche Nation vor entlichen vorstehenden Vndergang zuverhüten/vnd damit man desto ehe zu Christlicher/freundlicher/ vnd entlicher Vergleichung der spaltigen Religion kommen möge / bewilligt solchen Frieden in allen abgeschriebnen Artickeln / biß zu Christlicher/ freundlicher/vnd endlicher Vergleichung der Religion vñ Glaubens Sachen/steht fest/vnd vnverbrüchlich zu halten/ vnd denselben treulich nach zu kommen/wo dann solche Vergleichung durch die Wege deß General Concilij National Versamblung / Colloquien / oder Reichshandlungen nicht erfolgen wurde/ soll als dann nichts desto weniger dieser Friedstandt in allen oberzehlten Puncten vnnd Artickeln bey Kräfften/biß zu entlicher Vergleichung der Religion vnd Glaubenssachen/stehen zu bleiben / vnnd soll also hiemit obberührter gestalt/vñ sonst in all andere Weeg/ein beständiger, beharlicher/vnbedingter/für vnd für ewigwehrender Frieden auffgericht vnd beschlossen seyn vnd bleiben. Hoc est.

Et quoniam compositio in rebus Religionis ac Fidei per apta & decentia media quæri debet; at verò sine constante pace ad Christianam & amicam Religionis compositionem facile deveniri nequit; Ideò Nos, & Electorum loco, ipsorum Consiliarii, Principes, Status, & absentium Legati, ac Consiliarii, Ecclesiastici & Sæculares, concordiæ amore, ut perniciosæ animorum diffensiones tollantur, atque laudata hæc Natio ab extremo imminente excidio præservetur, & ut tantò citiùs ad Christianam, amicam ac absolutam compositionem dissidentis Religionis deveniatur, consensimus, hanc Pacem in omnibus suprà scriptis articulis, usque ad Christianam, amicam & absolutam compositionem Religionis ac Fidei,

ac Fidei, Nos constanter, firmiter & inviolabiliter servaturos, ac fideliter impleturos. Quòd si verò talis compositio per viam Concilii Generalis aut Nationalis, colloquii aut tractationis in Comitiis non sequatur, tum nihilominus Pax ista in omnibus suprà dictis punctis & articulis, vigorem suum, usque ad finalem Religionis ac Fidei compositionem, obtineat. Atque ita modo jam dicto, & undequaque constans, durabilis, inconditionata, perpetua Pax constituta & decreta sit, & maneat.

Argumentum simili maiorum nostrorum exemplo.

His lectis periodis sic discurro. In comitiis Augustanis multa bona Ecclesiastica Heterodoxis permittuntur usq; ad Christianā amicā & absolutam compositionem Religionis & Fidei, adeoque moraliter loquendo in perpetuum: In perpetuum inquam quantum ex hoc capite; scio enim humana perpetua ex aliis capitibus non esse. Ergo si nunc Germanorum Imperium & in ipso Orthodoxa Religio ad similes angustias & miserias reducitur, poterit similiter necessitati lege carenti cedere, & similem concordiam inire. At illud nunc in miserabiliori statu forrè est: ergo si subsistat hypothesis, pariformiter poterit cum hostibus Ecclesiæ transigere.

Omnia sunt certa, si demonstretur illa Minor. Et Ego si sit unus, qui neget aut ignoret, aliam sub illud tempus fuisse, & aliam omnino esse hodie Germani Imperii faciem, & nolit Historias consulere, me roget, & utramque clarissimè repræsentabo.

Anne Transactio Passaviensis, & Pax Religionis iniqua?

Sed quia præsto esse poterit, qui audeat dicere Passaviensem transactionem injustam, Augustanam Pacem Religionis iniquam, Principes sub illud tempus fuisse conscientiæ incurios, & mortiferè in illo contractu peccasse; non arguam ejus temeritatem, nimis enim clara & nota argumento non indigent; sed super sedendo à temeritatis censurâ, veram sententiam rationibus positivis firmabo. Sit igitur

VI.

Æquivocum esse Ecclesia nomen.

Conclusio II. *Ecclesia, nomen est Religionis, Status, Locique.* Hæc debuit necessariò poni, contra multos, qui ubi legunt aut audiunt omnia postponenda esse Ecclesiæ, intelligunt omnia postponenda esse muris. Porrò Ecclesia, pro Religione sumpta, propriè Catholicos universos complectitur, & comparatur ad Hæreticos, ut corpus sanum ad superfluos humores. Pro statu sumpta, Religiosos & sæculares clericos comprehendit, & ad illam hoc sensu acceptam non pertinent sæculares laici. Pro loco sumpta, est multiplex, & templa ipsa manufacta significat, in quibus Deum oramus.

Non obstantibus iis tribus acceptionibus Ecclesia simpliciter posita Religionem significat, non statum, non muros. Suarius *Operis posthumi de tribus virtutibus tract.* 1. *de fide; disp.* 5. *sect.* 6. num. 1. sic ait. *Ecclesiæ nomen varias habet significationes; sed quoad præsens spectat, significat congregationem fidelium ..... qui in baptismo fidem suam professi sunt, & sub uno sacrificio, capite, & sacramentis à Christo institutis Deum colit, & ab aliis populis discernitur.* Ut mirum sit tam materialiter hoc nomen hodie à multis Theologis usurpari, ut cùm ab Imperatore Ecclesiam defendendam audiam, non jam Religionem, sed muros & fundos intelligant.

Quibus gradibus Religio, Clerus & Bona Ecclesiastica componi debeant inter se.

Conclusio III. *Religio debet præponi Ecclesiastico Statui, iste Templis.* Rem explico & ostendo. Si Respublica ad tantam adigatur miseriam, ut vel debeat carere Fide Catholicâ vel Ecclesiasticis; malo illam videre Catholicam sine Ecclesiasticis, quàm cum Ecclesiasticorum copiâ Hæreticam. Maïeriam prope Sylvam-ducis cum Norinbergensi circulo compono. Illa innumeras animas Catholicas habet, nec tamen vel unum sacerdotem publicè; hic multos sacerdotes & Religiosos publicè, & innumeras animas hæreticas. Moriuntur sine confessione illi, quia Ecclesiasticis carent, sed non semper; multi enim sancti & pii sacerdotes capitis periculo expositi moribundis adsistunt, & sanos instruunt in contritionis actu eliciendo, si carere confessario contingat. At moriuntur sine confessione isti, quia sacramenta contemnunt, eo severiùs judicandi, quo faciliùs potuerint à peccatis absolvi. Eâdem doctrinæ consequentiâ progredior, teneoque Homines Ecclesiasticos præponendos Ecclesiasticis muris, fundisve. Unde si contingat Rempublicam alteris carituram, malo videre sæculares Catholicos extra templa à Sacerdotibus juvari & instrui, quàm in sumptuosissimis Ecclesiis Confessario & Prædicatore carentes. Hæc tacta sint, ut videamus, quibus debeamus gradibus diversissimas res, quas nomen *Ecclesia* significat, qualificare.

VII.
Bonorum in Ecclesiasticâ diversitas.

Conclusio IV. *Distinguenda sunt bona Ecclesiastica à bonis Ecclesiasticorum.* Hujus Conclusionis notitia maximè necessaria est; video enim multos, qui volunt audire Theologi, dominium supremum & directum confundere, & omnia Ecclesiasticorum bona esse & Ecclesiastica putare. Veritas est clarissima, tametsi multis minus nota. Ambrosius

brosius apud Baronium Anno 387. *Si tributum petit* (Imperator) *non negamus: agri Ecclesiæ solvunt tributum*, &c. ut scias Ambrosium habuisse Ecclesias Agrosque; illas censuisse esse bona Ecclesiastica, istos bona Ecclesiasticorum. Sed hodie Cæsarum & Regum favore multi agri bonis verè Ecclesiasticis adscripti sunt. Legatur Commentarii mei in Regulam S. Benedicti disputatio LVII. in quâ num. 821. Quid, & quotuplex sit dominium expono; Num. 822. Quid Manûs mortuæ nomine intelligi soleat, expendo: Num. 823. Amortizationis doctrinam utilissimam trado. Num. 824. non posse sine licentiâ supremi Principis bona viva mortuis incorporari ostendo. Num. 825. de bonis Ecclesiasticis tracto: & illa non posse fieri sæcularia sine partium concordia & Pontificis amortizatione num. 826. contendo. De rebus sacris & sacratis num. 827. disputo; & in singulis paragraphis theses multas necessarias expendo. Nolo illa huc reponere & exscribere, cùm liber ille obvius sit, & jam secundò impressus: maximè cùm manifestum sit inter multa Ecclesiasticorum bona, satis multa verè Ecclesiastica à Lutheranis possideri; adeoque de horum cessione aut restitutione tractabitur.

VIII. *Origo bonorum Ecclesiasticorum.*

CONCLUSIO V. *Omnia bona, quæ hodie sunt non solùm Ecclesiasticorum, sed verè & rigorosè Ecclesiastica, sæcularia fuerunt antequam in manum mortuam Ecclesiasticorum devenerint.* Est clarissima, nec indiget aliquâ probatione. Infero. Ergo Ecclesiastici habent in bonis Ecclesiasticis tantum jus, quantum sæculares transmiserunt, quantum indulserunt Principes & Imperator. At teste D. Paulo, nec illi nec isti habent authoritatem ad destructionem, sed ad ædificationem, ergo nullam voluerunt, imò nec potuerunt donationem validam facere, quæ Ecclesiæ aut Imperii destructionem inferret. Quoniam sicut homo privatus, nec potest validè dare panem quo extremè indiget; nec potest quo non indiget, se obligando ad nõ resumendum donatario à divite etiam si extremè indigeat; sic Respublica, nec potest dare Ecclesiasticis bona, quibus extremè indiget; nec dando illa, quib. non indiget, se potest validè obligare ad non resumendum illa, etiam si extremam indigentiam incurrat, & illi non egeant. Ergo si verum sit (quod non puto) Imperium extremè indigere illis bonis, quæ olim dedit Ecclesiæ, cùm illa donatio necessariò conditionata fuerit, nec possit esse valida si absolutè & non conditionatè exponatur, manet illa

Illatio valdè consideranda.

eadem bona conditionatè data positâ conditione ad Imperium devolvi, posseque non solùm Hæreticis cedi aut permitti, sed etiam directè & positivè dari.

Noto obiter ex hac Conclusione multas suboriri sequelas, quarum certitudinem securitatemque nosse poterit quisquis Iurisconsultus, si privatam omnem authoritatem & potestatem subiici publicę, omnemq; privatā donationem in quantū Ecclesiæ aut Imperio est perniciosa, in tantum invalidam esse supponat. At quia publica privatis non subiicimus, nolumus quæstionis illius, quæ rogat, An hoc vel illud Ecclesiæ, aut Imperio pernitiosum sit, decisionem pendere à privato judicio; quoniam homines etiam doctissimi, quamdiu non tractant publica, carent multis notitiis, defectu quarum non possunt definitivè pronuntiare.

IX. *De bonis corruptis, perditis, derelictis, doctrina accuratè legenda. Vide num. 1163.*

CONCLUSIO VI. *Multa bona, quæ fuerunt olim Ecclesiastica, tametsi hodie realiter & physicè in manibus Infidelium existent, jam moraliter extincta sunt, nec ampliùs ad Ecclesiam pertinent.* Duos esse modos notissimos dominii perdendi suppono. Perditur enim necessariò, cùm res destruitur; & voluntariò, cùm deseritur. Equus mortuus prioris Domini non est, quia in rerum naturâ non est; carent enim domino non existentia; & exubias solum, fitque remanens, priori possessori relinquunt. Equus contemptus & derelictus non est prioris domini; nemo enim dominatur invitus. Hac doctrinâ præmissâ meam Conclusionem probaturus pono ob oculos Constantinopolin, Amstelodamum, Londinum, aut aliam Metropolin similem; & in ipsâ Templa & Monasteria plurima ab Infidelibus invasa & possessa. Suntne ista Ecclesiæ? Ergo si Ecclesiæ sunt, nondum deposita est recuperationis spes, aut possibilitas: quoniam stante recuperationis impossibilitate, bona moraliter periisse dicuntur; & cessante spe, creduntur omninò derelicta; cùm tamen certum sit vestem v. g. si pereat, aut relinquatur ad priorem dominum non pertinere. Porrò si recuperandi bona Ecclesiastica, quæ Amstelodami sunt, adhuc viget spes, possibilis erit ista recuperatio; & si possibilis, modus dabitur quo humanitùs possit haberi; quia de miraculis non agimus, cùm rationes quærimus & discutimus. Et quia alius modus non suppetit, Regem Catholicum tandem victorem Hollandiam totam occupasse fingamus. Anne tunc bona illa redibunt

Aliqua bona irrecuperabilia sunt.

dibunt necessariò ad Ecclesiam? Quid si Hispaniarum Rex indemnis reddi velit, & senos se milliones annuos in bello expendisse asserat, & sexaginta aut plurium annorum computum, ad summam immensam excrescentem producat? Quid si illa bona fuisse ab Ecclesiâ derelicta contendat, & obiiciat illa aliàs non solùm auro & milite Hispano, sed etiam Romano, ab Ecclesiâ conscripto & nutrito, recuperari debuisse? Quod si dicas Catholicum Regem debere Hispaniæ impensis recuperare Hollandiã; dices aliquid, quod egebit examine, nec tamen difficultatem fugies, quoniam idem quod de Amstelodamo diximus, de Londino, quod Rex Catholicus recuperare non tenetur, dicere potuissemus. Sanè utrumque hodie Palatinatum Catholici Principes possident; Hispanus, Bavarus; & in ipsis plurima monasteria, & tractus Ecclesiasticos; nec putant sequiore hujuscemodi titulo possidere, quam Matritum, Monachiumve. Hungariam devastatam à Turcis paulatim Cæsares recuperarunt. Anne bona Ecclesiastica, & Monastica præcipuè, ad Ecclesiam redierunt? Unum è multis enumerabo S. Martini Monasterium, Archiabbatiali dignitate donatum, erectum à Sancto Rege Stephano, dotibus & prærogativis maximis condecoratum; deletum posteà à fidei hostibus; restitutum tandem à Ferdinando II. & collatum D. Matthiæ Palfio, apud S. Crucem professo, ante paucos menses ad meliorem vitam translato, cujus originalem Denominationem legi, notavique Imperatorem asserere, *se non velle videri ex jure aut debito hoc Monasterium restituisse, sed quasi de novo fundasse, novis legibus, novis privilegiis, sine animo præjudicandi aliorum bonorum Possessoribus Ecclesiasticis aut secularibus.* Et ut propriis oculis vidi, Monasterium antiqua privilegia producit, nec curantur: dicitur enim antiquum illud Monasterium periisse, novumque hoc erectum novâ Cæsaris liberalitate.

Bona, quæ fuerant Ecclesiastica in Palatinatu Hispanus & Bavarus tutâ conscientiâ possident.

S. Martini monasterium in Hungariâ verè extinctum, & iterum fundatum.

Consultò in Conclusione non *Omnia*, sed *Multa bona*, dixi, scio enim multa ab Ecclesiâ Romanâ, multa ab Ordinibus Monasticis diligenter curari, nec derelicta posse dici, quod probant numerosi exercitus, ab Ecclesiâ, prout tempora tulerunt, conscripti, & in diversas regiones amandati; summa auri & argenti vis à Religionibus antiquis exposita pro recuperatione bono-

bonorum. Quod si injuria temporum impediat, ut hodie aliqua recuperentur, non censebuntur derelicta, si credantur aptiore tempore recuperanda.

Ex hac doctrinâ multa diduci poterunt, ut sciatur, Anne veterum Ordinum Monasteria, quæ mortuis omnibus Religiosis in manus Hæreticorum devenerunt, aut etiam Catholicorum expeditionibus recuperantur, extincta debeant nominari? Quod quidem tetigisse sufficiat. Nam, ut verbo multa comprehendam, PP. Forrerius, Crucius aliique dum nimium volunt extollere dominium Apostolicæ sedis, videntur nimium detrahere Cæsari, & argumentis uti, quibus & ipsi obnoxii sunt. Nam rationes, quæ probant bona veterum Monasteriorum deperiisse Ordini Benedictino, v. g. ipsæ etiam probant eadem bona Ecclesiæ Apostolicæ sedi deperiisse; & quæ contrà, illa ad sedem Apostolicam, etiam eædem ad Benedictinum Ordinem illa bona spectare persuadent. Res est, quæ altiùs examinari debeat; in quâ Scioppius & Haye parum Pontifici, parum deferunt Cæsari; alii nihil huic, nimium illi; è contrà alii: cùm manifestum sit totam controversiam affectibus meris oblusam, debere necessariò rescribi, & ad Conclusionem hanc sextam retractari.

X.
Universalis Resolutio.

Conclusio VII. *Bona omnia, quæ nunquam fuerunt Ecclesiastica, tametsi multis annis fuerint Ecclesiasticorum, juxta doctrinam Conclusionis IV. Item bona Ecclesiastica, quæ à sæcularibus Principibus data sunt conditionatè Ecclesiæ, juxta doctrinam Conclusionis V. Imò etiam omnia bona verè Ecclesiastica, si jam sint derelicta ab Ecclesiâ, juxta doctrinam Conclusionis VI. cùm non sint Ecclesiæ impræsentiarùm, poterunt, si necessitas postulet, à Cæsare non solùm permissivè & indirectè, sed verùs positivè & directè Heterodoxis dari.* Patet; quia hujusmodi bona, sint Ecclesiasticorum aut non sint, supponuntur non esse Ecclesiæ; hoc est, jure dominii directæ proprietatis ad Ecclesiasticas privatas personas pertinuisse, aut etiam fortè de facto pertinere: at supremæ juridictionis titulo (*Sennorio de soberania dicimus.*) non ad Pontificem, sed aut ad Cæsarem aut alium Laicum Principem spectare.

XI.
De consensu Pontificis.

Conclusio VIII. *Bona, quæ etiam nunc sunt verè Ecclesiastica, & oc-*

& occupantur ab Hæreticis, non possunt directè dari Hæreticis ab Imperatore, Pontifice inconsulto aut invito. At potest Cæsar, permissivè se habere; & si aliter non potest Ecclesia fidem defendere, quàm ab Ecclesiarum materialium & earundem bonorum defensione abstinendo, potest Regionem istam vel illam non defendere, ut in pluribus Provinciis aut Regionibus Catholicam religionem defendat.

De consensu Pontificis.

Hæc Conclusio nascitur ex tritâ permissionis doctrinâ; ratio enim quæ non dictat, ut faciamus mala, ut eveniant bona; præcipit, ut minùs mala permittamus, ne pejora succedant. Si invadaris à fure, debeasque necessariò (nota hoc adverbium) aut perdere pallium aut occidi, non teneris pallium donare; teneris tradere, ne mortem evidentem incurras. Non teneris inquam pallium donare, hoc est, dominio cedere; id enim, nec fur petit nec curat; at quia aut moriendum est aut pallium relinquendum, esses avarus, si illud vitæ præponeres, & malles vitâ, quàm pallio carere.

Ingenium Permissionis exponitur.

Aliud est pallium auferri permittere, aliud pallium donare.

XII.

Praxis legum interpres.

Hæc doctrina praxi sanctissimorum Principum & Rerumpublicarum fundatur; multa enim minus mala ubique permittuntur, ne pejora & graviora peccata committantur. Et quia cum bonorum Ecclesiasticorum propugnatoribus disserimus, qui plerumque Romæ habitant, aureâ pace fruuntur, & belli miserias non sentiunt, Romam ipsam proponemus ob oculos, & juxta Summorum Pontificum praxim discurremus.

XIII.

Iudæi fide carent, item spe, charitate, & gratiâ.

Sunt perjuri & blasphemi;

Primo Iudæi sunt infideles; & quia fide, substantiâ & fundamento rerum non apparentium carent, carent etiam spe, gratiâ, charitate, prærogativis reliquis supernaturalibus, quæ à fide orthodoxâ dependent. Ecce ipsi summum Decalogi præceptum violant, nec Deum super omnia, hoc est, supernaturaliter amant. Nomen ipsi Dei in vanum adsumunt, cùm Evangelia & totam Christi historiam vocant fabulas; cùm Iesum Christum vel ortum negant; aut è meretriculâ aut fortè adulterâ natum affirmant: Cùm ingeminant, illum conceptum ex Spiritusancto, quo sensu Pallas è Iovis capite, Bacchus è femore, Ænæas à Venere, Romulus & Remus à Marte. Festa ipsi non sanctificant sed profanant; nostra, sua; illa servilibus operibus, hæc sacrilego cultu. Paternum sanguinem incestuosis nonnunquam matrimoniis dedecorāt. Plurimos in circumcisione puellos (testor quod vidi) impunè occidunt; Christianum sitiunt sanguinem, & sæpe profi-

Festa violant;

non honorant parentes;

Sunt homicidæ;

tentur rem medicam, ut cautiùs occidere possint; quod posset exemplis demonstrari. [Vide interim in Raderi Bavariâ sanctâ infantes nostros plurimos Iudæorum invidiâ & superstitione trucidatos.] Multa invalida matrimonia cõtrahunt, multa valida dirimunt: nullum enim est matrimonium cum animo habendi plures uxores, aut dandi libellum repudii. Basilius Pontius *de matrim. libr. 3. cap. 12. numer. 5. & 7.* Usuris student, & quà possunt Christianos universos spoliant. Sunt igitur pejores Hæreticis, Blasphemis, sacrilegis, Inobedientibus, Homicidis, Fornicariis, bonorum Ecclesiasticorum Raptoribus, Falsariisque; & tamen Romæ à Summo Pontifice, & alibi etiam ab aliis Principibus Christianis permissi. Ergo datur Theologia, vi cujus omnia ista sacrilegia & infanda crimina permitti possint. At evidens est leviores esse rationes, quæ Iudæos permittendos, quàm quæ hodie bona Ecclesiastica Hæreticis permittenda suadent. Ergo siquidem Iudæi Romæ & alibi tutâ conscientiâ permittuntur, tutiore poterunt Hæreticis bona permitti. Minorem evidentem dixi, nunc demonstro. Si Romanus Pontifex aut Cæsar Judæos urbe & territorio excluderet, quid timeret? Inermes, imbelles, pusillanimes sunt; Ecclesiam invertere gladio non possent. Timeret fortè ne careret tributis; & si hoc fortè imprudenter, ipsi enim à Christianis habent quidquid Reipublicæ contribuunt. At nos ni Suecis bona petita concedamus, non unam solamque tributorum jacturam, sed Catholicæ Religionis subversionem timemus. Armati sunt, fortes sunt, victores sunt. Victricia Sueci arma, & sub ipsis Lutheri hæresin; victricia Galli arma, & sub ipsis Calvini religionem inferunt. Scribo, quæ vidi, quæ patior, quæ scio. Amotis Pastoribus, fugatis sacerdotibus, eliminatis Monasteriorum Curatoribus Heterodoxi reponuntur; ut Gallum debeat celebrare posteritas, quòd cum Christianissimi nomine promotionem Calvinianæ hæreseos mirabili nexu composuerit. Mira dicturus sum; testor tamen meum Eminentissimum Principem, qui non permittet in re tanti momenti parci veracitati. Ubi Calvini nomen nunquam auditum fuerat, ubi Religio Catholica semper illibata permanserat, ibi, ibi, Prædicantes hæretici in Archiepiscopatu Moguntino sunt positi. Clamat inermis Electoris pietas; sed inter armorum strepitum (hispanè dicam, *no se oyen Cánones, sino Cannónes*) vio-

Fornicarij & adulteri; fures & usurarij. Sunt pessimi, & tamen permissi. Mala igitur permitti possunt.

Arguitur à fortiori.

Gallorum facinora.

Cannónes Hisp.

violentiæ & non rationi ceditur. Scribuntur querelæ; mittuntur Parisios, Monasterium; Legati summi Pontificis interponuntur utrobique; dicimur habere rationem, sed nihil mutatur in re. Porrò ratio militat pro nobis, sed quia non illa quæ pro Hæreticis, cogimur cedere violentiæ & tempori, & rationem theologicam Richelianæ submittere. Illam noscitis; hanc describo. Nam secreta illa belli ratio, quæ justitiam armorum Gallicorum substruit, paucis ante Richelii obitum mensibus Mundo innotuit, fusa enim nova tormenta fuerunt, & singulis *Ratio ultima Regum* inscriptum. Ergo in hoc Gallo-Suecico bello non jam pro ratione voluntas, sed ponitur pro ratione violentia. Hanc ipsam in laudem Cardinalis extollit Gramondus Hist. libr. 2. Anno 1617. pag. 163. dicens. *Ast non hic meta laborum viro insectarios nato: Videbimus annis sequentibus consilio altiore confectum opus, quo tempore succedent argumentis tormenta bellica, queis velut ratione ultimâ uterentur extirpandæ sectæ.* Imò augendæ, & fidei Catholicæ è totâ Germaniâ extirpandæ:

Richeliana Theologia.

XIV. *Hæretici permittuntur: ergo illis possunt bona Ecclesiæ permitti.*

Secundò ab Hæreticis argumentum desumo, & suppono tanquam rem certam & quæ à nullo Christiano negari possit, majoris faciendam unam animam millenis muris fundisque. Annon in Austriâ & aliis fidelibus Provinciis hi permissi? Ergo si contingat dari rationes æquè fortes, permitti etiam alibi poterunt. Et si æquè fortes rationes cessionem bonorum Ecclesiasticorum urgeant, cedi poterunt.

XV. *Homicidia necessaria sunt licita.*

Fides Catholica à bonis Ecclesiasticis invaditur.

Potest vita defendi etiam cũ

Tertiò Homicidium necessariò commissum cum moderamine inculpatæ tutelæ propono. Ne occidam mihi præcipitur à Deo; & tamen cùm invador, possum permittere quòd alter in meum gladium irruat, & pereat; nam cùm alter desistere à violentiâ possit, ejus mors tametsi mihi necessaria & involuntaria, ipsi libera est; Atqui hodie bonorum Ecclesiasticorum disputata possessio Europæ pacem, & Catholicam religionem invadit; pereant igitur ipsa, ne pereamus. Nec juvat dicere Ecclesiasticos sanctè procedere cùm illa mordicùs propugnare conantur, nam etiam potest deleri res inanimata pretiosissima, & sanctissimus & innocentissimus homo, si invadat. Probo illud prius, & Acum illam Ægyptiam, centum &

Jacturâ cujuscumque pretio Sacri, etiam aliena.

ſeptem pedibus longam, duodecim latam, libris 956148. gravem, quæ multis ſæculis jacuerat Romæ, & tandem à Sixto V. erecta eſt, in memoriam reduco. Anne pretioſiorem lapidem Europa habet? Non credo. Aſſero tamen, hominem, qui, dum Acus erigebatur, à rudente raptus non poſſet aliter vitam conſervare, quam chordam excidendo, potuiſſe illam tutâ conſcientiâ excidere, & permittere, illud naturæ miraculum corruere, & in fruſta concidi. Idem dicam de illo, qui dilapſus ex machinâ à Clemente VIII. prudentiſſimo viro fuit abſolutus, tametſi nullo ſigno confeſſionem ſacramentalem poſtulavit. Nam cum vitæ ſuæ periculum notorium percepit, potuit rudentem excidere, & optimè cælati lapidis jacturam pretiumque non curare. Et ad beſtias deveniens, pono ob oculos Rhinocerotem, aut ſi latina magis arrideant nomina, Unicornem, cui *Abada* Hiſpanè dictæ Madritique annis multis ſuperſtiti admirationem tota Europa pependit. An beſtia illâ pretioſior, peregriniorve? Nulla. Et tamen tametſi irrationalis, ſi hominem aggrederetur, privatæ defenſionis jure occidi poſſet. Et ad homines veniens, ſi te aliquis delirus invadat, & debeas occidere aut occidi; non teneris perire, ſed potes illum innocentiſſimum invaſorem perdere. Nemo enim innocentior infante in utero materno incluſo, & tamen ſi matri præſentiſſimum mortis periculum inferat, ut invaſor poteſt ſententiâ Theologorum tractari. Ergo diſcurro ſic. Eccleſia perit in Germaniâ; Hæreſis, quæ ſerpebat, procurrit; omnia vergunt in pejus; Galli, quorum inter erat Catholicam Religionem tueri, fidem orthodoxam invadunt, & Calvinianam promovent; Sueci Lutheranam propagant; nec ponitur finis huic tragœdiæ. Si Eccleſiaſtica aliquot bona ſunt tot ſacrilegiorum & miſeriarum cauſa, ab inſenſibilibus rebus invadimur, & poſſumus etiam illis deletis aut perditis fidem Catholicam, animarum Salutem, & animorum tranquillitatem defenſare. Quod ſi viri mali obſiſtant, teri poſſunt; quod ſi boni, etiam poſſunt; non enim tenemur perire, ſed cum moderamine inculpatæ tutelæ poſſumus cōtra quemq; innocentē, qui ſit publicæ perditionis cauſa, indirectè & præter intentionē procedere.

Etiam cum morte cujuſcumque animantis pretioſi.

Etiam cum innocentis morte.

Reſolutio.

XVI.

Lupanaria permiſſa.

Quartò lupanaria produco, quorum ſegetem uberrimam tolerabant Roma, Vienna, Madritum, Pariſii, & aliæ Catholiciſſimæ Civitates ſanè fornicationem furto graviorem certum eſt, & ſi ab Eccle-

ſiaſti-

ſiaſtico commiſſa, eſſe ſæpe ſacrilegam, & contra votum implicitũ aut expreſſum nemo mortalis negat. Ergo, ſiquidem hæc tolerantur, & tamen ſummus Pontifex (idẽ de Rege Hiſpaniæ & Galliæ dico) nullo ſcrupulo angitur; poterit Imperator, ſi habeat æquè graves rationes, tolerare, furta ab Heterodoxis commiſſa, nec reſtitutionem bonorũ Eccleſiaſticorũ urgere. Sed cur tot meretrices Romæ? Scaliger,

ROMA, quòd inverſo delectaretur amore,
Duxit ab inverſo nomine, nomen AMOR.

De Roma antiquiſſimo nomine.

Hac eâdem de causâ in aliis locis publica lupanaria permiſſa; quę perennarent hodie, ni oſtenſum, in eiſdem contra naturalia etiam crimina perpetrari, vileſq; pellices pretio corrumpi & utriq; miniſterio ſervire. Fornicationes ergo, tametſi committantur illicitè, licitè permittuntur, ne majora peccata committantur. Majori igitur ſecuritate cõſcientiæ permitti furta poterunt, ne hæreſis ſuum venenum promoveat; quoniam furtum fornicatione minus peccatum eſt, & hæreſis nefandis criminibus majus.

Reſolutio.

Hæc omnia nimis clara ſunt, nec poſſunt in controverſiam duci, & omnia & ſinguli noſtram octavam Concluſionem confirmant.

XVII.

At caſus noſter eſt omnino contrarius.

Conclusio IX. *Si nulla urgeat neceſſitas, ſed Imperium & Eccleſia ſubminiſtrent ſufficientem militem & pecuniam, ut bona Eccleſiaſtica recuperentur, non poteſt Imperator hac bona Lutheranis relinquere.* Viderit igitur Imperator, viderint Electores, An neceſſitas & Religionis ſubvertendæ periculum ſit verum, fictumve? An Imperium ſit ſuſtinendo majores & diuturniores exactiones? An Summus Pontifex ſecundum æquitatem & bonorum Eccleſiaſticorum recuperandorum proportionem militem & pecuniam ex Eccleſiæ patrimonio ſubmiſerit? An affulgeat certa recuperationis ſpes? Quòd ſi videant ſedis Apoſtolicæ, ſicut etiam Imperii bona acciſa non poſſe ſubminiſtrare neceſſaria; Italos debere ſe præparare & munire, ut imperium Turcarum retundant, nec nobis aſſiſtere poſſe; metiantur prudenter periculum & impotentiam, & procedant juxta Concluſionem VIII.

Imperator non aliter tenetur bellum gerere, quam mediis Eccleſiæ & Imperii.

XVIII.

An Pontifex conſenſum negare poſſit?

Conclusio X. *Si conſenſus Pontificis eſſet neceſſarius, nec aliter bello Catholicæ fidei pernitioſo finis imponi poſſet, quàm ſi Pontifex in ceſſionem bonorum Eccleſiaſticorum conſentiret, conſenſum ſuum præbere teneretur ſub peccato mortali. At quoniam Lutherani ceſſionem Pontificis nõ urgent, ſed ſunt cõtenti permiſſione Cæſareâ, ſuadendum Pontifici eſſet ut conſenſum ſemper ſuum abſolutè negaret; aut ſaltem ſe haberet negativè; illius enim conſenſus Paci, quæ intenditur, non prodeſt; & fortè poterit prodeſſe negatus.*

An debeat?

 Hinc

Hinc est, quod noster Augustissimus Cæsar, non solùm non debeat consensum Pontificis solicitare, sed monere potiùs ne consentiat; frustra enim per plura fiunt, quæ per pauciora possunt: & siquidẽ Hæretici permissione Cæsareâ volunt esse contenti, frustra suo jure Ecclesia cederet, sed utiliter prudenterq; potiùs jura sua conservabit. Notari tamen volumus, cùm dicimus præstare ut Pontifex non consentiat, eumdem Pontificem nõ posse impedire Cæsarem aut alios Principes, quorum ejusmodi consensus sit Ecclesiæ & Catholicæ fidei defendendæ necessarius.

SECUNDA SENTENTIA.

Probabilitatem internam ab externâ distinguit, & à quopiam Theologo, quem Eminentissimus Princeps Elector Moguntinus consuluit, hisce verbis proponitur.

XIX. *De probabilitate intrinsecâ & extrinsecâ.*

An agitur de concordiâ perpetuâ? Vide nu IV. XXVII. & XLVI.

ET expensis seriò rationum momẽtis ab intrinseco (ut ajũt) minimè nobis probabilis & in praxi tuta videatur, imò cõtra communem Theologorum sententiam apertè pugnet, ea opinio quæ statuit ut bona Ecclesiastica à Protestantib. occupata iisdem, usq; dum in concordiam religionis iterum conveniatur (hoc est perpetuum moraliter æstimando) fœdere solenniter cõstituto addicantur, id quod iteratò alias ostendimus. Tamen cũ intelligamus, tã multis Archiepiscoporũ, Electorum ac Principũ Catholicorũ, legatis in plena 29. Nov. 1646. habitâ consultatione, quos supponim⁹ ex consilio suorũ Theologorum in eam mentem venisse ut ita sentiãt, visum fuisse, ut si Cæsar tanquã Advocatus & Protector Ecclesiæ supremã & in eluctabilem necessitatẽ, cũ periculo moraliter invincibili totius in Imperio Catholicismi perdendi, conjunctã videat, & si ipsius Theologi re maturius consideratã, id salvâ conscientiâ fieri posse autument, demum, passivè se habendo, permittere & consentire in illã alienationẽ, velint adeoq; cum suam, tam suorũ DD. Principaliũ conscientiam, ni Sac. Cæs. Majestatis ac Theologorum Cæsareanorũ conscientiam eo modo exonerare conentur; Nos etiam extrinsecam illã tantam probabilitatem ab autoritate aliorum petitam, secuti, censemus Eminentissimũ Archiepiscopum ac Principem Electorem Mog. Dn. nostrum Clementissimum, eadem cùm cæteris modo consentire posse, ne forte ipse solus desideratam dudum patriæ, pacem, cujus hactenus quam fuit studiosissimus, impedire arguatur; Etsi enim nullorum hactenus Theologorum rationes nobis communicatæ fuerint,

quæ rem tam difficilem, & judicio nostro repugnantẽ comprobarẽt, credere tamen par est, fieri posse ut argumenta illi habeãt ea, quæ nos latẽant quidem & quæ si haberemus, in eandẽm cum Illis sententiam fortasse conspiraremus Interim summopore optamus, ab omnib. iis, qui hanc resolutionẽ nostram lecturi sunt, hæc animadverti & curari.

XX. *Quanti momenti sit ista controversia expendatur.*

Ipsum Cæsarem Augustimũ ac Imperii Principes, atq; eorũ consiliarios qui de supremâ illâ necessitate, & periculo invincibili, & moraliter certo totius Catholicismi perdendi, judicare debent, toto Dei omni potentis & Iesu Christi ante cujus tribunal, aliquãdo stabunt, hac de re rationem posituri Iudicio, se ipsos onerare, uti ẽt alias diximus, quare serio expendere, & cavere illis incumbet, ne nimia animi vecordia, & præ popero quietis desiderio, causam fidei Catholicæ prodigant & perdant, & ne Christum, & ejus Ecclesiam deserentes, ipsi ẽt merito ab eo deserantur, & ut ne contingat illis quod olim Iudæis, qui ne venirent Romani & tollerent eorum locum & gentem, servatoris nostri causam & innocentiã destituentes, ab iisdem, quod evitare cõtendebant, Romanis justo DEI Iudicio oppressi & exstirpati miserandum in modum perierunt. Deus autem condita Ecclesia, nullũm Romanorum Imperatorẽ pro Ecclesiæ Iuribus pugnantẽ deseruisse, monstratur à sacrorum annalium scriptoribus, Erit ne demũ primus Ferdinandus III. quem Christus pro suâ Causâ laborantem non adjuvet? Memores sint omnes quomodo salvus factus est pater ipsius piẽtissimæ memoriæ Ferdinand. II. quem presserunt quidẽ Adversarii, sed non oppresserunt, ideo quod confidisset in eo cui æq; facile est salvare in paucis, quam in multis millibus. Idem hodie & semper & in secula in Cœlis Deus est.

XXI. *Vide num. V. XXVII. & XXXII.*

Hanc cessionem bonorum Ecclesiasticorum, usq; dum ad concordiam Religionis communem redeatur, esse moraliter perpetuam, Ante n. Oceanus miscebitur igni, q̃ veritas atq; Error fœdere conjungantur; & nos cùm Acatholicis in placitis fidei conveniamus. Deinde & si Adversarii pactis non sint staturi, eâq; causâ nos fœderis & Juramenti Religione soluti, possimus omnia in integrum revocare, nunquam tamen id fiet, eò quod eadem, imò major porro sit futura virium nostrarum imbecillitas, neque sanè volẽt Principes, quoties in pactum alicubi peccabitur, bello denuò periculoso contendere; Ideoq; de hac Cessione non aliter statuendum, quam de eâ, quæ simpliciter & absolute perpetua dicitur.

Desi-

XXII.
Objectiones dissolvuntur num. XXXIII.

Desideramus Expendi à Theologis Augustissimi Cæsaris ut aliorū Principum, qui cessionē illam ratā habent: An revera fieri possit ut Imperator, Advocatus & Protector Ecclesiæ sacramenti sanctissimi Religione, ad fidem & Ecclesiæ bona vindicanda auctoratus, possit sine culpa in perpetuū habere Voluntatē positivā non defendēdi & recuperandi ea bona, etiamsi sine periculo gravi poterit. Illum nō teneri equidē pro nūc vel tunc cū grave illi inde imminet incommodū, aut periculū incōmodi, facile agnoscimus, At posteaquam, juravit se proposse recuperaturū, hoc demū est quod à Theologis illis ostendi, ut aliqua ratione probabili cōfirmari vellemus. Videtur n. nobis hoc tam intrinsecè esse malum, ut in nulla circumstantiâ honestari possit. Ideoq; quod initio diximus, Eminentissimum Archiepiscopum ac Principem Electorem nostrum, &c. consensum dare posse, id sola extrinsecâ eorum Theologorum ita statuentium autoritate nititur, atq; adeo eorundem conscientia si quid scius fiat, gravatur. Item desideramus ab illis expendi, an Cæsari liceat tunc cum Experientia antecedētium temporum, moraliter certum facit, A Catholicos non acquieturos concessis, neque pacem daturos, sed cætera per opportunitatem quæ nunq̄ deerit, ipso & Catholicis imperatis existentib. invasuros.

Item tunc, cum Apostolica sedes contradicit aut certe non consentit in alienationem.

Omnibus insuper notum esse volumus; nos sentire, 1. illam alienationem dicto modo fieri posse, siquidē A Catholici cætera omnia nobis salva & integra relinquere velint. Nam si renuant deinceps pro futuro reservatum Ecclesiasticum pro nostra parte, & si autonomiam in terris Catholicorum Principum ac statuum vageant, dicimus eam, ut pote impiam, illicitam, divino humanoq; Iure vetitam nullo modo salvâ Conscientia concedi posse aut debere, hoc enim esset Catholicā fidem ac Religionem fœdere & pacto publico funditus evertere, cū certum sit moraliter reb. ad eum modum per autonomiam constitutis, intra breve tempus futurum, ut nulla pænè sit Ecclesiæ & Religionis Catholicę scintilla in imperio. Quare si adversarii hoc vrgeāt, neq; aliter pacem concedere velint, tenetur quivis vitam potius ponere q̄ in rem talem convenire uno verbo censemus Em. Principem nostrum dicto modo cum aliis consentire posse, duplici conditione posita, primo si suprema necessitas est & periculum moraliter in vicibile totius Catholicismi perdendi. 2. Si Theologi Cæsaris & Princi-

cipium

cipum illorum Catholicorum iudicent ſalva Conſcientia fieri poſſe. Alias quod ad nos attinet iterum profitemur, nos à noſtrâ ſententia negativa minime diſcedere, neque vidiſſe hactenus ullius Theologi rationes ob quas diſcedendum videatur.] *Hucuſque ille.*

Examinatur hæc ſententia.

XXIV. Ad duas concluſiones hæc opinio reducitur.

Vt igitur pius Lector videat, in quo Nos ab hac ſecundâ opinione differimus, totam illam ad duas Concluſiones reducimus. PRIMA EST, *Poſſe permitti Hæreticis bona eccleſiaſtica, nulla ratio probabilis ſuadet.* SECVNDA: *Id ipſum tamen fieri multi Theologi dicunt a'eoq; eorumdem ſententia probabilitatem authenticam & extrinſecam habet.* E quibus nos ſecundam admittimus, & primam abſolutè negamus, exiſtimantes aſſerentem ſententiam non ſolùm probabiles & veroſimiles habere rationes, ſed etiam evidentes & claras. Illas dedimus, aliorum erit illas dijudicare.

XXV.

Cæterùm, quoniam eximius iſte Vir, aliqua aſſerit, nec non aliqua rogat, quæ examine aut reſponſione indigent, ejus Nos Iudicium relegimus, & quid notaverimus breviter explicamus.

XXVI.

Sententia, quam communem appellat, nullius eſt.

Non intelligo quî dicere potuerit ſub initium contra communem Theologorum ſententiam apertè pugnare doctrinam, quam numeroſo Theologorum calculo Legati Principum die 29. Novembr. 1646. approbarunt. Imò ſi Legati omnes, à ſuorum Principum Theologis inſtructi hanc opinionem approbarunt, contraria ſola eſt, quæ apertè pugnat contra communem Theologorum ſententiam. Quod ſi dicatur communis vivorum opinio communi defunctorum opponi; negabo oppoſitionem ipſam, quoniam permiſſionis doctrina, quâ vivorum fundatur reſolutio, ne quidem ab uno boni nominis Authore negatur; adeoque dicam eam eſſe communiſſimam, & ab omnibus Theologis mortuis viviſque propugnatam.

XXVII.

Quod conceditur uſque ad concordiam Religionum, concedi in perpetuum moraliter, ait ille, & ego aliquid contrà ſubſcripturus inferiùs, univerſa condono. Noto tamen eodem prorſus modo in Paſſavienſi Tranſactione, eodem in Auguſtanâ Pace Religionis anno 1552. & 1555. conventum. Et quis dubitat dari temporaria mala, quæ præponderent aliis perpetuis. An non Petrus ex. gr. damnatus annuo carcere, pœnam redimere prudenter poterit

Aliqua perpetua viliora ſunt aliquibus temporaneis.

per-

perdendo aut dando aliquot aureos in perpetuum? Poterit quidem; & Ego doctrinæ consequentiâ ductus assero, graviùs esse perire Religionem, quàm fundos, posseque hos in perpetuum cedi, ne Catholici inquinentur hæresi, etiam si hæc ipsa post annum abolenda dicatur. Accedit tamen hæresim perpetuam esse, & vix extingvi posse si concipiat materiam, adeoque non debere cessio perpetua bonorum Ecclesiasticorum cum temporaria hæresi, sed cum perpetuâ comprrari.

XXVIII.

Sententiã contrariam nullius esse.

Hîc hæreo. In eodem parragrapho XIX. qui Consultationis primus est, ista lego. ***Si Cæsar tanquam Advocatus & Protector Ecclesiæ, supremam & ineluctabilem necessitatem, cum periculo moraliter invincibili, totius in imperio Catholicismi perdendi coniunctam videat, &c.*** & siquidem periculum instantissimum ponitur, tot hominum doctorum judicio, videre vellem unum solum Authorem, qui teneat opinionem, quam hic Theologus communem dicit. Audacter dico. Ne unum quidem reperiet, qui asserat potiùs perdendam religionem catholicam quàm fundos. Injurius igitur est Theologiæ, cùm erroneam sententiam, communem Theologorum appellat. Esto Cæsar advocatus & supremus protector Ecclesiæ in Germaniâ. An Ecclesiæ nomine parietes intelligendi sunt, si non animæ potiùs, pro quibus Christus mortuus est? Cùm similia lego, gaudeo me posuisse Conclusionem II. nam si Cæsar protector Ecclesiæ est, hoc est, Catholicorum, & in tales temporum angustias incideris, ut non possit aliter Animas periclitantes defendere, quàm fundis defensionem negando, cœcus est, qui asserit, perdendas animas, fundos pecuniasque manutenendas.

XXIX.

Objectionis retorsio.

Iudæi, qui §. XIV. in exemplum & terrorem ponuntur, nos non tangunt, at illos eosdem urgent, à quibus introducti in scenam. Quoniam si peccarunt Iudæi malentes Christum perdere, quàm gentium & regni dominium; peccabunt procul dubio oppositæ sententiæ fautores, qui malunt Christũ & ejus Catholicam fidẽ exulare universâ Germaniâ, quàm bona Ecclesiastica perdi: & merebimur apud Deum nos, qui dicimus oportere res aliquas caducas & terrenas in æternum perire, ne animæ catholicorum inficiantur hæresi, & tandem in æternum perdantur.

Demum

XXX. *Pro nobis militat adversarij argumentum.*

Demum noster Theologus §. XX. ad historias confugit, & cùm sibi proponi vult vel unum Cæsarem pro Ecclesiæ iuribus pugnantem, qui fuerit derelictus à Deo, generaliter loquitur, & tamen cœlum cum terrâ confundit. Det mihi vel unum Imperatorem, qui Ecclesiæ iura in terram iuribus in cœlum præposuerit, & fuerit ob id commendatus. Sanè Catholici habemus ius in fundos Ecclesiasticos, quos Heterodoxi per violentiam usurpant; habemus ius in cœlum. At quia experientia docet innumeros hoc bello scelerate vivere, multos à Catholicâ religione deficere; plurimos æternùm condemnari; dicimus, O pereat pecunia, quæ has miserias invexit! o pereant fundi, qui tot myriades hominum à religione catholicâ avulsas in hæresim, & demum in infernum important.

XXXI *An hæc pax anno 1630. debuerit potiùs fuisse inita?*

Et quia Ferdinandi II. Optimi Imperatoris meminit, dicam aliquid, quod nemo hominum negare poterit. An-non alia esset Germaniæ facies, si anno XXIX. tractatui pacis subscripsisset? An-non ipsa necessitas, quæ tunc urgebat mediocres conditiones admittere, nos cogit hodie iniquas & onerosissiamas sollicitare? Vt puto, qui pio Cæsari pacem dissuasit, processit prudentissimè; quoniam omnia in eo erant statu, ut pax admitteretur imprudenter. Sed bellum quod iuxta leges prudentiæ institutum, rebus mutatis infæliciter protractum est. Si tot incolumitatis vitæque annos illi Theologo concedat Deus, quot maledictiones populus, qui omnia metitur ab effectu, & prudentiam non curat, aget seram senectam inter suos; docebitque nos cautius uti victoriis, & fortunæ prævidere inconstantiam. Sanè prudentia summa est opus: & cum commendatur spes, condemnatur præsumptio: nec potest Cæsar aliquis supra vires contendens exponere excidio Germaniam, nisi revelatione monitus sciat, Deum Catholicos miraculosè defensurum. Breve exemplum producam, ut vel inde reliqua colligantur, non enim Historicum, sed Theologum ago.

Loquor ex relatione amicorum & libris.

Publicatum fuerat à Ferdinando II. restitutionis Edictum, & inter alia tetigit Archiepiscopatum Magdeburgensem & Bremensem Leopoldo-Guillelmo, serenissimo Archiduci à Pontifice summo collatos, anno 1629. & Ioannes Adolphus Dux Holsatiæ,

qui locum occupaverat, ut Lotichius libr. 26. cap. 5. recenset, iubetur abire etiam insulâ, & nostro serenissimo cedere. Erat Ioannes Adolphus vir pacificus, & qui nomen Ferdinandi Cæsaris veneraretur, & omnem concordiam proponeret. Voluit ille modò in suâ Lutheranâ religione relinqueretur, reservatis paucis oppidis ad vitam, Ecclesiam & dignitatem resignare, & efficere ut Serenissimus Leopoldus, Ferdinandi II. filius, in Archiepiscopum etiam à Canonicis eligeretur (ita rem cuncti narrant; nostram hæretici pietatem imprudentem irrident, quam cautiores lugemus). Negantur Lutherano illi fundi, ne Ecclesiastica bona Hæretico dicerentur permitti; ille irritatus implorat inimicorum adsistentiam, & post paucos annos mortuus habuit successorem alterum Lutheranum, & Regis Dani filium, qui rarò exemplo nuptiis maculat nomen Episcopale. Hæc tacta breviter: omnis enim Politica ab experientiâ & historia dependet. Nam si multi erant Ioanni Adolpho similes, præstitisset illis tantisper connivere, quàm irritando concitare. At progrediuntur nostri, claudunt oculos, nec minas nec querelas morantur. Conveniunt Protestantes parati Edicto Cæsareo obedire, modò Articuli nonnulli observentur. [Legi poterunt ipsi apud Lotichium lib. 31. Rerum Germanicarum. cap. 5. anno 1630.] Conqueruntur Passaviensem transactionem à Ministris Cæsareis non servari: se velle restituere omnia occupata ab anno 1555. modò ante hunc annum & Pacem Religionis accepta, pacificè habere permittantur, &c. Sed cur tunc non permissi?

Veritas historica sæpe incognoscibilis est.

Pono politicum & historicum calamum; nam qui veterum consiliorum effectus & miserias video, causas non video, sed illas in libris lego, & à viris eruditis audio, nec facilis præbebo assensum, scio enim quàm sit difficile historicâ examinare veritatē. Cæsus fuit à Gallis Catholici Regis exercitus anno 1635. aut Principis Thomæ Sabaudi, aut Comitis de Ferâ negligentiâ; & dum variæ militiæ Primores rem referunt, dum alter alterum onerat, indicitur silentium utrique, nec res quæ ob oculos accidit, cognosci potuit: ergo siquidem solemus in quæstione facti decipi à libris & amicis; eam faciamus missam & ex hypothesi loquentes, ad rationis consequentiam redeamus.

Au-

XXXII. *Prophetia hac nobis favet.*

Audio Prophetam optimum, qui sub finem §. XXI. virium nostrarum diminutionem ominatur: & tamen aliter discurro. Si maior olim futura est virium nostrarum imbecillitas, ut ipse ait, (tametsi aliquid haberem quod obiicerem) concordia ineunda est, dum adhuc possumus respirare; qui enim anno MDCXXX. bonos articulos poteramus habere; ni hodie mediocres admittere velimus; olim, quando erit maior virium nostrarum imbecillitas, pessimis obruemur. Exemplo nobis sit Rex Catholicus, cui Bredâ, tunc Hollandorum urbe, ab Spinolâ obsessâ, optimæ pacis conditiones oblatæ & rejectæ; & tamen postea Trajectum, Sylvam-Ducis, Bredam ipsam, Zassum-Gandensem, Hulstum, Dunkercam, & alias civitates perdidit; & hodie perpetuam pacem omnibus bonis Ecclesiasticis permissis, & sexaginta aut pluribus articulis propositis sollicitat; & adhuc sub arbitro res est.

Errore Regis Hispaniæ cautior Imperator reddatur.

XXXIII.

Ad hoc quod §. XXII. dicitur de voluntate non defendendi bona Ecclesiæ respondimus secundò & tertiò. Putamusque non licere Imperatori habere voluntatem defendendi Ecclesiastica bona, si hæc ipsa defensio vergat in Ecclesiæ perniciem. Nos enim Imperatorem, fidem & religionem in Germaniâ defensurum positivè credimus; cæterùm expositurum gladio homines, excidio religionem, ut bona caduca recuperet, decredimus. Putamusque idipsum, quod intrinsecè malum dicitur, stante necessitate, quæ asseritur & experientiâ convincitur, debere potiùs intrinsecè bonum vocari. At quia fundi nec intrinsecè mali nec boni sunt, corrigenda est Theologi illius non solùm sententia sed & lingua, dicendùmque in hac materiâ, si capax esset bonitatis & malitiæ intrinsecæ, retentionem bonorum ecclesiasticorum impræsentiarùm fore intrinsecè malam, & cessionem intrinsecè bonam; nam ex hac Catholicæ Religionis promotio, aut conservatio saltem, & ex illâ instantissimum periculum excidij infertur.

Datur casus in quo malum sit defendere bona Ecclesiastica.

XXXIV.

Et quia notabili ultimo (§. XXIII.) Theologus ille nobiscum iterum consentit, non est cur plura subscribamus.

TERTIA SENTENTIA.

XXXV.

SEverissima est, & apertè negat posse Cæsarem huiusmodi bona Lutheranis permittere; impugnatur à Viennensibus Theologis, quorum Resolutionem, tametsi quæsierim & petierim, non habeo; & propugnatur ab aliquibus, quorum rationes Eminentissimus Princeps Elector Moguntinus iubet examinari. Hanc ego severam sententiam stante necessitate publicâ & horum temporum malignitate falsam & improbabilem omninò iudico, nec habere rationem, quæ Theologo indigeat ut solvatur. Singulas proponam & expendam.

XXXVI. *Obiectio multa simul involvens.*

PRIMA. Alienatio bonorum Ecclesiasticorum in profanos usus statusque, absque Pontificis consensu intrinsecè mala est, illicita & invalida. Quia est contra religionem; Iustitiam, fit inscio & inuito Domino. Est contra ultimas voluntates fundatorum, à solo Pontifice, & non nisi grauissima ex causa dispensabiles. Habetq; idcircò excommunicationes varias adiunctas in pœnam.

XXXVII. *Responsio.*

Nemo spoliari aut spoliare iustè potest.

Donationis & Permissionis distinctio.

Ostenditur involvi ab adversario duas diversas Quæstiones.

Hic multa congeruntur, quæ non intelligo. Scio eius privata bona non posse auferri à Petro invito, & dari Paulo; quia tunc peccaretur in proprietatis directum ius; scio dominium supremum sæculare (altum imperium alii vocitant) non subesse privato homini, nec posse à quocumque sine conscientiâ & voluntate Imperatoris cedi Ecclesiæ, unusquisque enim, ni lege impediatur, sua dare Ecclesiæ poterit, non aliena, & scio etiam dominium supremum, quod habet Pontifex in bona Ecclesiastica, non posse cedi ab alio quàm ab ipso. At hîc non agitur de donatione, sed de permissione; imò suademus Pontifici ne consentiat; maximè, cùm Hæretici usu facti contenti, usum iuris non curent. Videtur argumentator minùs velle intelligere, quàm & facto intelligit; nam sicut aliud est quærere, An Ioannes possit Paulum occidere? & aliud, An Ioannes si invadatur à Paulo possit illum occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ? Sic etiam aliud est petere, An absolutè Cæsar possit dare Hæreticis bona Ecclesiastica? & aliud, An in casu, quo Religio Catholica & bona Ecclesiastica periclitentur, non possit horum pretio, habendo se passivè, emere Religionis catholicæ securitatem? Illud prius malum est, & optimum istud posterius.

Quod

XXXVIII. *Vltima voluntates exposita.*

Quod de ultimis voluntatibus subjungitur, summas paterentur difficultates; inquiro enim; Verùm ultimæ voluntates sint de iure divino? Annon possit Respublica testamenta interdicere, ut olim factum? Ut illa toleret, An-ne in damnum publicum sint extendenda? Moritur Fridericus, & bona sua legat Ecclesiæ; confirmat legationem Cæsar, & dominium supremum, quod habebat, in Pontificem transfert. Concipiamus donationis tenorem. *Hæc bona*, inquiunt, *Ecclesiæ donamus; volumusque hanc donationem æternùm valituram, etsi successu temporis perniciosa sit Ecclesiæ & Imperio.* Si sic exponuntur defunctorum ultimæ voluntates, iniquæ & invalidæ sunt; omnis enim potestas à Deo est, nullusque ad destructionem, sed ad ædificationem habet authoritatem: & cùm nullum excipio, nec Pontificem, nec Imperatorem excipio. Ergo ultimæ voluntates, & omnes quæcumque donationes supponunt bonum publicum, nec possunt subsistere, si publicæ rei perniciosæ dicantur. *Subiungo*, summam iniuriam fieri Deo & Ecclesiæ, cùm excommunicationum sit sermo. Non enim concessit Pontifici Deus, ut excommunicare hominem possit, ob legis divinæ observantiam, & Catholicæ fidei defensionem. Adeoque argumentator, ni velit calumniatoris notam incurrere, deleat excommunicationum minas, quas inconsideratè protrudit.

XXXIX. *Obiectio de translatione dominij.*

SECVNDA. Etsi pactio de permittendis bonis Ecclesiasticis in perpetuum Protestantibus, formaliter non sit alienatio & translatio Dominij. Est tamen idem æquivalenter & virtualiter. Quia per tale pactum privat se Imperator & Successores suos, imò Ecclesiam, potestate ac Iure huiusmodi bona in perpetuum recuperandi, quod in effectu æquivalet cuicunque alienationi in perpetuum. Atq; ex hoc Respondetur ad primam Considerationem DD. TT. Viennensium parum enim ad rem facit an Protestantibus verum Dominium conferatur, vt nulla in perpetuum actione Ius Ecclesiæ, vel repeti possit vel recuperari. Distinguere autem hic inter talem usum & Dominium nimis speculativum videtur. Et licet præceptum non sit cum proprii status periculo, bello, res illas vindicare. Præceptum tamen est, illas non ita prostituere in perpetuum &c.

XL. *Responsio.*

Respondeo nullum ius deperire Ecclesiæ & Pontifici, cui ne assensum

ſum præbeat ſuademus, & cauſas quæ nos movent Concluſione X. propoſuimus. At condonemus omnia. Quid inde? Ius depereat Catholicis recuperandi bona temporalia, modò accreſcat ſecuritas conſervandi Religionem & fidem, ſine quibus non poſſunt conſequi vitam æternam.

TERTIA. Neque Imperator neque alius Princeps eſt Dominus hiſce mediatorum ſive immediatorum bonorū Eccleſiaſticorum. Sed tantum Curator, Protector, Cuſtos. Tale enim Dominium ſoli competit Eccleſiæ ac Pontifici, cuius ſubiecta diſpoſitioni ſunt. Et licet adiunctam habeant illam dignitatem quod ſtatus Imperij dicantur, hoc tamen non eximit illa à Domino Eccleſiæ, nec illud tribuit Imperatori: Sed dicit tantum ſubordinationem quandam in politicis, aut quod ad ſubſidia quædam teneantur, quibus Imperator in munere defenſoris & Cuſtodis adiuvetur. Vndè non ſequitur Ius eſſe Imperatori in ea directum, quo ea alienet quoquomodo.

XLII. *Reſponſio.*

Reſpondeo eadem ab Adverſario ſæpe repeti; ſed quia male affectus ſtatui ſæculari, à quo in ſuis miſeriis defenditur protegiturque; tum rotundè Imperatorem à dominio excludit, notari volo *altum Imperium*, ſeu dominium ſupremum, ſeu ut Hiſpanus loquitur *ſennorio de ſobrranta*, à domino directo & proprietatis in omni opinione diſtinguit & ſententiam, quæ bona Eccleſiaſtica proprietatis titulo Chriſto Domino, quà homini ſubiicit, piam, non tamen doctam eſſe: quæ Pontifici, omni carere fundamento; tametſi Authoribus & invidiâ non careat: quam ob rem concludimus bona Eccleſiaſtica tam eſſe Pontificis, quàm ſecularia Imperatoris; adeoque neutrum in ſubditorum bonis habere directum immediatæ proprietatis dominium, ſed utrumque altum & ſupremum imperium. *quod clarum omnino eſt, ſi ſincerè legatur. Vide interim Concluſionem IV. V. VI. ſuperius poſitam; & in Theologia mea Regularium diſp. 57. num. 820. & iuberemus titantis ſper arguentis animoſitatem.*

Dominium duplex.

An bona Eccleſiaſtica ſint Chriſti; an Pontificis?

XLIII. *Obiectio de iuramento Cæſaris.*

QVARTA. Pactum renunciativum perpetuum repugnat iuramento Cæſaris, quo in coronatione ſpondet ac iurat ſe, quos hæreticos Eccleſia dixerit, ſubacturum, proſcripturum, damnaturum; ſe Eccleſiam Romanam protecturum, eiuſdem perſonas & iura defenſurum & propugnaturum. Atqui per tale pactum renunciativum contrarium omninò promitteret iuraretque: igitur illud iniri nequit.

Hæc

Hæc obiectio videtur hausta è Querimoniâ Calvinianistarum Gallorum, editâ anno 1621. quam Gramondus libro Historiæ suæ septimo, pag. 357. proponit, & dilui putat hisce verbis. [*Prima Obiectio, ait, est ex sacramento à Rege (Christianissimo) præstito, ipso inaugurationis die, cujus hæc summa.* Iuro regia in fide, quos Ecclesia hæreticos dixerit, conaturum me in quantum potero, finibus Regni mei depellere. *Vnde vobis sectarij Ecclesiæ decreto hæreticis exsilium portendi concluditis? Verba arguuntur: adeo-nefactorum innocens est Rex in quem agitis? Adeone sacramenti hæc formula nova est apud Gallos, ut ignoretur effectu vacuam esse ab omni ævo? Nondum Calvinus vester eruperat, & sic jurabant inaugurandi Reges. Henricus IV. quem pro Deo tutelari accipitis, in primo Regni limine eo sacramento adigitur. Quare ergo, qui siluistis tunc, obstrepitis hodie successori, quem scitis eâ formulâ Majorum suorum religionem imitatum? Adjecta postmodum vobis rogantibus exceptio Regulæ, quâ declaravit Rex* ipse, eo se sacramento nihil de vobis cogitasse. *Actum id anno 1615. Quid ultra petitis?*] Sic incertus Author apud citatum Gramondum exponit, Regis Galliarum iuramentum. *At Ego* dubitarem statim, An illud esset verum & theologicum iuramentum, non enim Numen iurari lego, sed Regiam fidem, quam quanti debeat fieri Campsores Antuerpienses me docent, qui fidei unius Mercatoris potiùs quam Regis cuiuscumque confidunt. Layman *in Theolog. Morali libr. 4. tract. 3 cap. 2. num. 2. pag. 595.* ex Covarruviâ *c. quamvis pactum. p. 1. §. 2. num. 3.* Gutierrez *in Authen. Sacramenta puberum. Cod. si ad versus venditionem. num. 149.* & Cajetano *2. 2. quæst. 89. art. 6.* hæc habet. *Qui dicit, Per fidem meam hoc faciam, &c. non de fide theologicâ (sive Christianâ) sed morali loquitur, hoc est de fidelitate. Et perinde est, ac si diceret, Ita hoc faciam, sicuti fidelis sum, aut haberi volo. Se ipsum ergo affert in testem, non Deum. Sicuti Reges promittentes in fide Regiâ, non iurant, sed propriam excellentem fidelitatem afferunt ad confirmationem.* Et in Compendio verb. *Iuramentum.* Sic inquit. *Fides à sacerdotibus interponi solita super sanctam eorum consecrationem, non est propriè iuramentum; sicut nec fides à viris Principibus interposita: Sed in externo foro, ut iuramenta accipiuntur, & ita observari iubentur.* Ergo meliùs excusaretur & defenderetur Galliæ Rex, si diceretur, vi huius promissionis non obstringi iuramento quoad forum interiùs, nec quoad exterius

Iuramentum Regis Galliæ.

An effectu vacuum?

Iuramentum per fidem non est theologicum.

Per fidem regiam.

Per consecrationem.

De obligatione civili.

lege posse, cum legibus civilibus superior sit. *Caterùm* posito vero iuramento, qui Rex Galliæ defendatur, non video. Hæc formula antiqua dicitur, & effectu vacua ab omni ævo, quod est clariùs, ab omni ævo fuisse periuros Galliæ Reges, quod non deberet affirmari

Male defenditur Galliarum Rex.

EGO IGITVR sic Christianissimum Regem à perjurio defendo; dico enim *Primò* cum non emisisse juramentum Theogicum sed politicum, adeoque non obstringi divinitùs, sed civiliter hum anitusque. *Secundò*, admisso theologici juramenti vinculo, dico illum non jurasse absolutè se hæreticos regione exacturum, sed se conaturum, inquantum poterit, finibus suis depellere; & nemo non videt, conatum omninò ab effectu distingui, & potentiam physicè, & civiliter exponi posse.

Vera juramenti expositio.

XLIIII.
De juramento Cæsaris.

His prælibatis ad Cæsareum Iuramentum venio; & aliis examinandum relinquens, an illud theologicum, an verò politicum sit, pono iis aut similibus verbis fuisse conceptum, *Iuro Deum me defensurum esse Ecclesiam.* His verbis illo expresso nulla manebit civilis explicatio; divinum & theologicum erit, debebitque sub mortali servari, & iuxta Conclusionem III. num. 6. positam sic exponi; *Iuro Deum me primo loco defensurum Catholicam fidem in imperio; secundo personas Ecclesiasticas; tertio templa, muros, & fundos Ecclesiæ.* Ergo si vel debeamus carere personis vel fundis ecclesiasticis, eligatur minus malum, & fundis perire permissis, retineamus Confessarios, Concionatoresque. Ergo si vel debeamus carere Confessariis & Concionatoribus aut Catholicâ fide, eligatur minus malum, & malimus potiùs carere illis, quàm istâ, quoniam sine illis, tamet si difficulter, salvari possumus, sine istâ non possumus. Igitur, si omnia periclitantur, nec tamen propugnari omnia possunt; stet iuramento & obligationi suæ Cæsar; committat bona Ecclesiastica oceano, quanta & qualia sufficiant, ut à procellosis vorticibus animæ liberentur.

Violaretur, si catholica fidei bona ecclesiastica præponerentur.

LXV.
Objectio desumpta ex dignitate.

QVINTA. Repugnat etiam officio Imperatoris, quod est, esse procuratorem, conservatorem, custodem Ecclesiasticarum possessionum. Ex eodem juramento. Et quanquam hujus officii sui actum omittere hic & nunc possit, aut etiam (gravissimâ ex causâ) pro certo tempore promittere ejus omissionem, quamdiu scilicet actus ille aut sibi impossibilis, aut noxius aut non necessarius,

est

est; in perpetuum tamen ejus potestate se abdicare & privare, est officio suo repugnare: se velle esse Imperatorem, habere nomen, dignitatem, Regalia, subsidia, non verò velle aut posse exercere unquam, propter quæ dignitas & cætera, sunt. Quis Procurator spondere possit se causam sui principalis aut pupilli nunquam acturum, deserturum in perpetuum; aut quis Custos cum raptore ac Lupis pacisci de nunquam recuperando grege & possessione Domini, cujus Custos est, sive ex justitiæ, sive ex juramenti fidelitatisque obligatione hæc nomina, officiaque gerat? Atque ex his 36. positionibus Respondetur ad Considerationem II. Viennensium. Esto bona Ecclesiastica, Imperatori obnoxia sint, manere tamen sub dominio Pontificis & Ecclesiæ: Imperatorem verò tantò magis obligari ex munere & juramento suo, ea non deserere, & apponere raptoribus, sed conservare, custodire, &c.

Officium Cæsaris habet annexa onera: ergo & officium Pontificis.

Idem intelligendum suo modo de Episcopis, quia nec ipsi possunt mutare fundationes ac ultimas voluntates, aut adversus Ecclesiæ Canones statuere, possessiones non alienare, quod jurant in Confirmatione suâ, non sunt Domini, sed Procuratores, &c. atque idcircò nec consentire in hujusmodi pactum renunciativum perpetuum, sub spe cuiusque boni inde eventuri: hoc enim malum ex naturâ suâ videtur: at non sunt facienda mala ut eueniant bona.

Ergo & episcoporum.

XLVI

Ansit pacti temporanei & perpetui discrimen?

Hîc jam video benigniùs procedere argumentatorem. Pactum temporaneum iniri posse statuit, at perpetuum negat; cùm tamen certum sit omnem humanam æternitatem & perpetuitatem paucos annos excedere. Legantur historiæ, sine quibus in hac materiâ inconsideratè discurritur. O quoties Hispania & Gallia (ut alias provincias & coronas omittam) articulos perpetuæ pacis juramento firmarunt! & tamen post paucos annos iterum in campo conflixerunt. quam ob rem dicendum est magnam esse æternitatem humanam, quæ centesimum annum attingit. Anno MDLII. Passavii Imperii membra transegerunt, & tertio anno post perpetua illa concordia confirmatione indiguit, & in Comitiis Augustanis fuit Pax Religionis publicata; & tametsi verba sonent in perpetuum, paucis annis tanquillitas illa duravit. Et ut nostra etiam referam, anno 1611. firmatur fœdus inter Hispanos Gallosque in æternitatis pignus matrimonia duo, queis Philippus Isabellæ, Ludovicus Annæ

Omnis humana æternitas brevis est.

ſociantur. Et tamen hæc ipſa æternitas, quoniam humana erat finem habuit anno 1635. Gramondus, Spondanus, alij.

XLVII.

Iniquitas non in perpetuitate, ſed in ſubſtantia pacti conſiſt.

Præterea admiſsâ perpetuitate qualis nobis obiicitur, argumentum non urget. Nam ſi Cæſar cum Lutheranis iniret pactum, quo non ſolùm in perpetuum, ſed etiam ad paucos annos teneretur, nec fidem, nec religionem, nec clericos, nec bona Eccleſiaſtica protegere; non ſatisfaceret Cæſareo officio, bene tamen, ſi permitteret bona Eccleſiaſtica in aliquâ provinciâ perdi, ut fides, religio, clerici, & bona omnia Eccleſiaſtica in reliquis imperii provinciis conſervarentur. Et ut ſervetur ſimilitudo, exempla Procuratoris & Paſtoris deberent hoc modo proponi. Primò enim ſi Procurator agat decem aut plures graves cauſas ſui Principalis, omnes periculoſas & ambiguas; & contraria pars modò in unâ parvi momenti velit in æternum tacere, in reliquis graviſſimis ſuo iure cedat, debebit Procurator hanc concordiam admittere, & ſummam iniuriam inferet ſuo Principali, ſi novem aut plures cauſas, jam ſecuras, iterum liti procelloſæ & periculoſæ committat; & quidem ſi Religio Catholica cum bonis Eccleſiaſticis comparetur, vileſcent iſta, nec admittent aliquam proportionem. Sanè de Tutore reſpectu Pupilli eodem modo philoſophor. Secundò ad Paſtorem & Lupos venio; & interrogo; An ille, qui videret totum gregem dentibus ferarum patere, & vitas & vellera omnium ovium periclitari, imprudenter aliquot vellera lupis pacificè & in perpetuum poſſidenda permitteret, modò totius gregis oves & earumdem vellera ſecura redderent? Sic debet ſimilitudo proponi. Et qui diſcurrit aliter, aut non vult, aut non poteſt facillima puncta intelligere.

Reſpondetur ad Procuratoris inſtantiam;

Ad inſtantiam Tutoris.

Ad argumentum à Paſtore deſumptum.

AN-

ANSELMO CASIMIRO SANCTÆ MOGVNTINÆ Sedis Archiepiscopo S. R. I. Principi Electori, Archicancellario, &c. Domino suo clementissimo.

HAc rerum tempestate, PRINCEPS EMINENTISSIME, omnes zelo ducuntur, non tamen universi discreto. Sunt qui bona Ecclesiastica manutenenda suadeant, resistendum Hæreticis, & potiùs subeundum martyrium (sic loquuntur) quàm ut illis vel minimus fundus cedatur: Et quia grandia videntur eloqui, grandi etiam opinionem suam volunt nomine & authoritate roborare; adeoque producunt in scenam Eminentissimum Principem Othonem, S. R. E. Cardinalem Augustanum Episcopum, Elvacensem Præpositum, qui ab anno M D L V. ad M.D.LXXIII. quo ad vitam meliorem transivit, contra Pacem Religionis pro bonis Ecclesiasticis (ut asserunt) fuit protestatus, paratus mori potiùs, quàm illa Lutheranis permittere. Hinc concludunt Augustissimum nostrum Imperatorem, non posse Heterodoxis condescendere, sed debere potiùs tanti Præcursoris exemplo contra omnia acta & agenda protestari, & mortem obire priùs [facile omninò est de vitis alienis disponere,] quàm Ecclesiastica bona Confessionistis cedere. Audio sæpe nomen Othonis Cardinalis, & veneror; & tametsi respondere possem, in gravibus resolutionibus viâ regiâ incundum, & opiniones omnes singulares fugiendas, tutiusque omninò subscribere tot Electoribus, tot Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, qui in unam sententiam conspirarunt, quàm uni & soli Cardinali Truchsessio, quem faciliùs, quàm totam Germaniam condemnes: nihilominùs, siquidem velimus nolimus ille in Ducem proponitur, per me stat, ut eius vestigia studiosè premamus

XLVIII. *Multi zelo laborant, quia non secundum scientiam.*

Otho Cardinalis in exemplū proponitur, sed male.

An Imperator mori potius debeat, quàm non defendere bona Ecclesiastica.

Othonis sententiam fuisse singularem ostenditur num. 85.

Periculosa sunt singulares sententiæ.

mamus; nam & ipse prudentissimus fuit, & nostram sententiam solam tenuit, non illam, quam eidem contrariæ opinionis defensores adfingunt. Ut hoc omnibus constet, clarissimè demonstraturus sum, *Primò*, illum; nec defendere Ecclesiastica bona; nec pro muris, sed pro moribus fuisse protestatum: Agebatur enim de mutandâ Religione in Germaniâ, & iniuria fit Viro pientissimo, cùm asseritur securitatem Religionis Catholicæ litibus rerum terrenarum turbasse. *Secundò*. Eum solam Religionem Catholicam, Iurisdictionem & Personas manuteneri voluisse; fuisseque paratum omnia bona Ecclesiastica perdere, modò poset animas & personas salvare. *Tertiò*, ita sibi dogmata, iurisdictionem, & Personas vi protestationis reservasse, ut & cesserit iure illa milite armato defendendi. *Quæ omnia* sicut inaudita Adversariis [nam plerique Theologi Politicos Libros non legunt] sic digna erunt quæ impræsentiarum perpendantur. Non producam nova testimonia, sed utar productis in Pace Religionis illustratâ à Iure-consultis Catholicis, & impressâ Dilingæ anno MDCXXIX. quæ nec fideliter ex lingua germana transtulerunt Interpretes, nec Expositores radicitus examinarunt. Mihi clarissima res est; nec credo dissensurum, qui sequentem Disputationem legere accuratè dignabitur.

Protestatio Cardinalis Othonis non respicit bona Ecclesiastica.

Sed religionem iurisdictionem & personas;

ita tamen has ipsas, ut noluerit illas defendere armis.

Pax Religionis illustrata, est liber editus Dilingæ an. 1639. quem frequenter citabo.

XLVIIII.

Animæ antepponendæ fundis sunt.

Peccaret mortaliter Cæsar si contrarium faceret;

qui pro sententiâ contrariâ moreretur, non esset martyr, sed in æternum periret.

Posset Cæsar in excessu peccare.

Tu igitur PRINCEPS EMINENTISSIME, si meam sententiam dignaris suscipere; pone animas primo loco, ultimo fundos; si velis subscribere Truchsessio, primo animas, ultimo fundos; hoc doceo, hoc docuit ille, hoc debent docere universi. Si Cæsar postponens Religionem pecuniis fundis-ve, illam non curet, has & istos defendat, mortaliter est peccaturus, si eum sequaris, simile peccatum incurres; & qui in hac hypothesi, pro bonorum Ecclesiasticorum defensione moriantur, non libro vitæ, sed albo Pseudomartyrum inscribi poterunt. Defendendæ sunt animæ; & siquidem Christus Dominus totum sanguinem fudit, ut illas redimeret; nos omnia demus, quæ necessaria fuerint, ut mortis Christi beneficium recipiant. Quæ necessaria fuerint dico, nam & posset peccari excessu, si prodigè profuderentur aliqua non necessaria.

Aut

Aut fallor, aut ideò Episcopi baculo pastorali insigniuntur, quòd sint Pastores animarum. An-ne Pastor (utor exemplo, quod incautè adversarii nobis num. XLVII. obiiciunt, illudque in eosdem regero) poterit pacisci cum lupis ut oves devorent, modò vellera sibi relinquant? Nemo asseret. Debet Pastor ovium vitas & vellera generosè defendere. Quòd si utrumque non possit, præstat manutenere vitas, manumittere vellera, quàm negligere illas, hæc protegere. Idem dico de Cæsare, de Principe, de Episcopo. Pastores sunt, & supernaturalem ovium vitam debent primo loco curare; & peccabunt mortaliter, si malint oves morti æternæ exponere, quàm fundos (earumdem ovium vellera, quæ fortè irrecuperabilia nunc sunt) cedere Heterodoxis.

L. *Cur baculo Prælati utantur.*

Vita ovium velleribus sunt præponenda.

conscientia divitiis, & religio Ecclesiasticis bonis.

Considera rem, PRINCEPS OPTIME; & si me amas, mireris mecum esse homines quibus tanti stet tota tellus, ut illam maioris unâ animulâ faciant. Non sic ego. Animabus securitatem providendam existimo, cavendam hæresim, quietem & pacem procurandam. Eme hæc omnia vili precio, si potes; si non, terram ne cura, cœlum emis; & parva cœli portio, si totius telluris pretio vænit, parvi vænit. Sic sentio. Sic ante centum annos sensit Eminentissimus Truchsessius, cuius mentem & protestationes Disputatio subsequens radicitur examinabit.

LI. *Pluris facienda cœli minima portio tota terra: cùm defenditur religio, cœlum emitur.*

DISPU-

Wir Ottho von Göttlicher Erbärmd/der heyl: Kirchen Priester/Cardinal/vnd Bischoff zu Augspurg/ꝛc. Bekennen vnd erklären vns hiemit dieser vnser Handschrifft / daß wir allen geliebten Frieden würcklich befürderen/ vnd für vns trewlich halten wöllen/auch gegen Jemand nichts feindlich fürnemen / darneben aber erklären wir vns von Mund vnnd Hertzen daß wir in fürgehalten Notel vnnd Mittel/ die Religion, vnnd was derselben anhangt/ in dogmatibus, jurisdictionibus & personis betreffend weder viel wenig bewilligen könden oder wöllen / sondern verhoffen bey vnser Pflicht/so wir der Päbstlichen Heyligkeit/vnd dem Römischen Stuel zur Rom / auch der Käyserl. Mayst. vnd dem heylichen Reich gethan/in allen Puncten vnd Artickeln vnverletzt vnd vnwiderbrechlich zu bleiben. Ehe wir auch vns darauß in einige Tractat einlassen/ ehe wöllen wir vnser Leib vnnd Leben / vnnd alles / was wir auff Erdreich haben/standhafftiglich verzeihen / vnnd wöllen vor Gott vnd der Welt hiemit vns außtrückenlich vorbehalten / bey vnserm Ayden vnnd Pflichten / wie ein bestendiger Christ vnd gebohrner Teütscher biß in Todt zuverharen.

Actum Augustæ in Palatio meo Episcopali die 23. Martij Anno 1555.

Idem Ottho Cardinalis & Episc. Augustanus &c. proprâ manu scripsi & subscripsi.

Vbi in totâ hac protestatione vel verbum de bonis Ecclesiasticis?

LIV.

Diggressio de linguâ Germanicâ.

Interponere verba latina in sermone vulgari vitium est.

Lego Protestationem totam; & obiter Germanicæ linguæ condoleo, eleganti & illustri, & tamen ab indigenis Germanis contemptæ. An non sciebat Otho *dogmata, iurisdictiones, & personas* dicere in linguâ maternâ? Annon poterat locum, mensem, & diem Germanicè denominare? An-ne suum ipse nomen & dignitatem vulgariter non valeret efferre? Valeret quidem, sed videtur se voluisse accommodare imperitorum labio; solent enim hujusmodi barbarismos committere homines ignorantes, qui volunt periti videri; nec frustra, nam duobus aut tribus terminis latinis male positis lucrantur admirationem vulgi. Antiqua est fateor hæc barbara eruditio & à fœminis Romanis introducta, quæ in græcissante urbe, videbantur supra reliquas sapere, si Græca Latinis immiscerent. Infecit ista lues nostra ætate viros etiam egregios, qui utuntur vocabulo Græco nonnunquam, ubi Latino proprius & eloquentius possent. Transivit in Hispaniam etiam, in quâ fœ-

Et id valde antiquum apud fœminas.

Et hodie adhuc grassatur, in Hispania in Germania

fœminæ, sicut Romanæ olim Græca Latinis, sic etiam ipsæ Latina Hispanis immiscendo, aperiunt viam, quam indocti sequantur. Vnde hoc vitium in Germaniam irrepserit, non scio, at similitudo contagionis persuadere videtur, exordium à fœminis sumpsisse & inde ad imperitos derivari. Exstat Hispanus liber qui inscribitur *Latinigarrula*, in eas invectus, quæ eloquentiam Hispanicam Latinis barbarismis maculant; quem si vel semel legerent nostri Germani ab hoc vitio abstinerent. Sed quia faciliùs lues contrahitur, quàm virtus adquiritur, hoc ipsum vitium, in quod animadverto etiam Hungaris & Mahomethanis communissimũ est, testor Archiabbatiæ Præpositum, apud quem vidi Hungaricam Epistolam, missam à Gubernatore Mahomethano, & his verbis conclusam. *Data in Alba-regali.* 14. *Ianuarÿ. anno* 1647. *Kegyimednek Ioakaro szomsedbarattiay, Mahomet Aga.* hoc est, *vestra Dominationis bonus amicus & Vicinus Mahomet Dux.*

La Latini parla h. e. Latinigarrula, liber Hispanus.

Hoc idem vitium ad Hungares & Turcas transiit.

LV.

Imò & ad Gallos etiam, & ad Comitia publica Monasteriensia.

Sed cur ita digredimur & in verba tam seriò animadvertimus, cùm de rebus gravissimis agitur? Quoniam hæc controversia in gratiam Monasteriensium Legatorum suscepta, carpit Gallorum calamum, qui in Latinis litteris *Messieurs* nominant, quos *Dominos* potiùs deberent. Prodierunt multa in ipsos, sed clarissimi N. epigramma laudem meruit.

Diggressionis conclusio: & ad rem ipsam reditus.

Quibus consideratis tenendum tam peccasse Othonem Augustæ Latina Germanicis miscendo, quàm Legatos Galliæ Monasterii immiscendo Latinis Gallica; nam idiomata tractanda sunt castè, nec debent diversa immisceri. Sed quoniam hæc notasse sufficit, ad rem redeo, & Protestationem, hanc ipsam Latino scribo calamo.

LVI.

Vbi iurisdictionibus & personis pono, iurisperiti Dilingani in sua pace Religionis illustra, iurisditionibus rebus & personis exscribunt, & ex illo vocabulo adfictio ad bona Ecclesiastica protestationem hanc extendunt: an bona fide? viderint

Nos Ottho Dei misericordiâ S. R. E. Prasbyter Cardinalis & Episcopus Augustanus &c. Fatemur ac declaramus hoc nostro Chyrographo, quod omnem amatam pacem efficaciter promovere, & ex nostrâ parte fideliter seruare velimus, neque erga quemlibet hostile aliquid moliri: Iuxtà hoc autem profitemur ore & corde, quod in propositas notulas, seu media Religionem attinentia, & quidquid ei adhæret in dogmatibus jurisdictionibus, ac personis, multum vel parum consentire neque possumus neque volumus: Sed speramus nos in Iuramenti nostri vinculo. quod Pontificia Sanctitati ac Romana Sedi & Cæsarea Majestati, Sacroque Imperio præstitimus, in omnibus punctis

punctis & articulis illæsos, & inviolatos esse permansuros: Acpotiùs, quam contra hoc in aliquem tractatum consentiamus, Corpus, Vitam, & quidquid in terris habemus constanter derelinquemus. Idque coram Deo, & toto mundo bis expressè reservatum nobis volumus, quod in juramenti nostri Vinculo ut constans Christianus & natus Germanus, usque ad mortem perseverabimus. Actum Augustæ in Palatio meo Episcopali die 23. Martij 1355.

Idem Ottho Cardinalis & Episcopus Augustanus, &c. propriâ manu scripsi, & subscripsi.

Si obiicias contra hanc translationem, Iureperitos illos in Pacis libro, quem citavi, *in dogmatibus, jurisdictionibus, rebus ac personis*, habere, respondeo illud *rebus* non legi in ipso autographo, adeoque aut irrepsisse in translationem, aut interpretem negligentiæ, aut si feveriùs, infidelitatis culpandum. De dogmatibus, jurisdictionibus, & personis agit Otho, non de rebus aut bonis Ecclesiasticis. Defendendo antiquæ Ecclesiæ dogmata, hæresi invadenti se opponit; & jurisdictionem tuendo reservat Apostatás puniendi potestatem; protegendo personas, vitat, ne deserere Catholicam regionem cogantur. Hæc cœlestia sunt, & quæ cedi non debent; unde Catholicissimus Vir, ut ostenderet se non de terra & rebus caducis disputare, subiunxit, *Potiùs quàm contra hoc in aliquem tractatum consentiamus, corpus, vitam, & quidquid in terris habemus constanter derelinquemus.* Ergo paratus erat omnia bona Ecclesiastica (hæc enim in terris habebat) perdere potiùs, quam novam hæresin in suo Episcopatu permittere. Falsum est igitur illum pro Ecclesiasticorum bonorum defensione protestatum, cùm evidenter ostendatur, eumdem contra bona eadem protestari, personat enim omnia se bona (qui omnia dicit nihil reservat) velle prius perdere, quàm aliquid contra suæ ecclesiæ dogmata, iurisdictionem aut personas. Condolendum igitur Cardinali est, contra suam mentem à defensoribus alterius sententiæ traducto.

Hinc potest directè responderi Quæstionis titulo; quam ob rem sit

nam Germanicum originale apud ipsos illo vocabulo rebus apertè caret.

NOTA
Si vult pro religione perdere Cardinalis, quidquid habet in terris, etiam perdere vult bona Ecclesiastica: hæc enim & fortè sola, habet in terris.

LVII.
Error Interpretis.

Cur reservaverit Otho dogmata, jurisdictionem, & personas?

Protestatur se paratum bona Ecclesiastica perdere: non ergo est pro illis protestatus.

LVIII.
Notentur singula.

CONCLUSIO I. *Otho verè & authenticè contra Diploma, quod PACEM RELIGIONIS nominant, protestatus fuit; non nomine Summi Pontificis, sed proprio; non in quantum illud reliquos Imperij circulos concernebat, sed in quantum Episcopatum Augustanum, paratus potiùs perdere omnia bona Ecclesiastica, quàm permittere novam Lutheri heresin.* Omnia constant ex dictis. Sed cur Cardinalis Moronus ad Augustana hæc Comitia Legatus non exhibuit suam protestationem nomine Summi Pontificis? ipse viderit.

CONCLUSIO II. *Cùm non posset aliter novæ Confeßioni obviam ire, quàm retinendo iurisdictionem & personas, maluit potiùs mori, & omnia bona Ecclesiastica perdere, quàm iurisdictionem quâ posset animadvertere in personas, quæ à nostrâ religione deficerent; quàm perdere personas catholicas, quæ si alij subessent, verosimiliter poterant in heresin aut cogi aut induci.* Etiam hæc omnia ex literâ Protestationis constant.

CONCLUSIO III. *Otho, adamanti similis usque ad mortem in suâ Protestatione permansit.* Hanc probaturi ad ejus mortem percurremus, & concomitanter etiam duas primas Conclusiones firmabimus.

Iulij III. obitus.

Sedebat Romæ Iulius III. obiitque die XXIII. Martii ejusdem anni MDLV. adeoque Otho, unà cum Legato Apostolico, Cardinale Morono, ad novi Pontificis creationem Romam adiit. Henricus Spondanus ad annum 1555. num. 4. *Miserat quoque, ait, ad hæc Comitia Iulius Pontifex Cardinalem Moronum cum mandato ut Germanos Angliæ exemplo hortaretur ad agnoscendam Romani Pontificis authoritatem. Verùm is Augustam vix pervenerat, cùm auditum est de morte Iulij: quo factum est, ut idem confestim unà cum Cardinale Augustano Truchseßio, Romã reverti ad successorio electionem festinaverit.* Ecce quanti à Morono tota Germania facta; quanti in ipsâ Religio. Et quidem meo iudicio graviùs negotia Augustæ quàm Romæ videbantur urgere magisque præsentiam eiusdem Cardinalis præstolari. Romæ enim erat creandus Iulio III. successor, Augustæ Religio defendenda: cùm tamen Papæ creationi essent plurimi Romæ, defensioni Ecclesiæ, Procurator Truchsessii, nullus alius. Hoc ego centies audio, & centies urgeo;

Angliæ conversio auget spem convertendæ Germaniæ.

Moronus necessarius fuit Augustæ, non Romæ.

urgeo; non enim tolerare possum tanti privatas commoditates fieri ; gloriam Dei publicam tam parvi. Si dicas Moronum Iulii Legatum , merâ morte Pontificis exauthorari , nec habere cur hæreret Augustæ , non adquiesco , quoniam eiusmodi causæ non Pontificis , sed nomine Ecclesiæ tractantur , quæ non moritur. Prodest Brulardi acumen , ex Galliæ regno ad Pontificatum transferre. [Statim ab excessu Henrici , aut Gramondus , metu & horrore perculsis animis Regina Brulardum Cancellarium acciri iubet. Ille ubi viduam audit , *Regem occubuisse*, inclamantem , infractâ constantiâ inhibuisse lachrymas fertur, in hæc verba , *Nusquam mori Reges in Galliâ: Henrico in casum dato stare Ludovicum , cuius saluti prospiciendum non lachrymis , sed authoritate & concilio. Principes , qui homines sunt, vitâ destitui; Rempublicam æternam esse.*] Audio , & Cardinalem Moronum moror, reducem in Italiam. Percontor rationem retrogressûs , & *mortuum Pontificem* audio. Inhibeo lachrymas & infractâ constantiâ respondeo , *Nunquam mori Pontificem in Ecclesiâ Romanâ. Christum in Petro , Petrum in singulis , vixisse , & victurum usque ad excidium Orbis. Iulio ad cælos translato substituendum alium , sub quo laboranti Germaniæ prospiciendum , non fatigatione & excursu , sed consilio , stabilitate , authoritate. Pontifices , quà homines sunt , vitâ destitui ; Ecclesiam Catholicam æternam esse.*

Rex non moritur.

Bartholmæus Gramond in Historia Ludovici XIII. libr. 1. ann. 1610. pag. 4.

Papa non moritur.

LIX.

Sed quî Iulium perdidimus ? Spondanus. *Mortuus est* , inquit , *in Vaticano decimo Calendas Aprilis , ætatis anno sexagesimo septimo, mense sexto, die decimo quarto, Pontificatûs anno quinto, die quadragesimo quarto.* Si morbum quæram , quoniam potentes laborant pluribus, præsto erunt multi, qui in Pontificem ausi. Idem Author. *Mortuus est .... ex febre , quàm ex mutatâ imprudenti medicorum consilio , ad arcendos intolerabiles podagræ cruciatus , vivendi ratione contraxit.* O humanam vitam ! Etiam homo medicinis occiditur ; & pharmacis , quibus recurari poterat , salutem pendit. Abeste valetudinis curæ. Si doloribus urgear, vitæ rationem quam monastica humilitas & Regula Benedictina præscribit, non mutabo, instabo communi exercitio, vacabo

Ratio toleranda Vita cum periculo summo mutatur. Hinc colligo Carthusianis carnes fore nocivas in morbis.

Deo & Reipublicæ, ne mutatâ vivendi ratione morbus meus in mortiferum transeat. Sed & aliam Panvinius *In Iulii vita* producit mortis causam, quam à nonnullis constanter affirmatam ait. *Nimirùm, quòd cum à fratre suo Balduino ardenti obtinendi Camertii oppidi desidero æstuante, de eo sibi concedendo urgeretur continuò, intellexissetque Iulius omnes ferè Cardinales suæ sententiæ adversaturos; ne cogeretur à Fratre Consistorium habere, languorem finxerit, utque rei fidem faceret, solitis cibis abstinere & ægroto aptos, parcimque sumere cœperit, cùm priùs rusticis & crassioribus cibis delectaretur: atque ex eâ vitæ ratione ludibrio commutatâ, morbum seriò contraxerit, qui eùm iam senem brevi absumpserit.* Et docemur nihil sano corpori perniciosius pharmacis & medicinis. Vidi aliquos, Viros etiam Illustres, morbos affectare; infirmitatem ipsam ad authoritatem traducere; à curis eximi; lautiùs tractari; & sic iusto summi Medici iudicio occidi. Sed nondum morbum scio qui Iulium abstulit. Progreditur citatus Spondanus & vulgo aurem inclinans, ait, *sunt etiam qui dicunt eum veterno interiisse* (est autem Veternus, græcè Λήθαργος, morbus mortifer, ex nimio otio perpetuum somnum inducens) *cùm ut idem etiam Author narrat, externa quæque parum curans, fruendo potiùs quàm regendo Pontificatui incumberet, totusque esset in extruendâ, elegantissimâ ad voluptuarios secessus extra portam Flaminiam Villa Iuliâ, cuius insanire studio videbatur; in qua conviviis potius quàm publicæ procurationi vacabat. Qui si vitæ, quam privatus egerat, institutum constanter in Pontificatu servasset, multaque eo tempore depravata erant, fuissent haud dubium in meliorem formam restituta. Sepultus est autem in Basilica Sancti Petri exigua Pompâ.* Ecce summi Pontificis suæ valetudinis studiosi, mors scitur, morbus nescitur: & ego valetudinis meæ negligens aut incurius morbum cognoscere ante mortem putabo? Non existimo. Ergo valete medicinæ; mortuo homini, aut morbo ignoto non prodestis; & si morimur priùs quàm innotescat morbi species, frustra herbario apparatui confiditur.

Morbi affectati in veros transeunt.

Veternus morbus qualis sit?

Iulii luxus & negligentia.

LX.

Ioannes Sleidanus ad ann. 1555. libr. 26. his verbis hanc historiam

ſtoriam perſequitur. *Octavo poſt Moguntinum die, qui Martii dies erat XXIII. Obiit Iulius III. Pontifex. Veterno dicitur interiiſſe. quia tam citò recuperaverat Angliam, vt ſupra dictum; ingentem de Germaniâ quoque ſpem concepiſſe creditur: ideoque Cardinalem Moronum amandaverat, qui poſtridie quam ipſe mortuus eſſet, Auguſtam ad Comitia venit:* [Ecce Moronus Cardinalis ſpecialiter ad Comitia venerat; & ut hodie Fabius Chiſius Epiſcopus Neritonenſis Monaſterii erat negotia publica nomine Eccleſiæ tractaturus.] *Sed intra diem octavum, accepto eius rei nuncio, Martii die poſtremâ rurſus illinc diſcedit, & unà cum Cardinale Auguſtano Truchſeſſio Romam Electionis causâ contendit.* [Sed cur non edidit proteſtationem aliquam ante diſceſſum; Cur tam feſtinus? ſemper video publica privatis poſtponi; nam qui elegerint Pontificem Romæ, multi erant; qui agerent cauſam Eccleſiæ Auguſtæ præter Truchſeſſium, qui etiam diſcedebat, nullus erat] *Qui Romæ erant Cardinales non exſpectatis aliis accelerabant, & Aprilis die nonâ Papam renunciant Marcellum eius nominis ſecundum. Is eſt, qui cum Cardinale Farneſio Legatus fuerat miſſus ad Cæſarem à Paulo III. ſicut libr. XIII. docuimus. Auguſtanus Cardinalis diebus aliquot antequàm Romam iret, per epiſtolam in ſenatum Principum ac Legatorum miſſam cupere ſe quidem omnibus modis pacem oſtendit; ſed ut conſilium ullum ſuſcipiat, quo ſedis Apoſtolicæ dignitas & vetus Religio violetur, non ſe commiſſurum.* Ecce ſe pacem cupere non ſolum dicit Truchſeſſius; ſed & Sleidano teſte oſtendit, nec dicitur bona terrena curare, ſed dignitatem Pontificiam quam Lutherani tollunt, & Religionem veterem, quam invertunt.

Cardinalis Moronus Auguſtam venit.

Vna cũ Truchſeſſio Romam redit.

Marcellus Papa eligitur.

quis ipſe fuerit.

At nihil omnino apud Sleidanum;

Conſonat Aug. Thuanus libr. XII. Hiſt. ann. M.D.LV. ***Cùm ſub idem tempus,*** ait, ***de Iulii Pontificis morte allatum eſſet*** (nuncium) ***Moronus, qui ab eo miſſus in Germaniam venerat, ſtatim converſo itinere Romam, ut novi Pontificis electioni intereſſet, rediit cum Othone*** ***Truch-***

LXI.

Immò neque apud Thuanum de bonis Eccleſiaſticis lego.

rerum agendarum initur. Quæritur primò, An debeat illa domus emi? an iste fundus vendi? Quæritur secundò, An debeant abstinere à carnibus? An petere uxorum ducendarum licentiam? An quartum votum emittere? In primo casu dico debere rem numero suffragiorum decidi, quoniam emere aut vendere, actiones sunt, quæ à nemine privato fieri possunt; debent omninò aut non fieri, aut fieri à corpore majori vocum numero prædeterminato. In secundo resolvo Petrum, si solus sit qui nolit abstinere à carnibus (diebus Dominicis ex. gr. hoc enim illas die Ordo Religiosis concedit) vel si nolit ineundi matrimonii postulare licentiam, aut quartum votũ emittere, etsi omnes alii nemine dempto resolvant aliter, posse protestari, nec illorum decreto aut sanctione teneri. Hæc doctrina communis est, & quæ traditur ab Innocentino *c. cum omnes n. 3. de Constit.* *& in c. humilis num. 1. de maior. & obed.* Ioannes Andreâs *c. in nostra. num. 4. de injuriis.* Abb. *ibidem.* Glossâ & Bartholo *in l. 2. C. de in ius vocando.* Baldo *in l. 1. ff. de magistr. conveniendis*, cujus verba pulchra sunt, & digna, quæ exscribantur: *Si actus*, ait, *pertineat ad jura Universitatis* (hoc est, Cõmunitatis aut Collegii) *quod fit à parte majore, ratum esse oportere; sin autem actus non pertineat ad jura Universitatis, tunc solùm præsentes ac consentientes obligari.* Confirmat hanc doctrinam Glossa *in l. 2. C. quæ sit longa consuetudo*, quæ sic habet, *Et si millies consentiat major pars ut ego tenear, non ideò tenebor.* Et Authores *in l. per fundum 11. ff. de servitutibus rust. præd.* & Iuris Canonici Regula XXIX. *Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet*; eo nimirum modo, quod omnes tangit: debet enim ab omnibus in communi sumptis approbari, si tangat omnes in communi: & debet ab omnibus & singulis in particulari, si tangat omnes & singulos non in communi, sed in particulari. Cui consonat Regula Civilis XI. *Id quod nostrum est, sine facto* (decreto) *nostro, ad alium transferri non potest*, nimirùm expositione accommodâ. nam illud quod est nostrum in communi, debet transferri ad alium decreto nostri collegii, quod in plurium voluntate fundabitur: at illud quod est meum in particulari, non transibit ad alterum ex aliorum decreto; meo enim consensu deficiente, consensus omnium nihil est; & me volente, consensus reliquorum superfluus est.

LXXXIII. *De iure mixto.*

SECUNDA. *Præter jura communia & privata, dantur etiam mixta, quæ utramque rationem participant.* Talis est in Ordine Benedictino cohabi-

cohabitationis professi Religiosi jus; ipse enim habet jus privatum cohabitandi reliquis, & Communitas jus publicum illum retinendi; adeoque non ago de culpis, pœnisve; hæc enim jura reliqua alterant) nec volens potest discedere à Conventu invito.

LXXXIV. *Privata ex pacto convertuntur in publica.*

TERTIA. *Potest proponi pactum in aliquo conventu, quod talia puncta*, (ago de indifferentibus; non enim in deliberationem proponi possint certissimè peccaminosa; ut sunt homicidia, fornicationes, hæreses) *tametsi singulos speciatim respiciant, plurium suffragio decidantur. Hoc pactum, cùm sit contra singulorum privatum jus, à singulis debet admitti. At eo semel admisso, illa puncta singulos è plurium decreto obligabunt.* Sic possunt Religiosi Benedictini contrahere, ut ne sit morum difformitas, si plures velint abstinere à carnibus, pauciores teneantur adquiescere. Et si hodie hoc pactum omnes nemine dempto amplectantur, cras in hac materiâ stare debebunt plurium resolutioni.

LXXXV. *Pax pertinet ad bonum publicum.*

QVARTA. *Pax publica bonum commune in communi concernit, adeoq; plurium vocibus contra pauciorum voluntatem admitti debet.* Patet, quia nemo Germanus in particulari habet jus impediendi bellum publicum, adeoque nec pacem publicam; cum eadem sit ratio utriusque. Unde, siquidem invito hoc vel illo privato Principe, liberum est Imperio ex plurium decreto juxta mores & leges præscriptas bellum movere aut non movere, Imperii erit per modum corporis sumpti pacem publicam dare, etiam invitis quibuscumque, modò vel vocem decisivam non habeant; vel si habeant, sint reliquis aliis pauciores.

LXXXVI. *Potestatis plenitudo erga bona subditorum.*

QVINTA. *Imperium (cùm periclitatur bonum publicum) de bonis & juribus subditorum, quamvis ipsi consentire nolint, validè & licitè disponere potest si necessitas sit gravis: si sit extrema, debet.* [Fortè etiam debebit, si sit gravis; sed hoc non urgeo.] Scio hanc Conclusionem controverti apud Iasonem *in l. Gallus. §. & quid in tantum. num. 80. ff. de liberis & posthumis.* notari à Glossâ *in marg. in l. 2. C. de in ius vocando.* Sed esto, aliqui soli Imperatori hanc authoritatem dare nolint; illam toti Imperio, per modum unius corporis sumpto nemo prudens negaturus est, ni velint consequenter dicere bonum privatum præire bono publico, &

præ-

præstare universos perire, quàm unius compesci contumaciam.

Hinc patet Principem Electorem Brandenburgicum cogi posse, ut cedat Suecis Pomeraniam, si Imperium plurium vocibus pacem publicam admittat, & hunc articulum statuat. Anne tenebitur Imperium illi compensationem facere? In meâ morali Theologiâ isti per omnia similem quæstionem in utramque partem ventilavi, & conclusi standum moribus, & debere fieri, quod in similibus casibus factum.

De Pomerania & Electore Brandenburgico.

SEXTA. Imperii authoritas & jurisdictio, in Cæsare tanquam Capite, in Electoribus tanquam immediatis Corporis Cæsarei membris consistit. [*Cæsarei* dico, non *Cæsaris*. In hoc enim hallucinantur Authores. Vide Georgium Ludovicum *Monit. Politic. tit.* 24. *mihi pag.* 435. & alios apud ipsum.] *Quamobrem cùm isti partim Ecclesiastici, & partim sæculares sint, Imperii authoritas videtur non esse purè sæcularis, sed mixta: quà sæcularis subdita Cæsari; quà Ecclesiastica, summo Pontifici.* Hæc Conclusio meditatione indiget, & ideo illud *videtur* positum; non enim sententiam præcipito, cùm pronuntio quæ tametsi negata ab aliquibus, visa rationi consentanea. Noto tamen eâ probabilitate aut improbabilitate, quâ dicatur Imperii authoritatem esse mixtam, debere dici ex potestatis plenitudine posse non solùm de bonis sæcularibus, sed etiam de Ecclesiasticis absolutè & directè in extremâ necessitate aut etiam in gravi disponere. Sed quia hanc sextam Conclusionem malo proposuisse quàm asseruisse, illam aliis discutiendam relinquo, & ad certiora transeo.

LXXXVIII.
Corpus Cæsareum Imperium est, cuius caput est Cæsar, membra immediata sunt Electores, mediata verò alii Principes, Nobiles & Particulares.

SEPTIMA. Resolvere An arma debeant sumi & vi Ecclesiastica bona defendi, non singulorum, sed Comitiorum est. Et demonstratur. Quoniam nemini privato Principi licet aut bellum gerere, aut bello publico finem imponere. Nec urget, quod Cæsar promiserit Ecclesiam brachio sæculari defendere; quoniam id promisit, intra suæ potestatis limites, & juratas constitutiones Imperii. Hinc est, quod tametsi Ego in Palatinatu Abbas protester me velle defendi, si in Comitiis Imperii decernatur expedire bono publico me non defendi, iubeaturque Principibus ne me defendant, debeant illi me omninò deserere, & Comitiorum Decreto Generali obedire.

LXXXIX.
Bellum non ad privatos, sed ad imperium pertinet.

Exponitur promissio Imperatoris.

OCTA-

XC.
Lutheranis non datur usus iuris, sed usus facti.
Usurarius furatur impune.
An omnes usurarii sint fures?
An montes pietatis usurarij?

Octava. *Decretum, quo Imperium Lutheranis bona Ecclesiastica, sibi* (nempe, Imperio) *non subjecta* (de his ago, non de subiectis, si qua sunt) *permittit, non transfert in ipsos aliquod verum dominium, sed Impunitatem tantummodò, & extrinsecam securitatem.* Solet hoc, exemplo usurarum ostendi. Quoniam Civitas, quæ Usurario immunitatem permittit, non concedit ne fur sit, sed ne ob usuras, quæ vera sunt furta, puniatur. At quia dubitare quis posset, An Usurarii, si permissi, furentur? nam & Montes pietatis sæpe crudiùs tractant particulares, nec tamen de peccato accusantur; transeo ex materiâ pecuniariâ, Reipublicæ subditâ, & alia juris strictioris propono. Quando permittuntur Iudæi, nihil illis conceditur in foro interiori; nullum ipsi etiam positâ concessione habent jus, ne in Christum credant; at habent extrinsecam Impunitatem, vi cujus ad nostram Religionem compelli non debeant. Eodem modo de hæreticis philosophandum est, non enim concedi illis potest ut licitè Ecclesiæ decredant; bene tamen ut impune & secure. Et eodem etiam modo de meretricibus & omnibus peccatricibus publicis, quæ in multis provinciis tolerantur.

Quid Iudæis concedatur?
Quid hæreticis?
Quid aliis.

XCI.
Datur etiam suo modo potestatis plenitudo in Ecclesiâ.

Nona. *Sicut Imperium de potestatis plenitudine potest quemcumque invitum bonis exuere, si fuerit necessarium; sic Ecclesia seu summus Pontifex.* [Aut fortè etiam Imperium, si credatur ab Ecclesiâ & Pontifice talem habere authoritatem.] Patet; quia bonum publicum debet anteponi privato. Et ratio quæ particularium sæcularium bona subiicit Cæsari & Imperio, eadem urget ut Ecclesiasticorum particularium bona Pontificis & Ecclesiæ plenitudini potestatis, si sit necessarium, subdamus.

XCII.
Quid debent Monasterii Legati Ecclesiastici facere.

Decima. *In Monasteriensibus Comitiis nec summus Pontifex, nec ejus Legatus, nec Ecclesiastici Electores, aut particulares Episcopi possunt Hæreticis donare Ecclesiastica bona, sed potiùs debent protestari.* [Nota singula verba.] *Tenentur tamen non impedire, ne illa illis Imperator in extrinseco foro permittat.* Relegenda est, & bene intelligenda hæc Conclusio. Probo priorem partem. Quoniam plenitudo potestatis, quam Conclusio IX. statuit, non aliàs habet locũ, quã in necessitate; ac Impræsentiarũ nulla urget necessitas, ut bona Ecclesiastica Lutheranis donentur; summa urget ut permittantur: permitti igitur & cedi possunt, donari non possunt; quoniam Hæretici, non

petunt

ſed ſunt uſu facti contenti. Hinc naſcitur probatio alterius partis. Nam conſervanda eſt Religio Catholica in Germaniâ; ergo ſi ad hoc omnino neceſſarium ſit ut poſſeſſio extrinſeca & injuſta bonorum Eccleſiaſticorum, aut etiam ſæcularium, quæ per injuriam uſurparũt, de relinquatur Lutheranis; hæc debet eis relinqui, peccabitque qui poſſit facere & non faciat; & peccabit, qui impediat.

XCIII. *Religionis diſcretio non ad Comitia, ſed ad ſingulos pertinet.*

VNDECIMA. In Pace Religionis (hoc eſt, in materiâ Fidei vi cujus iſte vel ille deberet eſſe Hæreticus) cauſa non pertinet ad Comitiorum corpus, ſed ad ſingulos in particulari: adeoque nemo cogi poteſt invitus ut veram Religionem deſerat, & falſam amplectatur. Hinc eſt; ſi diſponeretur ſubditum debere ſequi Domini religionem, non pronuntiari jus, nec ſubditum præcepto obſtringi (non enim quis moraliter obligari poteſt, ut hæreticus ſit) ſed tantùm ob bonũ maius tolerari, ut Dominus ſuos impunè ſubditos ad ſuam Religionem compellat, nec illi poſſint protegi aliquo brachii ſæcularis auxilio: quibus non obſtantibus relinquitur ſubdito moralis libertas, & divinitus poſita obligatio, vi cujus deſertus ab Hominibus teneretur cedere potius bonis & fugere, aut aliàs martyrium pro Fide Catholicâ pati. Nota tamen jure emigrationis conceſſo pericula proxima fuiſſe ſublata, ut uberiùs oſtendemus inferiùs à num. 176. nemo enim bonis cedere cogitur, nemo martyrium pati. Cæterum, ſi (Deus id avertat) Imperator eſſet Hæreticus, & omnes etiam Electores à noſtrâ Religione deficerent, & communi ſuffragio juberent aut decernerent, quod eſſes Lutheranus, illorum decretò nullatenus obligareris; habes enim perſonale præceptum divinum credendi Religioni Catholicæ, & decredendi hæreſi, in quo non ſummus Pontifex, non Cæſar, non Comitia, non Homines, non Angeli habent authoritatem diſpenſandi.

Hinc eſt, quod Cardinalis Otho in Comitiis illis Cæſareis potuerit proteſtari, nec articulos, qui Fidem impingerent admittere; notandum tamen hanc proteſtationem non extendi ultra Epiſcopatûs ſui terminos, nec alios Prælatos non proteſtantes tetigiſſe; tametſi per accidens univerſis in quopiam articulo profuerit, ut vidimus num. LXXV.

XCIV. *Cæſar & Rex Romanorum à causâ religionis ſe ſubtrahunt.*

DVODECIMA. Prudentiſſimè Carolus V. & poſt eum Ferdinandus I. pacem Religionis ſingulis admittendam aut reiiciendam commiſere, nec voluere aliquid jubere; ne viderentur plenitudine poteſtatis abuti.

Et quidem totam causam illos Statibus Imperii commisisse ex multis Diplomatibus constare potest; quoniam Carolus V. in Instructione suâ Ann. M.D.LIV. scriptâ, apertè asserit nullam sibi in jurisdictionibus Ecclesiasticis potestatem competere. Videatur Diploma B. Impressum Dilingæ Ann. M.DC.XXIX. §. Dieser Artickul. Jureperiti, qui Pacem Religionis illustrarunt, De compositione pacis *cap. 10. quæst. 67. num. 8. §. secundum*, inquiunt. *Quòd Cæsar Carolus liberandæ conscientiæ causâ noluerit suam authoritatem interponere in Pace Religionis statuendâ, ut supra etiam monuimus quæst. 23. & infra apparebit in Append. lit. D. Neque Rex Ferdinandus I. ullâ ratione se adduci passus est, ut discrepantibus ac diu contendentibus inter se Catholicis & Confessionistis, Articulos Pacis suâ authoritate definiret ac stabiliret; sed omnia per consensum & pactum ipsorum Episcoporum peragi debebant.* Et inferiùs num. 31. *Quod Cæsar Carolus, & Rex Ferdinandus I. noluerint suâ authoritate causas istas de libertate Religionis, & suspensione Ecclesiasticæ jurisdictionis, &c. definire. Sed omnia per Episcoporum consensum ac pactum perfici debuerint; quod Confessionistæ ipsi fatentur.* Et in quâdam Epistolâ Conradus Brunus, *Pro oneroso reputatur, quod Cæsarea Majestas (sicut antè Ann. XLIV. factum est) quidpiam in se suscipiat; Episcopi enim totum agere debent.* [Et in Epistolâ, quam dedi num. LXXI. *Cùm negotium istud valde grave sit, à quo etiam Cæsarea & Regia Majestates* (Carolus & Ferdinandus) *abhorrent, noluntque se nimis immiscere, &c.*

QUÆSTIO IV.

An Cardinalis Otho reservaverit sibi jus armis recuperandi & manutenendi Religionem, Iurisdictionem, & Personas: an verò iure armis defendendi illas cesserit, iusque solius interioris fori retinuerit?

XCV. *Suspiciones cōtra Cardinalem Truchsessium Immò & libellus scriptus;*

EX Protestationis litterâ non statim colligi poterat Cardinalis intentio; qui cùm Romam adierit, auxit suspitiones & metus; ita ut & libellus prodierit inclamans ab illo Romanum Pontificem Paulum IV. aliosque externos Principes & Reges Catholicos ad bellum Germanicum contra Lutheranos suscipiendum sollicitari. Hunc libellum Iureconsulti, qui Pacem Religionis illustrarunt, *cap. 11. quæst. 67. num. 9.* FAMOSUM inconsideratè nominant; nescio enim, an inglorium fuisset Othoni persuasisse Principibus Europæ Catholicis expeditionem illam, quæ ad Dei majorem gloriam videbatur omninò necessaria. At

An famosus ille fuerit?

Car-

Cardinalis erat homo pacificus & imbellis, nec volebat ense vendicare sua jura, ut constat ex Apologiâ, quam Augustæ edidit XXVII. Maij, Anno M.D.LVI. Hic Parragraphus est specialiter considerandus.

Apologia Truchsessii.

Soviel aber/rc. Wie wir dann unser bekandnuß und Erklärung auff jüngst zu Augspurg gehaltnen Reichstag in einer sondern durch uns ubergebnen Schrifft / und folgendes durch unsere Räth für un für/ unserer hohen Notturfft und gewissen nach/ und sonst niemand zum Nachtheil/ bezeugt haben / bey solcher Meynung gedencken wir mit Hülff und Gnad deß Allmächtigen/ hinführo allweg biß in unser Ende zu bleiben/ und uns in nichten/ das unser Pflicht / Ehr/ und Ampt zuwider/ verstanden werden mag/ einzulassen / und uns nit destoweniger gegen Männiglichen in guter beständiger Einigkeit und Frieden erhalten.

Hic nec verbum de Ecclesiasticis bonis.

Sicut nos nostram confessionem ac declarationem in proximè celebratis Augustæ Comitiis, in peculiari per nos oblato scripto, & posteà continuo per nostros Consiliarios, juxtà nostram necessitatem ac conscientiam, & in nullius præjudicium testati sumus. In eâ nos sententiâ speramus cum omnipotentis auxilio ac gratia, imposterum semper, usque ad ultimum spiritum nos permansuros, atque in nullo, quod contra obligationem nostram, honorem atque officium intelligi possit, admissuros; nihilominus verò erga quoscunque in constante concordia ac pace perseveraturos.

Se pacem observaturum protestatur.

XCI.

Ut hoc pacis desiderium verti in dubium non posset, contra Hæreticorum dicteria & libellos sparsos, quibus Cardinalis accusabatur, quod voluisset armis protestationem suam defendere, variæ epistolæ scribi debuerunt, quarum tenor ex responsionibus aliquorum Principum colligi potest. Nam inter alios Christophorus Dux Wirtenbergicus die XIV. Iunii Ann. M.D.LVI. respondit ad litteras prædicti Cardinalis, & post aliqua ad libellos & rumores venit, & sic ait.

Truchsessius se excusat apud Electores.

Noto hic pro principali quæstione, Cardinalem non agere de bonis Ecclesiasticis, quia cum VVirtenbergicus illa ambiret, non potuisset nihil omnino dicere, si ea ratio fuisset controversa.

Soviel dann angeregt E. L. Entschuldigung belangt/ were derselben bey uns gar nicht vonnöthen gewesen / dann wir E. L. hiebevor bey uns entschuldiget gehabt und gehalten/ wie dannoch haben / und deßhalben auch mit E. L. ein freundlichs Mitleyden getragen / unnd können E. L. freundlich nicht verhalten / daß uns nach allem freundlichen und vertrawlichen Nachdencken / woher doch diese ungereimbte Beschreyung unnd angegebne Zeitungen

mögen entsprungen seyn/oder jhre Vrsach genommen haben/ fürnemlich/das auch zu gefallen/daß E.L. auff verschienen Reichstag in der tractation vnd Vergleichung deß Religion Friedens durch ein protestation, oder schrifftliche declaration, sich von andern Ständen etwz absöndern wöllen/vnd daß etwann jrrige vnnd vnruhige Köpff daher Nachdenckens geschöpfft/als solte E.L. vor andern angeregtem Fried/ vnd Reichs Abschied so hoch zuwider gewesen seyn/dahero dann vnser freundlichs vnd vertrauliches bedencken were/daß E.L. auff jetzt vorstehenden Reichstag/im Fall dergleichen Handlung fürfallen sollen/ sich durch deren Gesandten erzeigt/vnd die Sachen in allweeg dahin gefürdert vnnd bedacht hetten/damit einmahl zu endlicher Außreittung deß schädlichen verderbten Mißtrawens/alle vrsachen/vnd was demselben in ein oder dem andern Weg/möchte die Hand bieten/Anleytung/Bewegnuß oder Nachdenckens geben/vnd geben/von grund auß vertrewlich/vffrecht/vnd wie bey den alten Teutschen vnd löblich herkommen/vff gehebt/abgeschafft/vnd endlich weg gethan werde.

Quod ad dictam suæ dilectionis excusationem attinet, eam apud nos proponere necessarium non fuisset: Cum antea Dilectionem V. ut excusatam habuerimus, & nunc habeamus: Eamq; ob causam Dilectioni V. amicè condoluimus. Nec possumus Dilectionem V. celare, quod post amicam & fidelem considerationē nostram, unde nam indecens ea infamatio & vulgata relatio ortum habere potuerit, potissimum id quoq; in mentem venit, quod Dilectio V. in præteritis Comitiis, in tractatione & transactione Pacis Religionis, per protestationem, seu scriptam declarationem, se ab aliis statibus separare non nihil voluerit: Et quod fortasse errantia ac inquieta hominum capita & inde cogitationes ceperint, quasi Vestra Dilectio dicta Paci & Comitiis Imperii, præ aliis nimium adversata fuerit.

Hinc constat Truchsessium solum contra Comitia protestatum.

Ea propter amica & fidelis nostra consideratio esset, ut Vestra Dilectio in proximè instantibus Comitiis, si similis tractatus instituatur, per Legatos suos compareat, & negotium omnimodè eo dirigat, ut semel penitus excisâ noxiâ & pernitiosâ diffidentiâ, causa omnes, & quidquid illi (diffidentiæ) *quovis modo ausam præbere, occasionemve aut suspicionem movere potest funditus, fideliter, ac sincerè, secundum antiquum Germanorum morem, laudabiliter tollatur & removeatur.*

Specialiùs loquitur Otho-Henricus Comes Palatinus Rheni, & Consiliariis ad Cardinalem Truchsessium destinatis, XXI. Junii. Ann. M.D.LVI. sic scribit.

Was

Was dann E.F.Gn. entschuldigung belangt/ist nit ohn / daß allerley Geschrey vnd Zeitungen/als solte E.Gn.mit dem Päpst/wider die Christlich vnd Apostolisch wahre Religion in geschwinden practicken stehen/im Teutschland erschollen/vnd solches mit vieler vmbstehenden außgefürt worden/vnd obwohl in Krafft jüngst ergangens Reichs Abschiedts vnd Friedstandts / solches der Röm.Kays. vnnd Kön.M. vnserm Allergnädigsten Herren halb/mit nichten geglaubt/ oder vermuth worden mögen/so ist doch gegen dem Papst / vnd E.F. Gn.neben vorigen erlernten Exemplen vnd andern/darumb nit geringer Argwohn/bey vielen Guthertzigen entstanden/do der Papst berüchtiget worden/wie er den jüngst ergangenen Reichsabschied wider vmbstossen/vnd sein Namen deß Papstumbs erhalten möcht. Was dann E.F.Gn.halb jhre gethane protestation vnd Abscheyden vom Reichstag/auch daß sie deñoch in viel Weg wider die vnwidertreiblich Augspurgisch Confession/so ohne Mittel auff das Gottes Wort gegründt/bißher etwas widerwertig gebaret/ für bedencken erregt/ das hat.E.Gn.bey Jhr selbst vernünfftiglich zuerwegen/ sonderlich weil man noch vngewiß ist/was E.F.Gn.von vermelten Reichs-Abschied vnd Friedstand zuhalten gesinnet sey.

Quod ad Illustrißimæ Celsitudinis Vestræ excusationem attinet negari nō potest, varios rumores in Germaniâ auditos, quasi sua Celsitudo cum Papa contra Christianam Apostolicam (Lutheranam) *Religionē expedita negotia tractet, idque pluribus circumstantiis declaratum fuisse. Quamvis autem, vigore nuper celebratorum Imperii Comitiorum ac pacis compositæ, propter Roman. Cæsaream ac Regiam Majestates, Dominos nostros clementißimos, id nequaquam credi, aut præsumi potuerit; tamen adversus Papam & Celsitudinem V. præter præterita cognita exempla, inter alia non parva etiam inde suspicio mota fuit, quod de Papa rumor sparsus sit, eum proximè editum recessum tollere, suumque nomē Pontificium conservare velle. Quales porro Celsitudo sua cogitationes concitârit propter factam à se protestationem & discessum ex Imperio; & quia aliis quoque multis modis contra irrefutabilem Augustanam Confeßionem quæ absque medio in Verbo Dei fundata est, hactenus se contrarium ostenderit; illud Celsitudo sua secum ipsa prudenter perpendet, præsertim cum & modo incertum sit, quidnam Celsitudo sua de dictis Comitiorum Comitiis & pace sentire velit.*

Ecce iterum pro quæstione principali, ad est Palatinus omniū bonorum Ecclesiasticorum invasor & qui ideo fortè carebat religione, ne divitiis careret; hic audacter in Papam absentem, in Cardinalem præsentem (illi enim scribit) invehitur, & licet Sedem Apostolicam contemnat, & suam Lutheranam religionem exaltet, de bonis Ecclesiasticis, nec verbum ponit. Stat igitur Cardinalem Truchsessium egisse de Religione, & sedis Apostolicæ jurisdictione & authoritate, nunquam verò de Ecclesiasticis bonis.

XCVII.
Conclusionum conclusio.

Ex His Constat *Primò* Cardinalem Truchsessium in pacem Regionis consensisse, non tamen in pacem Religionis. *Secundò* illum nec directè nec indirectè de bonis Ecclesiasticis egisse; non enim erat

hæc quæstio digna, quæ tractaretur ante alias ad Religionem pertinentes. *Tertiò*, totam Cardinalis protestationem usum juris respexisse; vi cujus sine armorum strepitu juridicè servire posset. *Quartò*, non fuisse animum Cardinalis ita jura sua defendere, ut vel ex Italiâ novum bellum in Germaniam induceret; aut pacem, quæ in Comitiis tractabatur, armorum violentiâ percelleret.

XCVIII. *Truchsessius in exemplum ponitur.*

Hæc Cum ita Sit, videat sincerus Lector, quâ ratione Cardinalis Truchsessius pro bonis Ecclesiasticis in Comitiis Cæsareis dicatur protestatus. Rem exposui; Truchsessium, virum Optimum, Religionis defensorem acerrimum, omnium quæ in terris habebat (sic ipse loquitur; & fortè præter Ecclesiastica bona nihil habebat in terris) contemptorem, humana divinis postponentem, pacem & concordiam amantem, jurisdictionem & authoritatem defendentem, personas protegentem, divitias & muros non curantem, in exemplum propono; & pono calamum, satisfecisse enim videor toti difficultati.

EMINENTISSIMO PRINCIPI, ANSELMO-CASIMIRO MOGUNTINO ARCHIEPISCOPO, &c. S.R. IMPERII PRINCIPI ELECTORI, &c. Domino suo clementissimo. S.P.

XCIX.

Promissum Ernesti examen mitto, tametsi non tempore promisso, qui enim discuti posse octiduo creditus, mensem absumpsit; tum quia ille diffusus, tum quia Ego intercidentibus negotiis distractus. Quis nam sit iste Ernestus, nescio; qualis sit,

Ernestus qualis.

sit, confidenter expono. Sanè si phrasi hispanâ uti liceret, dicerem illum esse, *uti santo pecador*, hoc est, *simul peccatorem & sanctum.* Anne sanctitas peccatumque in eodem animo componi possunt? Coëxistere putavit Michaël Bayus, cujus opinionem ad unicum instans contraxit noster Lorca; neutri subscribo, teneo tamen Ernesti præmissam censuram, quam brevi doctrinâ explicabo. Homo duplici potentiâ (intellectivâ, volitivâ) præditus, solet etiam dupliciter peccare; intellectu, cùm invitus ignorat; voluntate, cùm Medææ similis, *videt meliora, probatque, Deteriora tamen sequitur.* Voluntatis peccata cum sanctitate nequeunt compati; quam ob rem, qui Ernestum peccatorem dico, nec sanctitatem illi nego, eumdem mente & non voluntate peccavisse pronuntio. Deum amat, Ecclesiam Catholicam diligit, Pontificem suspicit; rem tamen non percallet, & nulliûs rei indigus miserias non respicit Germaniæ, quam non amat. An & voluntate Ernestus peccat? Non opinor. Affectus enim sæpe homini necessarius est; quò minùs liber, magis insuperabilis. Sed ne sanctum Hominem videar accusare non sanctè, linguam animi indicem, & calamum linguæ esse vicarium supponens, ex ejus libri *sect. V. in resp: ad 6.* aliquas periodos transcribam, quæ sint bene notandæ. *Nec Ecclesia ideò peribit*, ait, *si peccatis nostris exigentibus, Deus à Germanis auferat Regnum suum, & det genti fructum facienti illius.* Solamen lepidum! Affligimur, cædimur, capîmur, interficimur; & omnia hæc constantissimè patimur, ne Ecclesia pereat in Germaniâ; consolationem quærimus, Ernestum reperîmus, exhortatorem admirabilem, dicentem, scribentem, jubentem, Ne transiliamus terminos à se privato Homine toti Imperio præsumptuosè & periculosè præscriptos, quos à sanctis ipse Patribus summisque Pontificibus constitutos temerè nundinatur. Sed quid faciemus, Erneste mi, si simus inferiores Hæreticis multo milite armatis? Quid si illi nostrâ impotentiâ abusi velint proscribere nos ex Germaniâ, & Ecclesias omnes quinto suo Evangelio dedicare? *Si vires nostræ non sufficiant*, ait, *curam Religionis Ecclesiæque conservandæ ei relinquamus, qui dixit, Neque portæ In-*

Sanctus peccator, quis?

An gratia & peccatum sint simul?

Peccata intellectûs.

Peccata voluntatis.

Deum, Ecclesiam, Pontificemque amat; non Germaniam.

C.

Si Ecclesia pereat in Germaniâ non curat.

Præscribit animosè leges toti Ecclesiæ & Europæ Christianæ perniciosas.

Ernestus ibid. erga Deum desperat aut præsumit.

ta Inferi adversus eam prævalituras. Itane ? Omnia Deo committenda? Anne, qui fecit me sine me, is salvabit me sine me ? Temerè loqueris Erneste, nec quæ credis. Cæsari Augustissimo nostro Ethnica id scribit Antiquitas,

Cooperationis Dei & Hominum summa necessitas.

Cœlitus, hostiles acies, regerente Minervâ,
Ferdinande move tu quoque in Orbe manum.

Consilium Ethnicæ Antiquitatis Hispania adprobat, in clamatque, *A Dios rogando, y con el mazo dando.* Et ne desit domestica admonitio, *Mensch hilff dier, so hilff ich dier*, ait Germania, ergo nec Religio, nec Ecclesia est conservanda in Germaniâ à nobis sine Deo, nec à Deo sine nobis; seo à Deo nobiscum, & à nobis cum Deo. *Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam*, ait Theologus; & si Ernestus non curat, si peccatis nostris exigentibus Deus à Germanis auferat suam Ecclesiam; Nos curamus. Et jussi à Deo mori potiùs, quàm id liberè & spontè permittere; vim opponimus, quoniam & Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Sed quam vim ? orationem divinitùs, arma humanitus: illam, ut à Deo impetremus clementiam hominum subigamus. Et jussi omnes peccandi occasiones auferre; non moramur divitias tot flagitiorum causas, & prævidentes Ecclesiam nostram perituram, aut in mediâ, aut in totâ Germaniâ; scandalizati novâ Ernesti doctrinâ malentis retineri Ecclesiæ divitias, quàm Religionem; illas manutenentis, hanc auferendam prænuntiantis; oramus & imploramus Deum, ne illam in totâ Germaniâ perire permittendo, auferat à nobis Regnum suum; & ne non cooperari Deo dicamur, facimus quod in nobis est, & ex duobus malis, simul inevitabilibus, minus aut tolerando aut permittendo, majus studiosè vitamus: & Ecclesiam Religionemque, vel invito Ernesto, in nostrâ Germaniâ retinemus. Hæc satis. Ad Te redeo, Princeps Eminentissime, & me totum tuæ gratiæ & clementiæ commendo.

Divitiæ flagitiorum causa.

Ex duobus malis, eligendum est minus, si utrumque vitari non possit.

Viennæ Martij 20. Ann. 1647.

ERNE-

ERNESTUS D' EVSEBIIS CADUCEATORIBUS.

Fiat sanè pax sed licita, nullâ cooperatione cum hæresi, nullâ charitatis Dei & proximi, nulla denique Iuris non sui, & officij sui violatione infamis. Noverint Protestantes Sectam suam tolerare, Catholicæ autem Religioni æquare non posse nec debere. Id nisi agimus, non ita confitemur Christum coram hominibus ut digni simus, quos ipse confiteatur coram Patre suo, qui in cœlis est Matth. 10. *Nunquam deerit divinæ Majestatis auxilium Principi causam illius fideliter agenti, quod si maximè tanta vis, tantus etiam esset furor multitudinis, ut sine discrimine ipsè Christiani Regis officio fungi non possit, si cuiquam alteri sibi maximè Principes dictum existimare debent, nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui & animam & corpus potest perdere in gehennam. Hunc qui timet, mortalium timet neminem, nam & defensum iri se illius protestatione non dubitat, si sic illi visum fuerit expedire. Hac si fortè minus defendatur ut effugiat supplicia majora, non gravatim profert minora, cum præsertim certè persuasum habeat, illa tantis æterna gloria præmiis iri compensatum, ut eorum contemplatione suus cuique spiritus vilis esse debeat.*

CI. Has ad litteram habet sect. 5. sub finem Responsionis decimæ. Et putat esse verba Cardinalis Hosii, Ferdinandi I. sub quo Pax Religionis pronuntiata est, excusationem refutantis.

Pone Cæsarem velle ab hostibus Ecclesiæ occidi; quid inde Ecclesia vel Imperium lucrabitur?

Etiam Deus iubet ut mortalia timeamus; alias non deretur præsumptio; & omnis esset licita præcipitatio.

ERNESTO D' EUSEBIIS CADUCEATORUM NOMINE.

Unita olim sub Carolo & Ferdinando Pax Religionis sancta & licita fuit; immò tam necessaria Orbi Christiano, ut sine culpâ in Deum & Populos non potuerit omitti. Illam violenter ablatam restituimus, & Germaniæ vortices procellosos pacamus. Caduceum sumpsimus, ne Germania ab Hæresi caduceretur. Ut videamur hærere; festinare aut potiùs properare est animus, experientiâ enim constat, nullam esse optatæ Pacis remoram, quæ non sit cooperatione cum Lutheranâ & Calvinianâ hæresi, charitatis Dei & Proximi, nec non alieni Juris violatione, & neglectu propriæ obligatio-

CII. Pax Religionis qualis sit?

Retardatio pacis qualis sit?

gationis infamis: quoniam dum desperatur Pax, hostilia vexilla promoventur, Catholica extirpatur Religio, triumphant Hæreses, Cæsarque, siquidem admittendo Pacem vitare hæc omnia posset, in Deum, in Ecclesiam, in Imperium delinqueret, si oblatam occasionem contemneret. In Jus alienum ipse, & proprium officium impingeret; quoniam Ecclesia Imperiumque jure postulat, ut affligi potiùs quàm perire sinatur; & Cæsarea Dignitas præcipit, ut hominis moralis sibi subditi (Germaniam subintelligo) excidat membrum, qui cum Totum conservari non potest.

An teneatur Cæsar Pacis conditiones admittere.

In multis accidentariis circumstantiis æquamus Catholicis Heterodoxos; non tamen in ullâ substantiali: & hoc urgere aut obiicere, calumniari est; nam & Deus voluit Cœli Incolas à multis sceleratis Hominum monstris in circumstantiis accidentariis superari. Cainus Ioanne Baptista senior, Petro Tiberius ditior, Paulo Nero potentior fuit; nec ullà inde acceptio Personarum colligitur; cùm substantiali Beatitudine Cainus, Tiberius, Nero careant, quâ Ioannes, Petrus, & Paulus est præditus. Quod si in re nullâ deberet Infidelis præcellere; deleri deberent omninò fumosa eorumdem stemmata, exspoliari palatia, imò vita succidi, quoniam multos Catholicos esse ignobiles, pauperes, & morbis afflictos certum est. Cùm morales virtutes etiam in Infideli veneramus, docentur Protestantes sinceritatem nostram; discunt errores suos tolerari non protegi, illosque Catholicæ Religioni æquari nec posse nec debere. Odio quidem nos insectamur vitia; sed personas amamus. Catholicos nos esse liberè protestamur, Augustanam Confessionem hæreticam liberè dicimus; adeoque ita confitemur Christum coram Hominibus, ut digni simus, quos ipse coram Patre suo cœlitùs confiteatur. Nunquam deest Divinæ Majestatis auxilium Principi causam ejus fideliter agenti: posse enim tolerando minora mala, majora impedire favor est. Conjunctiones sublimium Planetarum in cœlis, dicuntur maximæ, & raro accidunt: & quia infima summis similia sunt, Galli & Sueci (ipsi sunt toto Imperio quadam errantia sydera) si vel semel solvantur, non poterunt tam citò conjungi. Quod si stationariorum istorum sydérum præsentem conjunctionem dissolvere, aut etiam futuram impedire possimus, nec faciamus; vitas divitiasque

An Catholicis Heretici possint æquari? Vide num. 299.

Substantiales & accidentales prærogativa distinguuntur.

Matth. 10.

Coniunctiones Planetarum maxime rarò accidunt.

que

que alienas spontanei prodigimus, & qui nos dicat, *non timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs illum, qui animam corpusque potest in gehennam perdere*, adulatur. Debet Cæsar cavere subditis strages, clades, & miserias; & si non faciat, non timet illum, à quo post fata etiam ultima puniri potest. Qui timet Deum, mortalium timet multos; quoniam & ipse præcipit ut ferarum & barbarorum crudelitatem timeas, nec te tuosve illarum dentibus aut horum gladiis imprudenter exponas: cui si castè & religiosè obedias, time neminem qui in eum te excitet; præstat enim occidi, quàm peccare. Quòd si occulto judicio Deus, justo tamen, omnia mala averti ab Imperio non valeant, ut effugiat majora, non gravatim sufferet minora populus; cùm præsertim certò persuasum habeat, illorum etiam tolerantiam, tametsi ob commissa peccata debitam, patientiâ comite, tantis æternæ gloriæ præmiis iri compensatum, ut eorum contemplatione terrena omnis fœlicitas & mundana beatitudo vilescat. Theologiam exactè percallemus; & sub Iusto Deo militantes, dum ad ipsius majorem gloriam, Ecclesiæ exaltationem, & Fidei Orthodoxæ incrementum pessima pientissimè (quia ex necessitate) permittimus, dum etiam minora toleramus, ne majora Orbem Christianum obruant, scimus nos Deo placere, & hujus ipsius Permissionis (formaliter optimæ, tametsi objectivè sit pessima) Deum ipsum in lauream præmiumque summâ confidentiâ exspectamus.

Cæsaris obligatio.

DISPUTATIO III.

THEOLOGICO-POLITICA.

AN ERNESTUS DE EUSEBIIS BENE PROBAVERIT PACEM, QUALEM Lutherani desiderant, esse illicitam secundum se.

CIII. *Occasio scribendi.*

IAm-jam Disputationes præcedentes Francofurtum ad Eminentissimum meum Principem Moguntinum missuro, Liber traditur, multorum foliorum apparatu in opinionem illam tertiam, quam à num. XXXV. propono, & impugno collineans. Præ se ferebat ignoti, aut veriùs nondum nati hominis nomen, sub quo, qualis Fabius Chisius Episcopus Neritonensis, Cornelius Iansenius Episcopus Iprensis, P. Sheinerus, Scribanus, Caramuel, sub Philomathi, Armacani, Apellis. Bonartij, Alethini, nominibus, ignorari voluerunt; eò tutior, quò ignotior, clangit classicum, incipitque secundis animis, *ære ciere viros, martemque accedere cantu.* Libro titulus est. *IUDICIUM THEOLOGICUM, super Quæstione, An pax, qualem desiderant Protestantes, sit secundum se illicita? ex Principiis Christianis* (sic loqui placuit) *sententiâ veteris Ecclesiæ summorumque Pontificum deductum; iis, qui publica tractant, conscientiam suam curant, aut alienam dirigunt, lectu utile ac necessarium: Operâ & studio Ernesti de Eusebiis civis Romani; sumptibus & Typis Theodosii de Sicecelâ Armona. Ecclesiopoli ad Insigne Pietatis, Anno* 1646. Totus Titulus æquivocationibus & restrictionibus mentalibus exuberans, Lectorem monet, ut quæ cautè sunt scripta, legat attentè & cautè. Omnia sunt ficta nomina, & ipsa impropria; non enim ad Insigne Pietatis impressus est, qui

Libri Illustrium Authorum alienis nominibus editi.

Ernesti initio. Libri titulus.

Ejusdem tituli censura.

qui sub Pietatis specioso colore Pietatem Orthodoxam impugnat. Sed quia Disputationes Nominales ad logomachiam potiùs spectant, quàm ad Pacem, quam quærimus, nos à nominum improprietate præscindentes, ad rem ipsam & Quæstionem principalem veniamus. At quia ubi desinit Physicus incipit Medicus; à verbis, quibus Ernestus suum clausit discursum incipiam, ut qui multa negaturus & regesturus posteà sum, descendam in arenam urbanus. Ille igitur in ipso libri fine, ad Lectores convertit Orationem & ait: [*Qui legunt hæc, si intelligunt, agant Deo gratias; qui autem non intelligunt orent, ut eorum ille sit Doctor interior, à cujus facie est scientia & intellectus. Qui verò errare me existimant, etiam atque etiam diligenter, quæ sunt dicta considerent; ne fortaßis ipsi errent. Ego autem cùm per eos, qui meos labores legant, non solùm doctior, sed etiam emendatior fio, propitium mihi Deum agnosco. Et hoc per Ecclesiæ Doctores maximè exspecto, si & in ipsorum manus venit; dignenturque nosse, quod scribo.* Hæc in fine suæ Disputationis ille; hæc Ego sub meæ initium. Uter sinceriùs veriùsque, esto sub aliorum judicio.

Pulchra Admonitio, quam nos ab Ernesto, & ille ab Augustino desumpsit.

PARS PRIMA.

Procemialem doctrinam præmittens.

CIIII.

Divisio hujus Disputationis.

M*Ajoris claritatis gratiâ Disputationem nostram dividam in quatuor Partes.* In primâ *Regulas & fundamenta exponam*; In secundâ *Ideam pacis, quam Lutherani desiderant colòribus veris adumbrabo. Hæ duæ Partes erunt, quasi claves, speciem facti, & speciem juris complectentes.* In tertiâ, *nostram Resolutionem ponam; argumenta subiiciam; illaque ab Ernesto nunquam dissolvi, sæpe nec tangi demonstrabo.* In quartâ, *contrariæ sententiæ argumenta discutiam; & nostram illis potiùs sententiam persuaderi probabo.*

QVÆSTIO I.

Quotuplex sit Permissio mali.

DOctrinam securissimam, cui tota Resolutio insisteret, proposui num. XI. & deinceps; & quia trita & nota omnibus visa, non exposui; at quia noster Ernestus Libri sui totâ

Vide Ernestum Sect. 3. §. 1. Permissionis idea fundam...

rum est totius Disputationis.

Sectione III. hanc doctrinam expendit, nec ubique ad Veritatis limam, illum sequar, ut examinatis fundamentis faciliùs convenire possimus. Sic ipse.

Promissio triplex.

[Permissionem mali triplicem distinguunt Gerardus de Senis, & Ioannes Andreas *in reg. peccatum. de Reg. Iuris in 6.* Item Angelus, aliisque Summistæ & Theologi, ubi agunt de usuris.

Simplex & indulgens.

PRIMA est permissio simplex indulgens pœnam, ut cum ob multitudinem aut potentiam delinquentium delicta non puniuntur. SECUNDA & indulget pœnam, & prætereà prohibet, ne alii malum intempestivò impediant vel tollant.

Protegens, & impedientes puniens.

Sic Ecclesia non solùm tolerat ritus Judæorum, sed prohibet quoque, ne Christiani festivitates eorum impediant, Cæmeteria invadant, personas occidant, &c. *c. Qui sincera, dist. 45.*

Cooperans.

TERTIA est cooperans & adjuvans, quæ malum non solùm tolerat, idque impedientes coërcet, verùm etiam promovet, auget, defendit, vel est pars actionis criminosæ sive peccati. Sic Pilatus permisit quidem non præcepit Christum crucifigi, cum tradidit eum voluntati Judæorum, *Lucæ 23. vers. 25.* sed cooperatus est tanto sceleri præstando Iudicis authoritatem & satellites aliaque executionis adminicula, suppeditando.

Permissio cooperans subdividitur in cooperantem physicè, & cooperantem moraliter.

Præter has tres Permissiones nullam enumerat Ernestus, ut mirum sit tam confusâ acie voluisse in arenam prodire. At Ego claritatis & distinctionis studiosus, primum, secundumque membrum Ernestinæ divisionis admitto, tertium subdivido (hîc oculis non indiget Lector, sunt enim nimis clara quæ dicam; indiget attentione, ne quæ accuratè scribuntur, negligenter legantur.) Permissionem igitur cooperantem assero duplicem; cooperantem physicè, & cooperantem moraliter. Et exemplo divisionem illustro. Ab iniquo accusatore Fredericus traducitur, postulatur in crucem; & tandem innocens damnatur, & arbori infœlici suffigitur; nempe sententiâ Iudicis innocentiam traducti cognoscentis, manibus carnificis, qui potuit eum elabi permittere & non voluit. In casu enim proposito Iudex & Carnifex voluntatem accusatoris promovent & exsequuntur; merè quidem physicè Carnifex, cujus non interest examinare, an legitima sententia sit; at Iudex cooperatur moraliter, quia cooperatur non solùm morti physicæ sed & mortis iniquitati.

Ex

CV.

Omnis cooperatio est permissio.

Ex hoc igitur exemplo tria diduco, *Primum*, omnem cooperationem esse permissionem vel ex parte; nemo enim qui cooperatur, impedit; & non impedire, permittere est. Unde cùm cooperator, saltem ipsam cooperationem impedire possit, & nolit, rem ipsam vel eâ parte permittit. *Secundum* in cooperatione posse distingui rationem causæ physicæ, moralisque, respectu ejusdem indivisibilis effectûs; quoniam ejusdem crurifragii, dum latro rotæ imponitur, causa est Iudex & Carnifex; ille moralis, concurrit enim præcipiendo; hic physica, nam concurrit faciendo. *Tertium* in eâdem cooperatione posse effectum physicum distingui ab effectu morali; quoniam, si idem reus condemnaretur à duobus Iudicibus, ab altero secundum dictamen, ab altero contra dictamen, & carceris Præfectus iuberet sententiam exsequutioni mandari, & obediret Carnifex; rei mors quà mors proveniret à Carnifice physicè, à carceris Præfecto moraliter; neuter enim examinat causas, sed obedit, adeoque neuter concurrit ad justitiæ injustitiæve moralitates: eadem tamen mors esset simul justè & injustè pronuntiata, adeoque simul justa & injusta, legitima & illegitima; & quà justa ab Iudice dictamen sequenti procederet; & ab altero, qui contra dictamen operatur, processisset injustè, hoc est, quà injusta. *Hinc collige* Donationem seu Traditionem esse triplicem; Moralem. Physicam & Mixtam. Merè moralis est voluntaria & libera rei absentis traditio; ut cùm Petrus in foro pratum vendit; aut Romæ pecunias, quas habet Francofurti donat. Merè physica, cùm involuntarius id tradit, quod defendere nequit. Mixta, cùm rem præsentem lubens & voluntarius alii donat. Ut secundum membrum meliùs liqueat, exemplum quod habet Bonacina, propono. Servis Petro à thesauris; & à milite armato invasus dubitas, an sis resistendo, vel non. Et ne Heri tui divitias exponas manifesto periculo, centum illis aureos numeras, ut recedant, & ab invasione desistant. Hoc ego abs Te aureos datos purè physicè, & non moraliter, pronuntio. Erant enim hostes habituri, aut centum illos aut mille; ergo quidquid faceres, centum erant ipsi habituri. Centum igitur aureorum perditio jam necessaria fuit. Igitur cum illis has Tu pecunias numeras physicè; nihil ab hero aufers, nihil illis moraliter defers; sed quia dando centenos, nongentenos tueris; illa actio tua physicè considerata, centum aureorum

Causa physica & cooperantis, & causa moralis cooperantis distinctio.

Effectûs physici & moralis distinctio.

Sententia simul iusta & iniusta diversorum respectu.

Donatio triplex. Moralis, Physica, Mixta.

rum traditio est ; at moraliter considerata , non est traditio, non est donatio , sed est nongentorum defensio. Quòd non sit moralis centum aureorum donatio, patet; quia moralia sunt libera; & hos centum aureos alterutro modo ad milites venturos supponitur. Quod sit moralis retentio defensio & conservatio nongentorum, liquet; quoniam hi nongenti à Te liberè fuerunt servati ; qui omninò fuissent perditi, si centum illos physicè dare recusasses. *Hinc habe* illum , qui dat pallium , ne perdat vitam ; moraliter non dare pallium , sed suam vitam defendere. *Hinc conclude* , Principem, qui quatuor templa daret Heterodoxis , ne centum illi invaderent, & Ecclesia perderet; moraliter consideratum nulla templa dare , sed centum ingeniosè defendere.

CVI.
Alia est substantia actûs, alia circumstantia permissio.

Permissio iterum est duplex ; substantialis & circumstantialis. Vi prioris substantia actus permittitur ; vi posterioris actus substantia impediri non potest , at posset circumstantia aliqua. Exemplum prioris est , Paulus , qui supervenit dum occideretur Franciscus , & tametsi securè illum potuerit liberare non voluit, exemplum posterioris est Ioannes , qui viribus impar ne Franciscus occideretur facere non potuit ; at illum , quà licuit defendendo , ut tardiùs occideretur præstare potuisset , & non voluit. Ubi dicendus omnino est Petrus homicidij substantiam permisisse , potuit enim illud sine periculo vitæ propriæ evitare ; at quia Ioannes non permisit liberè quod vitare non potuit , non est dicendus permisisse homicidii substantiam , sed circumstantiam solam illam , videlicet , quòd potiùs occideretur citiùs , quàm tardiùs.

CVII.
Permissio triplex. Necessaria, Libera non imputabilis, & Libera imputabilis.

Hinc oritur alia Permissionis distinctio ; nimirùm in Naturalem , Physicam , seu Necessariam , & Liberam non imputabilem, & Liberam imputabilem. Singulas depingo & expono. *Permissio necessaria* est rei , quam impedire non possumus. Sic ego permitto Religionem Calvinianam in Angliâ , quoniam non possum impedire. *Permissio libera , non imputabilis* est rei , quam impedire quidem possum , sed non teneor ; aut absolutè , aut sub illis circumstantiis , puta cum gravissimo vitæ meæ periculo , aut rerum mearum dispendio. Sic Deus peccata permittit ; illa enim

enim nullo modo impedire tenetur. Sic ego permitto Petrum spoliari à latronibus, in casu quo eum liberare quidem possem, sed deberem occidi; non enim eum defendere cum tanto periculo debeo. *Permissio libera imputabilis*, est rei, quam impedire quidem possum & debeo. Talis erat Heli sacerdotis tepiditas; peccabant ejus filii, turbabant & scandalizabant populũ, & hæc pater peccata poterat & tenebatur impedire, nec impediit. Quē non excusant monitiones adhibitæ, filios enim suos monuisse legitur; quoniã consideratâ filiorum iniquitate & malitiâ monitiones non erant sufficientia remedia, cùm certum sit eum liberè peccata permittere, qui potest ponere remedia efficacia, & inefficacia tantum adhibet.

Hæc omnia distingui debuerunt; nam stando trimembri Ernesti divisioni, tota Controversia confunditur, quæ à nobis clarissimè dilucidatur.

QUÆSTIO II.

Quænam Permissio licita vel illicita sit?

SIc Ernestus resolvit. [Permittere malum primo & secundo modo, ut majus bonum obtineatur, vel majus malum impediatur, licitum est. Vtriusque permissionis exemplum præbet divinum regimen. Prioris, cùm benignitas Dei pœnam dissimulando peccatores adducit ad pœnitentiam, *Rom.* 2. *vers.* 4. Posterioris, sinendo zizania crescere usque ad messem, nobisque prohibendo, ne cum periculo tritici ea eradicemus. *Matth.* 13. Extra has duas causas peccant Principes & Magistratus, si scelera manifesta impunè tolerant, aut ea corrigere volentes impediunt. Non enim sine causâ gladium portant, Dei enim ministri sunt, vindices in iram iis, qui malum agunt. *Rom.* 13. *vers.* 4. Tertio modo malum permittere cooperando sive adjuvando, ex se illicitum est, si id, quod permittitur, peccatum est. Hoc genus peccati in Cathecismo inter peccata aliena recensetur, & generatim damnatur à S. Paulo *Rom.* 1. *vers.* 32. quoniam, qui talia agunt, digni sunt morte, non solùm qui ea faciunt, sed

Vide Ernestum sect. 3. §. 2.

CIIX.

Hac ratio non sufficit, ut Deus non peccare dicatur, Vide nu. 120.

Hic errat iterũ Ernestus, sæpe enim mala manifesta à Republica non possunt licitè privatâ authoritate impediri.

L etiam

etiam qui consentiunt facientibus; Vel maximè autem cooperatio arguit consensum, cujus est effectus & argumentum.] Hucusque ille.

CIX.

Possem adquiescere asserenti putam permissionem & indulgentiam esse licitas, si tam manutenere Resolutionem vellem, quàm examinare veritatem; sed quia video nimis universaliter utramque à culpâ absolvi, Ernestum moror, asseroque illum hîc nimis laxum fuisse, & statim nimis severum fore, demonstraturus enim sum dari posse puram permissionem iniquam, & indulgentiam criminosam; & ut clariùs procedam unum aut alterum casum propono.

CX.

Qui intuitu majoris boni obtinendi aut majoris mali vitandi permittit, quæ debet non permittere, peccat. Doctrina valde necessaria.

Sic Pingitzerus, sic Syringus Pacem Religionis exponit, qui si audirent multa à nobis negari, quæ ipsi suis Lutheranis adstruunt, clamarent proculdubio Diploma hoc Protestantibus inofficiosum esse. Sed nec alii Lutherani scriptores fideliùs litteram Diplomatis tractant; quoniam Academici Ienenses per longè petita argumenta, conantur suadere, quæ à litterâ expresè negantur, maximè cùm Rex Ferdinandus in eisdem Augustanis Comitiis die 30. & 31. Augusti Diplomate expresso resolverit, *illud, quod in Pace Religionis expressè concessum non est Confeßionistis, per opinionis disputantium non posse interse, i.* Vide eiusdem Diplomatis §. Dievveil nun. & §. Dergleichen. & reperientur in Iure-peritorum Dilinganorum Pace-Religionis illustrata, *sub finem, litterâ H. pag.* 30. Liberum etiam Religionis exercitium concessum esse Ecclesiasticorum subditis multi Lutheni pronuntiant, & inter ipsos, Petrus Syring sub Virgilio Pingitzero, de Pace Religionis apud Dominicum Arumæum, *volum. 2. dis. urs.* 10. *thesi.* 43. & Henricus Andreas Cranius *de Pace Relig. p. 2. probl.* 10. *fol.* 287. quam etiam libertatem ad subditos sæcularium extendunt; Petrus Friderus Mindanus *de processib. & mandat. libr. 1. cap. 30. num.* 4. Ioannes Myter *vol. 2. Arumai, discurs. 11. quæst. 6. num, 34. pag.* 445. & *quæst. 9 num.* 41. Quirinus Cupachius apud eumdem Arumæum ibid. *disc. 12. cap. 6. num. 7. pag.* 465. eamdem etiam libertatem Christophorus Mingius *de superioritate territorial. concl.* 43. Henricus Andreas Cranius *de Pace Relig. p. 1. probl.* 1. Petrus Friderus Mindanus *libr. 1. de Process. & mandat. cap.* 29. *num.* 3. authoritatem Ecclesiasticam plane & omninò esse suspensam aut sublatam potiùs, in Acatholicorum regionibus contendunt Theodorus Reinkink *de regimine sacul. & eccles. libr. 3. class. 1. cap. 10. fol.* 559. Petrus Wolfius *dissertatione augur. de Principibus*, Georgius Brudlachius apud Arumæum *vol. 5. disputationum Basileæ impressarum, tract de superioritate territoriali concl.* 62. Bona Ecclesiastica ad eos spectantia, quæ Imperio immediatè non subsunt, si in Lutheranorum ditione sita liberè posse ex Capituli & Episcopi occupari consensu, & Episcopum retento Episcopatu posse subditos ad Religionem Lutheranam cogere Quairinus Cupachius *de Pace Religion. discurs. 12. cap. 10. numer. 5. fol.* 485. Henric. Andr. Cranius *part. 1. de*

Sic Pingitzerus, sic Syringus Pacem Religionis exponit, qui si audirent multa à nobis negari, quæ ipsi suis Lutheranis adstruunt, clamarent proculdubio Diploma hoc Protestantibus inofficiosum esse. Sed nec alii Lutherani scriptores fideliùs litteram Diplomatis tractant; quoniam Academici Ienenses per longè petita argumenta, conantur suadere, quæ à litterâ expresse negantur, maximè cùm Rex Ferdinandus in eisdem Augustanis Comitiis die 30. & 31. Augusti Diplomate expresso resolverit, *illud, quod in Pace Religionis expresse concessum non est Confessionistis, per opinionis disputantium non posse interse, i.* Vide eiusdem Diplomatis §. Dievveil nun. & §. Dergleichen. & reperientur in Iure-peritorum Dilinganorum Pace-Religionis illustrata, *sub finem, litterâ H. pag.* 30. Liberum etiam Religionis exercitium concessum esse Ecclesiasticorum subditis multi Lutheni pronuntiant, & inter ipsos, Petrus Syring sub Virgilio Pingitzero, de Pace Religionis apud Dominicum Arumæum, *volum. 2. disc. ursi.* 10. *thesi.* 43. & Henricus Andreas Cranius *de Pace Relig. p. 2. probl.* 10. *fol.* 287. quam etiam libertatem ad subditos sæcularium extendunt; Petrus Friderus Mindanus *de processib. & mandat. libr. 1. cap. 30. num.* 4. Ioannes Myter *vol. 2. Arumæi, discurs. 11. quæst. 6. num, 34. pag.* 445. & *quæst. 9 num.* 41. Quirinus Cupachius apud eumdem Arumæum ibid. *disc. 12. cap. 6. num. 7. pag.* 465. eamdem etiam libertatem Christophorus Mingius *de superioritate territorial. concl.* 43. Henricus Andreas Cranius *de Pace Relig. p. 1. probl.* 1. Petrus Friderus Mindanus *libr. 1. de Process. & mandat. cap. 29. num.* 3. authoritatem Ecclesiasticam planè & omninò esse suspensam aut sublatam potiùs, in Acatholicorum regionibus contendunt Theodorus Reinkink *de regimine sæcul. & eccles. libr. 3. class. 1. cap. 10. fol.* 559. Petrus Wolfius *dissertatione augur. de Principibus*, Georgius Brudlachius apud Arumæum *vol. 5. disputationum Basileæ impressarum, tract. de superioritate territoriali concl.* 62. Bona Ecclesiastica ad eos spectantia, quæ Imperio immediatè non subsunt, si in Lutheranorum ditione sita liberè posse ex Capituli & Episcopi occupari consensu, & Episcopum retento Episcopatu posse subditos ad Religionem Lutheranam cogere Quirinus Cupachius *de Pace Religion. discurs. 12. cap. 10. numer. 5. fol.* 485. Henric. Andr. Cranius *part. 1. de*

Hæretici non habebant Diplomatum notitiam, & cacè hanc quæstionem tractabāt.

de Pace Relig.probl.4.fol.51. Matth. Stephanus *de Relig.libr.3.p.1.c.4.num.*
45.Petrus Syringus *citatus thes.37.*affirmant: & alii plures alia opinio-
num monstra invehunt; ut vel sic se solentur, & se liberiores men-
tiantur. Sed unde tanta hallucinatio Hæreticorum? ex merâ ignora-
tione Duplomatum, quam plerique fatentur. Dominici Arumæi *vo-*
lum.2.discurs.2.concl.43.pag. 386. sub sæpius citato Virgilio Pingitzero
Petrus Syringus Saxo, sic ait. *Architectus ille structuræ autonomicæ, sive sit*
Franciscus Bugardus, Cancellarius quondam Coloniensis (qui & ipse Transa-
ctioni Passaviensi & Pacificationi nostræ interfuit, uti subscriptio Recessus de
anno LV. luculenter arguit) sive Andreas Ernstenberger, sive quicumque alius
Pontificiæ Religionis Scriptor, multis argumentis partim ex materiæ, partim
formæ vicio depromptis hoc Decretum in p.3. Autonomiæ cap.34. *cum ali-*
quot sequentibus, enervare conatur; quorum validam ac sufficientem refuta-
tionem, etsi ad illos unicè pertinere non ignoro, qui rerum in Comitiis præsertim
anno LV. gestarum plenam habent notitiam, quibusve archiva Principum pa-
tent [ergo nec Petrus Syringus, nec eius præses Virgilius Pingitzerus
rerum gestarum habebant notitiam, nec illis archiva patebant] *atta-*
men, quia illi hactenus (non sine magnis forsan rationū momentis) isthoc labo-
re supersedere voluerunt; ego ordinis ductu in hanc palastram delatus vix mihi
temperare possum, quin pro virium modulo cum Primipilari illo Antagonistâ
descendam in arenam, fretus fiduciâ illius, quod ait Poeta,

Si desint vires, tamen est laudanda voluntas;
In magnis rebus & voluisse sat est.

ac primò quidem de materialibus agendo, nullo responso dignum est, &c. Et Ita-
tim sub finem paginæ sequentis. *Mallem hic illis lampada tradere,*
quibus arcana Imperii ex inspectione Protocollorum Comitialium peni-
tiùs perspecta sunt; sed quia iacta est alea, subterfugio locus non datur.
Sic se res habet; scripturiunt Hæretici, non quòd rem sciant;
non quòd rationes habeant, quæ cogant calamum; sed quoniam
jacta est alea, & maximè ipsi seria; ut in ludo tractanda esse existimant.

SENTENTIA III. *Gravari Catholicos.*

Argumenta quæ Hæreticos gravari suadent, vidimus; an-ne
graventur Catholici videamus; & quoniam Ernestus ab Eusebiis
in suo iudicio sect. 1. §.3. affirmativæ est opinionis, eum audia-
mus;

[Quan-

[Quantũ damni & præjudicij hæ Conditiones (*agit de Pacis Religionis Articulis*) Catholicæ Religioni inferant, *ait*, id patebit si apertioribus verbis dictas conditiones in istud compendium redigamus.

Principibus & statibus sæcularibus non solùm fas est à verâ fide deficere, verum etiam hæresim in Principatus & dominia sua introducere. art. 1. Hinc orta est ea Regula: Ius Religionem introducendi sive reformandi concessum est alto, sive mero, seu sublimi imperio, ut qui istud habet, potestatem habeat Religionem mutandi & constituendi.

Gravamen primum.

Deficiendi libertas conceditur quoque Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, & aliis quibusvis Ordinis Ecclesiastici, modò Ecclesias & Beneficia cum fructibus dimittant. art. 5.

Secundum.

Eâdem libertate gaudent omnes subditi Catholicorum Principum, & statim, si veliut, emigrare. art. 11.

Apostatarum honori cavetur tolendo omnem infamiam iuris nimirùm seu facti, quæ hæresin sequitur, art. 5. & 11.

Tertium.

Subditi Protestantium aut Religionem illorum sequi debent, aut ex ditionibus eorumdem migrare, art. 1. & 11. Vnde rursus confirmatur Regula sublimis Imperii.

Quartum.

Bona Ecclesiastica ante Transactionem Passaviensem occupata, quæ Imperio immediatè non subsunt, neque intra, neque extra iudicium repeti possunt, art. 6.

Quintum.

Ecclesiastica Iurisdictio adversus Augustanam Confessionem, eiusque Ministros & Ordinationes institutas aut instituendas suspensa est, art. 7.

Sextum.

Catholici ex bonis & reditibus intra territorium Protestantium sitis ministeriis & scholis Lutheranis providere debent, uti ante hac Catholicis, art. 8.

Septimum.

Si controversiæ Religionis non componantur in Concilio, aut Comitiis, nihilominus Pax hæc absoluta, inconditionata & perpetua esse debet. art. 12. Eadem perpetuitas confirmata fuit in Comitiis anno. 1557. 1559. 1566.

Octavum.

Constitutionibus Imperii, & aliis Ordinationibus contrariis (adeòque vel maximè Pontificum & Ecclesiæ) derogatur, neque ulla declaratio in contrarium dari, peti, acceptari potest, art. 15.

Nonum.

Decimum.

Ad hanc Pacem observandam Cæsar & status pro se & successoribus ac hæredibus suis fidem obligarunt, art. 16.

Vndecimum.

Cæsar & status Chatholici secundum Pacis huius articulos non minùs Protestantes, quàm Catholicos defendere debent, imò & juvare in hæresi introducendâ, & subditis ad eam vel emigrationem compellendis, si reniterentur, art. 17.

Duodecimum.

Denique Camera Inperialis secundum hanc Pacem non attentâ Religione jus dicere tenetur, adeòque condemnare v. 9. subditos Catholicos Protestantium ad acceptandam Confessionem Augustanam aut emigrationem, &c. art. 18.

RESOLVTIO.

CLVII. *Status quæstionis expositus.*

CUm quæritur, An-ne Catholici Pace Religionis graventur? non petitur An-ne easdem immunitates & libertates habeant, quas Monachii aut Madriti; bene enim scitur, vi Pacis Religionis multa licere Hæreticis, quæ Matriti non licent; & multa contrà debere tolerari à Catholicis, quæ non tolerantur in Hispaniâ. Sed Quæstionis propositio relativa est, illorum temporum miserias procellosas concernit, & gravamina realia & moralia distinguens, interrogat Primò, sit-ne in totâ Pace Religionis physica aliqua circumstantia, quæ sit gravis Catholicis, quæ tamen non ex necessitate sed ex neglientiâ aut pusillanimitate Caroli V. Ferdinandi I. & Catholicorum statuum irrepserit? *Secundò* statuat-ne aliquid à Catholicis patiendum aut agendum quod tutâ conscientiâ non possint?

CLVIII. *Caroli, Ferdinandi & reliquorum laus.*

Ut ad primum respondeam, suppono Carolum V. fuisse generosissimum militem, qui non timeret ubi non esset timor; Ferdinandum tam studiosum libertatis Catholicæ, ut luxisse dicatur, cùm debuit Paci Religionis subscribere: omnia fuisse commissa Ecclesiasticis quorum intererat; adeoque concludo, esse incredibile, viros tantos post tam longam deliberationem processisse imprudenter. Examinarunt, ut opinor, rem quantum humanitùs potuit examinari: & fecerunt pro libertate Religionis Catholicæ, quantum humanitùs fieri potuit vel debuit. Quod autem non fecerint quod ipsi optarent, quod nos desideraremus, non est imponendum eorumdem aut malitiæ aut ignaviæ, sed tempestati temporum, & viribus Hereticorum.

Ut ad secundum respondeam, singula gravamina, quæ Ernestus

ſtus recenſet, relego & hanc Concluſionem generalem ſtatuo. *Nihil eſt in totâ PACE RELIGIONIS, quod à Catholicis non poſſit in conſcientiâ ſervari.* quam non potero aliter meliùs probare, quàm ſingula gravamina diſcutiendo, exponendo, illuſtrando.

EXAMEN

Gravaminis primi.

CLIX. *De Reformatione.*

ILlud Erneſtus iſtis verbis proponit. *Principibus & ſtatibus ſæcularibus non ſolùm fas eſt à verâ Religione deficere, verùm etiam hæreſin in Principatus & dominia ſua introducere* Art. I. *Hinc orta eſt ea Regula, Ius Religionem introducendi ſive reformandi conceſſum eſt alto, ſive mero ſive ſublimi imperio, ut qui iſtud habet, poteſtatem habeat Religionem mutandi & conſtituendi.* Lego totum illum Articulum I, quem citat, non reperio gravamen, quale pingit Erneſtus. Nomina *Fas* & *Ius* aliquid ſupra meram, eamque ex neceſſitate naſcentem permiſſionem ſignificat; vel aliàs Romæ fas erit meretricibus fornicari, & Iudæi habebunt ius uſuras exercendi quoniam ibi Iudæi & ſcorta permiſſa. Corrigo igitur gravaminis litteram, & ſic ſcribo. *Cùm animoſitas & abuſus potentiæ eò venerint, ut Principes & Imperij ſæculares Status non ſuas ditiones modò ſinguli, ſed etiam aliorum Lutheranorum, imò & Catholicorum Provincias inceperint deformare, cum eò nos Catholicos adegerit iniuria temporum, ut non poſſimus conatus Proteſtantium coërcere, & ex toto impedire, ex duobus malis gravaminibus, quæ ſimul impediri non poſſunt, maiori occurrimus, & permittimus, ut ſinguli ſuas ditiones (terras videlicet, non animas) reforment, modò alienas ſive Catholicas, ſive Hæreticas in pace conſcientiæ relinquant.* Quid ergo carpet in hac clauſulâ Erneſtus? Permittendum neceſſariò eſt. Principes deformare Religionem; nimirum, aut ſingulos tantùm in ſuis Provinciis, & non in alienis; aut ſingulos ſimul in ſuis & alienis etiam Catholicorum. Quid ergo agendum? ſi Erneſti ſtemus Theologiæ, debet permitti malum maius & minus ſimul. ne minus ſeorſim permittatur. Sic reformationem poſſe permitti ſtatuo, at permiſſam conſtantiſſime nego, quoniam ex Pace Religionis conſtat terras poſſe reformari, non homines, iſti enim ſunt migrare permiſſi.

Nomina Fas & Ius exponuntur.

CLX.
An perpetuitas possit in Pace Religionis admitti? Perpetuitas duplex: moralis, & realis.

At Ernestus obiiciet, se non iam Articuli substantiam carpere, sed solam perpetuitatem, & respondeo Pacta & Fœdera non habere perpetuitatem divinam, sed humanam; nempe, qualem alia habuerunt in imperio, quæ perpetua vocata: nam & hæc ipsa, quæ perpetua sunt dicta, pronuntiata anno MDLV. iam sub annum MDLVI. in Ratisbonensibus Comitiis inceperunt dolere capite. anno MDLXII. Circulus Suevicus incepit illa fastidire; quoniam anno MDLVI. & MDLVII. MDLIX. MDLXVI. & MDLXX. de eâdem concordiâ & Pace Religionis agitur. Confirmatur fœdus ab ipsâ conceptione decrepitum, & quod vix stare poterat. Tandem sub annum MDCXVIII. incœpit videri moribunda Pax illa, quæ post paucos demum annos sepulta est. Vnde suspicari incipērem *Caduceum*, Pacis insigne, non quasi Κηρύκειον, sed quasi *Caducum* dictum fuisse; omnis enim Pax humana, tametsi, asseratur æterna, caduca est.

Caduceus, Κηρύκειον, Caducus, nomina sunt cognatæ significationis.

CLXI.
Perpetuitas realis exponitur.

Sed quid, si in Pace Religionis non moralis solùm & humana sed metaphysica & rigorosa perpetuitas concederetur? Respondeo, esse supervacaneas plerumque suppositiones impossibiles; ac aliquando esse valde utiles & necessarias; adeoque resolvo, ubi duo mala dantur, & emergit necessitas, aut permittendi alterum usque ad finem mundi, aut permittendi utrumque usque ad finem mundi: posse & debere alterum ad mundi finem permitti, ne utrumque ad finem mundi permittatur.

CLXII.
Congruentia observatione dignissima.

Accedit, hodie esse paucos Principes immediatè Imperio subjectos, qui ex Catholicâ Religione possint ad Augustanam confessionem transire; (nam Ecclesiastici, amittunt omnem dignitatem cum primum Hæretici fiunt) & tamen esse multos Hæreticos, quorum salutem & conversionem speramus. Ergo vero-similius est, fore aliquos Lutheranos Principes convertendos, quam nostros pervertendos Principes; ergo plus prodesse posset quàm nocere perpetua illa reformandi Religionem authoritas, si daretur. At quia non datur, qualem Ernestus opinatur, sed qualem nos descripsimus, non est, cur diutiùs immoremur: ad discussionem ergo aliorum gravamium veniamus.

EX-

EXAMEN

Gravaminis secundi.

CLXIII. *De libertate deficiendi.*

ILlud sic Ernestus proponit. *Deficiendi libertas conceditur quoque Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, & aliis quibusvis Ordinis Ecclesiastici, modò Ecclesias & Beneficia cum fructibus dimittant.* Articul. V. *Eâdem libertate gaudent omnes subditi Catholicorum Principum & statuum, si velint emigrare,* Art. XI.

Ernestus abutitur libertatis vocabulo.

Hæreo iterum, cùm audio verba, quibus Ernestus utitur. Anne diceret; Romæ iuventuti etiam Ecclesiasticæ conceditur frequentandi lupanaria libertas? An-ne adderet, Ibidem etiam conceditur Iudæis libertas usuras exercendi? An-ne eodem modo de simoniâ & aliis loq;retur criminibus, quæ tolerantur à sanctissimis viris, quoniã impediri non possunt? Gravamen illud sic rescribo. *Siquidem experientia nos docet carere Imperium viribus, ut impediat, ne Ecclesiastici à vera Religione deficiant; consequens erit, ut hic ipse defectus, qui à nobis impediri non potest, altero è duobus modis fiat; videlicet, aut cum beneficij retentione, aut cum depositione à dignitate & beneficio. Adeoque, qui impedire non possumus, ne Ecclesiasticus Augustanam Confessionem admittat, volumus saltem impedire, ne Ecclesiasticæ Dignitates & bona ad Hæreticos transeant, adeoque statuimus, ut statim, si defecerit, omnia ejus bona Ecclesiastica vacent, eo omninò modo; ac si ipse mortuus esset.* Et ad sæculares transiens, sic pronuntio. *Cùm similiter Catholicorum impotentia sit tanta, ut impedire non possint, ne sæculares Confeßionem Augustanam recipiant, necessarium est, ut ille qui labatur in hæresin, aut inter nos maneat, aut poßit à Catholicorum Principum territorio proscribi. Nos igitur, qui illi hæresin cavere non possumus, volumus saltem posse cavere aliis scandalum; adeoque reservamus jus proscribendi illum; qui à Catholica religione defecerit.* Ecce utrobique permissio hæreseos necessaria est; & ex duobus malis permittitur seorsim minus, ne simul utrumque permittatur.

EXAMEN

Gravaminis Tertij.

CLXIV. *De Apostatis.*

A*Postatarum honori cavetur*, ait Ernestus, *tollendo omnem infamiam, juris nimirùm aut facti, quæ hæresin sequitur.* Art. V. & XI.

Et quidem hîc nimis scrupulosum Ernestum video, censeoque

eum ignorare non posse, nec omnia mortalia peccata inducere infamiam ignominiamque; quod si nesciat, audere confessiones non potest. Dantur quidem Provincalia peccata, quæ non contra divinam, sed contra omnem legem humanam præscripserunt, & ex malitiâ hominum in naturam sunt versa; nec ideò Reges & Principes iniquitatis accusantur. Esse hæreticum non est ignominiosum in Germaniâ, imò nec excedere in potu; cùm tamen, ita Hispanus hæresin & ebrietatem detestetur, ut illâ infectum ni resipiscat, igni mandet; in hanc lapsum, etiamsi resipiscat, ab omni publicâ dignitate removeat, dedigneturque eius in tribunali testimonium audire. Duella in Belgio, ac præcipuè in Hollandiâ infamia sunt, & sacrilega occisorum cadavera suffiguntur patibulo; cùm tamen apud Gallos putentur honorifica; & sint, quidquid Reges in clament, frequentissima. Fornicatio simplex in Hispaniâ (imò auderem idem dicere de activo adulterio si ageremus de Galliâ, & temporibus Henrici IV. *fragilitas peccatiolum* in Italiâ vocatur; & tamen utrobique crimen esse mortale creditur, at decreditur infici infamiâ. Olim à Philosophis Græcis multa sunt discipuli in tenerâ pueritiâ docti, ob quæ commendationem apud suos, & ignem apud nos mererentur. Hæc est miseria temporum; hæc Provincialia illa peccata, quæ Capitalibus addidi in Theologiâ Morali. Quam ob rem si Ernestus de infamiâ divini juris agat, non hæreticus modò, sed homicida, lascivus, ebrius, & ut verbo dicam, quicumque peccato mortali obstrictus sit, apud Deum infamis & expers cœlestis gloriæ est. Si autem de infamiâ agat humanâ, scire debet contra hunc humanitùs etiam præscribi, & dari Provincialia peccata, quæ tametsi credantur mortifera, non solent ignominiosa credi.

Dantur Provincialia peccata.

CLXV.

Doctrina pro detractionibus notatu digna.

Hinc est, quod detractionis aut calumniæ gravitas, à locis & personis pendeat. Fortè apud Deum paria aut suppparia sunt peccata, extorquere & furari, violare votum simplex solenneque, bibere in Germaniâ & Hispaniâ, in Italia & Belgio luxuriari; & tamen non puto peccare mortaliter, qui dicat Ioannem hominem militarem pecunias extorquere à rusticis; obstringi voto castititis simplici, & tamen adire lupanaria; in conviviis Germanicis ad ebrietatem superbibere; provocasse quaternos ad duellum: &c. quoniam hæc et similia Ioannes honorifica existimat, & quæ possint

ad

ad laudem & commendationem recenseri : arguerem tamen de mortali, qui diceret, Franciscum Religiosum & probum hominem, furto congessisse pecunias, in fornicationem lapsum votum solenne temerasse : Antonium, in Hispaniâ eminentis authoritatis virum, esse ebrium : & similia, hæc enim tametsi, non sint alterius speciei crimina, quam priora, creduntur inducere infamiam.

EXAMEN.

Gravaminis quarti.

CLXVI. *De Emigratione.*

S*Vbditi Protestantium*, ait Ernestus, *aut Religionem illorum sequi debent, aut ex ditionibus ipsorum emigrare.* Art. 1. & XI. *unde iterum firmatur Regula sublimis imperii.*

At ego video Ernestum in his gravaminibus recensendis nimis esse festinum. Non enim omninò certum est, esse emigrationem necessariam, sunt enim qui illam voluntariam existiment; & si ponatur necessaria, nihil est in ipsâ, quod Catholicorum Principum conscientias arguat.

CLXVII. *An Emigratio sit libertatis, an sit necessitatis?*

Porrò, si emigratio gravamen Catholicorum est, erit Hæreticorum privilegium: videamus ergo quantam in ipsâ Hæretici libertatem aut necessitatem cognoscant. Apud Dominicum Arumæum *volum.* 2. *DISCVRSVS* X. est M. Petri Syringi, qui sub Virgilii Pingitzeri præsidio Pacem Religionis exponit, & *conclus.* XXXV. sic inquit. *Hæc emigrandi licentia, satis est expedita. Cæterùm de eo sæpiùs in Comitijs Imperij & augustissimo Cameræ Consistorio acerrimè controversum fuit, An illa emigrandi facultas, meræ voluntatis; ita ut in arbitrio Augustanæ Confessioni addicti* (idem de addicto nostræ Religioni dici debet) *positum sit, vel è terris Pontificijs emigrare, & alibi publico Religionis exercitio fruisci : vel ibidem manere, & domi suæ religionis cultum citra scandalum & offensionem adversæ partis peragere : Imò & in vicinis locis, ubi sua fortean vigeat Religio, publicis concionibus ac sacrorum administrationi interesse queat;*

queat; in tantum, ut Magistratus etiam invitus eum tolerare, & instar aliorum civium adversus quamvis injuriam defendere teneatur? Quæstio sanè scrupolosissima est, quæ si ex æquitate in jure potissimum spectandâ, humanitate ac publica tranquillitate decidenda foret, in affirmantium castra descendere minimè dubitarem.

CLXVIII.
In emigratione etiam necessariâ cooperatio ad malum non relucet.

Sed esto emigratio necessaria sit. An-ne dicendus Cæsar est esse similis illi, qui domesticos velit, aut gravia delicta committere, aut domo expelli? Minimè, quoniam gravamen debet his aut similibus verbis proponi. *Cùm impedire non possimus Hæreticorum Principum resolutionem, qui bonas Religiones in suis Provinciis tolerare non volunt, imminet certissimum eversionis periculum, timendumque est, ne deficiens à verâ Religione aliquis Princeps, sæviat in subditos, eosque nec emigrare territorio, nec in ipso Catholicè vivere permittat. Quam ob rem Catholicorum instanti miseria condolentes, siquidem obtinere non possumus ut fidem patriamque simul retineant, disponimus ut emigrare possint, nec liceat eos detineri & cogi ad Religionem Lutheranam.* Ergo Imperator erit similis illi, qui Christiano martyri designato, timeret; & ne in passione ille succumberet, copiam discedendi impetraret. Venit ad pedes meos Antonia, & occasionem proximam peccandi advertens, aliam illi ego domum & commoditatem provideo. An-ne ego illam ad illud dilemma induco, quod vel peccare debeat, vel domum & commoditatem mutare? minimè. In peccandi illa periculum proximum aliunde me involuntario & remedium imponere nesciente inducta est, & ego, ut illi periculum caveam, emigrationem consulo, & copiam commoditatemque procuro. Non aliter in casu nostro. Vult Saxo, verbi gratiâ, illos paucos catholicos, quos habebat, pervertere. Potens est, & qui vinci non possit; viribus enim reliquorum armatur. Sunt sub ipso Catholici in proximo deficiendi periculo; in id illos non invexit Cæsaris malitia, aut negligentia, quæ corrigi possit. Necessaria est calamitas, & remedium impossibile est: nam Cæsar Saxonis actiones in Saxoniâ coërcere non valet. Suadet igitur periclitantibus, ut emigrent, & ad loca Catholica veniat; & ne vi impediantur, statuit ut egredi liberè valeant, nec detineri à Principe hæretico possint.

Non inducit minem in tentationem, qui liberat illum à malo.

EX-

EXAMEN

Gravaminis Quinti.

CLXIX. *De Ecclesiasticis bonis.*

TErram illud Ecclesiastica bona, & pecunias concernit; nec multum difficultatis habet. Illud Ernestus hisce verbis proponit. *Bona Ecclesiastica ante Transactionem Passaviensem occupata, quæ imperio immediatè non subsunt, neque intra neque extra iudicium repeti possunt.* Art.VI.

Et in ipso Ego nihil contra Decalogum respicio. Sic expono. *Bona Ecclesiastica ante Transactionem Passaviensem Lutherani occuparunt, singulis diebus alia occupant, & timendum est ne omnia habituri tandem sint ni remedium ponatur. Ergo illis vel aliqua sunt necessariò permittenda, vel fere omnia; præstat igitur illis occupata ante Transactionem permittere, quàm occupata & occupanda. Nemo igitur ab illis ante dictam Transactionem occupata postulet, modò illi nulla de novo occupent, & contenti sint occupatis.* Sanè qui pallio exuitur, frustra illud repetit, si sciat se non fore illud recuperaturum, sed perditurum togam etiam aut vitam præter pallium. Quam ob rem, cùm perdita Ecclesiastica bona recuperari non possint, & reliqua sint in pereundi periculo; hæc clausula Pacis non cooperatur illorum bonorum, quæ iam erant usurpata, invasioni, amissioni, retentioni; impossibile enim est illa recuperari; sed cooperatur bonorum, quæ nondum sunt amissa, securitati & retentioni.

EXAMEN

Gravaminis sexti.

CLXX. *De Iurudictionis suspensione.*

E*Cclesiastica Iurisdictio*, notat Ernestus, *adversus Augustanam Confessionem, eiusque Ministros & Ordinationes instituendas, suspensa est.* Art.VII.

Hunc Articulum Ferdinandus non posuit, non tulit; sed ad Ecclesiasticos remisit; inter quos solus Cardinalis Truchsessius reclamavit. Ergo ille cæteros obstringit, & solum Cardinalem non tangit. An-ne Ecclesiastici potuerunt se pri-

vare authoritate, quæ à Deo & Ecclesiâ pendet? Respondeo suspensionem, non potestatem sed usum tantummodo respicere; & Ecclesiasticos non potuisse directè damnari à Cæsare ut hoc iure utendi Ecclesiasticâ authoritate contra Lutheranos cederent; nec fuisse de facto damnatos & coactos. *Directè* consulto dico, nolo enim indirectam potentiam Cæsaris examinare, quæ fortè est minor quàm asseritur vulgò, & fortè maior. Addo ipsosmet Ecclesiasticos potuisse sic discurrere. *Capimur, expellimur, fugamur, ita ut nec in Lutheranos nec in Catholicos exercere Ecclesiasticam iurisdictionem possimus: Ergo nostra authoritas aut exercebitur erga solos Catholicos, & erga Lutheranos silebit; aut impedita erit erga utrosque: Ergo, siquidem Ecclesiasticæ authoritatis usus erga personas Lutheranas impeditus sit, nec sit possibile remedium ponere, toleremus quod vitare non possumus, modò Catholicos regere permittamur. Præstat enim Catholicorum curam gerere, & Lutheranos Deo iudicandos committere, quàm utrosque negligere, neutrorumque Ecclesiasticam curam habere.*

EXAMEN

Gravaminis septimi.

CLXXI. *De Hæreticorum seminariis.*

ILlud est, *Catholici ex bonis ac reditibus intra territorium Protestantium sitis, ministeriis & Scholis Lutheranis providere debent, uti ante hac Catholicis.* Artic. VIII.

Hoc non est me iudice gravamen novum, sed in quintum recidit; cum enim unius Monasterij, verbigratiâ, bona permittuntur Hæreticis, consequens est ut eisdem permittatur recipere annuos omnes reditus, quos Catholici, si haberent Monasterium, reciperent. Quam ob rem, quæ diximus in examine Gravaminis quinti sufficiant.

EXAMEN

Gravaminis octavi.

CLXXII. *De Pacis perpetuitate.*

SIc illud ab Ernesto proponitur. *Si controversiæ Religionis non componantur in Concilio aut Comitiis, nihilominus pax hæc absoluta, incondition-*

ditionata & perpetua esse debet. Art. XII. Eadem perpetuitas confirmata fuit in Comitiis anno MDLVII. MDLIX. MDLXVI.

Vera Pax, perpetua an temporaria securior sit?

Sed de hac perpetuitate iam egimus in Examine primi Gravaminis. num. 170. Sed ne nihil hîc dicere videar, inquiro, Vera cum Hæreticis iniri possit pax securiùs, perpetua, an temporanea? Ernestus sect. IV. in ipso initio pro perpetuâ definit, & sic ait, *De perpetuâ* (pace) *præcipuè agimus; temporaria enim parum fidei & securitatis habet, neque acquiescent Protestantes donec undequaque stabilem seu iam seu aliàs obtineant.* [Ernesto igitur teste, aut pax perpetua concedenda est hæreticis aut nunquam requiescendum est.] At cùm ipse pacem perpetuam stabiliorem & securiorem temporaria definit, decipitur, & ostendit se carere experientiâ & historiâ. Pacta, quæ involvunt breve tempus, accuratiùs ubicumque servantur; & dissimulantur ad tempus plurima, quæ in æternum non possent. Concordiam, quam tempus præscriptum diximet, sanctè tenemus homines, malumusque eam decidere quàm deiici, terminari quàm frangi; quam tamen frangeremus omnino, si rationes urgerent, nec terminus illius instaret.

EXAMEN

Gravaminis noni.

CLXXIII. De Pacis securitate.

Constitutionibus Imperij & aliis Ordinationibus contrariis (adeoque vel maximè Pontificum & Ecclesiæ) derogatur. Ernestus ait, *neque ulla declaratio in contrarium dari, peti, aut acceptari potest.* Art. XV.

Semper video verba cruda, dura, & quæ cooperationem aut contemptum Religionis insinuent. Nec verbum in toto articulo de Ordinationibus Ecclesiæ aut Pontificum; nec dicitur Pacem Religionis aliis Ordinationibus derogare, sed illas huic nihil demere aut derogare debere: inter quas phrases magnam urbanitas differentiam reperiet.

Cùm nulla declaratio contra Pacis Articulos nec petenda nec acceptanda promittitur, nihil mali promittitur; quoniam declarationem non petere, & oblatam non acceptare, malum

non est ; maximè cùm necessitatis lex maior sit omni civili & pontificiâ; quoniam in Canonicis Pontifex, in politicis Reges & Cæsares dispensare possunt & solent ; qui tamen in necessitatis lege dispensare non possunt: quia quod impediri & dispensari potest, necessarium non est.

Accedit, quòd Declaratio, quæ concedatur aut petatur, vel definiet hanc Pacem Religionis debere observari, vel debere non observari; si primum, superflua, & inutilis erit; si secundum, falsa erit; evidens enim est, debere observari pacta, quæ nihil contra legem superiorem includunt, & hæc, quæ expendimus, nihil contra legem divinam & nihil contra humanam validam complectuntur. Humana enim, siqua daretur, quæ iuberet potiùs totum perire quàm partem; potiùs maius malum permitti quàm minus; potius utrumque damnum tolerari quàm alterum: in Dei legem impingeret, nec servari posset sine culpâ mortali.

EXAMEN

Gravaminis decimi.

CLXXIIII. *De obligatione successorum.*

AD *hanc pacem observandam*, ait Ernestus, *Cæsar & status pro se & successoribus & heredibus suis fidem faciunt.* Art. XVI.

Sed hoc est rescribere aliis verbis octavum. Quoniam si in Gravamine octavo dicitur Pax perpetua esse, dicitur esse quæ debeat in perpetuum à successoribus servari. Vide quæ de perpetuitate dicta sunt num.

EXAMEN

Graviminis undecimi

CLXXV. *De Pacis defensione.*

VErbis male conditis, ne dicam iniuriosis, proponitur; Ernestus, enim ait, *Cæsar & status Catholici, secundum Pacis huius Articulos non minus Protestantes, quàm Catholicos defendere debent, imò & iuvare* (horreo dum lego, vel Ferdinandi I. iniquitatem, vel Ernesti *in hæresi introducendâ, & subditis ad eam vel emigrationem compellendis, si reniterentur.* Art. XVII.

Si

Si hoc verè in Pace Religionis continetur, væ Principibus, qui tam iniquam legem pronuntiarunt, aut fœdus tam sceleratum percusserunt. Sed si ficta sint, væ calumniatori; materia enim gravissima est; Viri, gravissimi; calumnia quæ graviter maculet, nec committi sine mortali culpâ queat.

CLXXVI.

Ego sanè totum Articulum perlegi, & multas negationes reperio, plurimas permissiones; & solummodò unam actionem positivam, quæ exprimitur verbis sequentibus. *Nos & illi. nostrique & illorum successores ac hæredes tali casu, non tantùm ei qui vim intulerit aut facti molestiam exhibuerit aut exhibeat, consilium auxilium & patrocinium nullum præstare; sed etiam alteri parti, aut Statui, qui contra hanc pacem vim aut oppugnationem patitur, contra vim inferentem, aut facto oppugnantem*, (ecce unicam positivam actionem) *auxilium & patrocinium afferre volumus & debemus. Omnia bonâ fide, & sine dolo.* Sanè si iustè potuimus articulos antecedentes promittere, poterimus & indicere observantiam, & coërcere cuiuscumque particularis animositatem, qui pacta ista violando ludibrio habeat fidelitatem publicam, Imperiumque periculis novis exponat. Consonat mihi Ernestus ab Eusebiis sectione VI. Regulâ III. sibiipsi contrarius & affirmans *Licere Reipublicæ prohibere Catholicos, ne intempestivè hæreticos aggrediendo, vel lacessendo, se & religionem in maius discrimen coniiciant.* Hac licentiâ, quam Ernestus concedit; hac Regulâ, quam Ernestus pronuntiat, usus est Ferdinandus I. usi sunt status Orthodoxi, cùm Pacem Religionis observari iusserunt, & violatoribus non solùm negarunt auxilium, sed sunt pœnas minati.

EXAMEN

Gravaminis duodecimi.

CLXXVII. *De Camera Imperiali.*

COincidit cum præcedente. Sic proponitur. *Denique Camera Imperialis secundum hanc pacem, non attentâ Religione Ius dicere tenetur, adeoque condemnare v. g. subditos Catholicos Protestantium ad acceptandam Confessionem Augustanam aut emigrationem; &c.* Art. XVIII.

Centies hanc emigrationem repetit, nunquam intelligit; illam nos exposuimus in examine quarti gravaminis. Sanè, si licet Catholicos punire, qui immunitatem ab Imperatore hæreticis concessam violant, ut Ernestus citatus Sect. VI, Reg. III. bene asserit: procul du-

bio id in tribunali licebit; & in eo casu pro hæretico contra Catholicum ex eius principiis iudicabitur.

MANEAT

CLXXVIII. Conclusio.

Igitur Pacem Religionis nihil continere contra Deum & Decalogum, nihil contra Ecclesiam & Religionem Catholicam, quod positivè fiat; Maneat multas illam mali permissione complecti, quæ sine causâ licitè non possunt admitti. At si illæ eædem mali permissiones iniuriâ temporum necessariæ reddantur, maneat decircinari mala illa debere, quæ tolli non possunt; adeoque toleranda minora, nec maiora tolerare cogamur.

Cùm igitur totus Ernesti liber in istis gravaminibus insistat, & hæc nihil contineant, quod peccatum involvat; concludimus *Primò*, Ferdinandum I. & reliquos Catholicos Status, Successoresque suos nulli peccato cooperari; *Secundò*, Ernestum totâ sectione IV. huius cooperationis præiudicio præventum Andabatarum more non contra nos, sed contra umbras, extra arenam & intentum confligere; nec verbum ponere, quod vel difficultatem involvat, vel veritatem sapiat: *Tertiò*, eumdem totâ sectione V. obludere, nec argumenta posita sectione II. dissolvere; semper enim ad cooperationem recurrit, quam abesse, & ab illo in odium pacis fingi, liquido, ut puto, demonstravi.

CLXXIX. Vocis significatio.

NOTA. *De Amnistiâ, quam cupiunt Protestantes.*

Illam sectione 1.§.4. Sic Ernestus ab Eusebiis describit. [Amnistia, ait, vox Græca significat legem oblivionis, qualem Thrasibulus, Athenis tulit, eaque Rempublicam pacarit. Reconciliatâ pace, ait Æmilius Probus, cùm plurimum in civitate posset, legem tulit, ne quis ante actarum Rerum accusaretur, neve mulctaretur, eamque illi legem oblivionis vocarunt. Idem commemorat Valerius Maximus *libr.* 4. *cap.* 1. & imitatum se in Antonij, Cassij & Bruti discordijs componendis asserit Cicero *Philipp.* 1.

Oblivio iniuriarum.

Præter hanc Amnistiam iniuriarum & maleficiorum seu damnorum, ait Ernestus, alteram quoq; postulant Protestantes, iurium & bo-

& bonorum ereptionem; ut nimirùm pars læsa non solùm oblivi-scatur iniuriarum, sed iurium quoque & bonorum iniusto bello sibi ereptorum, eaque invasoribus in perpetuum vel ad tempus cedat & relinquat. Hæc posterior Amnistia inusitata est & peracerba. Etsi absque eâ acquieturi Protestantes non videantur. *Sic ille*, Et quidem meâ sententiâ, qui oblivioni iniurias mandat, generosiùs procedit, quàm qui cedit ius ad bona temporalia; quoniam divitiæ honori postponendæ sunt. Sed à quo anno Hæretici, & quorum bonorum amnistiam postulaturi & impetraturi sunt? Tempus docebit. Imò iam docuit, ut ex amnistiâ editâ, & gravaminibus, quæ Monasterii obtulerunt Protestantes, iam constat.

Amnistiam considerat Ernestus, illamque æquè ac Pacem intelligens inclamat. Id fixum esto; nihil ex se illicitum sanciri, vel cuius potestas non sit penes Cæsarem & Status Imperij, ipsis concedi posse. Eadem enim est ratio Amnistiæ, quæ Pacis, cuius proprietas quædam est vel effectus, vel via ad eam obtinendam. Et ego Ernesti studium rideo. Non enim tanti bona terrena facio, ut eorumdem causâ cum hæreticis differere velim; nec scio cur non possit quis illis fundos aut pecunias concedere, ne concedere maiora cogatur. Non enim est eadem Amnistiæ & Pacis Religionis ratio; Amnistia enim muros, & mores Religio concernit.

Non est multum de Amnistia fundorum disputandum, modò hac via religionem servemus.

PARS TERTIA.

Controversia deciditur. Resolutio variis argumentis firmatur; & ostenditur illa ab Ernesto non solvi.

CLXXX. *Resolutio.*

Concluditur igitur PRIMO, *Totam Pacem Religionis multas mali permissiones involvere; nullam tamen cooperationem aut actionem positivam, quæ sit interdicta à Decalogo.* Patet ex gravaminibus ab Ernesto positis, in quibus nullam esse cooperationem aut actionem interdictam monstravi. à num. CLXVII. SECUNDO, *Has easdem permissiones tantum habere iniquitatis, quantum libertatis.* Quoniam permissio necessaria, imputari non potest; & plerasque titulo necessitatis excusamus, qui credimus, sub iusto Deo nemini posse interdici, quod

quod vitare non potest. TERTIO, *Has vel similes permissiones hac rerum tempestate necessarias putamus; Quod si non subsistat hypothesis;* asserimus, *Cæsarem habere obligationem cavendi Imperio mala omnia, quæ possit*: addimus, *peccaturum, si minus malum permittat, cum tamen utrumque (minus & maius) valeat evitare.* An-ne Imperator Lutheranos atterere; nihil illis concedere; in triumphum agere; nihil permittere; in melius cogere posse asserendus est: Credo meis oculis, nec curo quidquid dicat Ernestus. Iacturas video; triumphos despero; Pacem suadeo; & multa Protestantibus necessariò concedenda protestor. *Porrò si necessariò non liberè; & si non liberè, nec peccaminosè concedentur.* Quid si non concedantur? *Casus possibilitatem nego: quia si volentes minora mala cavere in maiora dilabimur; non cavemus minora; quoniam in maioribus etiam minora claudi evidens est* Vide num. CXXIII.

Conscientia consulti semper ex suppositione respondent.

Nota bene.

QVÆSTIO X.

An-ne Ernestus ab Eusebio dirimat argumenta, quæ finem bello imponendum & pacem admittendam persuadent?

CLXXXI. Ernestus tota sectione II. & V.

ARgumenta, quæ solent pro nostra sententia proponi; congerit Ernestus sui Iudicii sectione II. eademque solvere conatur sectione V. nos autem claritati studentes, singula referemus, iudicabimus, & roborabimus; & utrum solvantur ab Ernesto videbimus.

RATIO PRIMA.

Non est ex se illicitum.

Possunt sæpe licitè permitti hæretici.

Primum argumentum his solet terminis proponi. Et si nullâ necessitate urgente illicitum est Hæreticos tolerare, illisque falsæ Religionis libertatem permittere, aut promittere, at cum Reipublicæ salus & veræ Religionis conservatio id exigit quòd non est licitum facit necessitas. *C. quod non est licitum 4. extra. de Reg. Iuris.* Vbi notari volo, si nomine *Necessitatis* in rigorosa significatione utamur, doctrinam hanc nulli limitationi subesse, Deus enim nec necessaria inhibet, nec præcipit impossibilia: subsumo. Atqui eò res sunt deductæ, ut vel permittenda sint quæ petuntur, vel alias in eisdem generibus coga-

cogamur tolerare peiora: ergo permissio minoris mali necessaria est, & solùm erit libera evitatio aut permissio maioris. Peccabit igitur mortaliter Cæsar, si non impediat maius malum, quod permittendo minus arcere & impedire potest. Cæterum sumpto nomine *Necessitatis* in hac significatione rigorosâ, illicitum esse hæreticos nulla urgente necessitate permittere falsum est. Sufficeret enim ad eos tolerandos Necessitas moralis, sufficeret utilitas; & satis parva, si Becano assentimus. Vtiles enim sunt Reipublicæ, qui leviter prosunt, modò ne quidem leve damnum inferant. Et hæreticos, tametsi sint sæpe pernitiosi, possunt ita compesci, ut eorumdem virtutes morales sint nobis exemplo, & infidelitas non sit scandalo: solere enim ipsos in multis moralibus virtutibus [modestiâ, humilitate, pietate, vigilantiâ, obedientiâ] nos superare certum est.

Sed & moral.

CLXXXII.
Multa hic Ernestus congerit, & nihil probat.

Sed respondet Ernestus, [Esse ex se illicitam pacem, qualem desiderant protestantes, satis demonstratum est ex cooperatione tum directâ, tum indirectâ cum hæresi ex iniuriâ Creatoris & veræ Religionis. Ex violatione officii & usurpatione potestatis non competentis, ex comparatione cum mendacio, & denique sensu ac exemplo Pontificum. S.S.PP. veterisque Ecclesiæ. Quam *ergo illicitum est in necessitate fidem negare, blasphemare, peierare, adulterari, tam illicitum est cujusvis necessitatis aut periculi obtentu talem pacem confirmare aut extendere.* Regula juris in oppositum inducta procedit de illis, quæ iure positivo aut humano, non naturali & divino, sive secundum se prohibita sunt, ut exemplum sabbathi & jeunii ostendit.

CLXXXIII.
Ernesti sententia est Creatori iniuria, Ecclesiæ pernitiosa, contra Cæsareum iuramentum:

Sed hoc non est solvere difficultatem; quoniam hanc pacem non cooperari hæresi, sed potiùs bello hanc cooperationem competere ostendo nũ. Hoc esse Creatori injuriũ, & Ecclesiæ Romanæ pernitiosum num. Suadeo, & Cæsarem in dignitatem, officium & juramentum suum peccaturum, nisi bello finem imponat, demonstro num. Et nullo eum modo incompetentem authoritatem usurpare concludo num. Scio Ernestum dicere se demonstravisse contrarium; sed dicit. Doctis viris scribimus, quos testor, apud quos non volo videri modestiæ limites excessisse, si dicam rationes illas omnes, quas Ernestus demonstrationes nominat esse

floccidas,& quæ non sufficiant in dubium vertere resolutionem demonstratam à nobis & tot Theologorum consensu à centum ampliùs annis in tot Comitiis confirmatam; unde si Ernesti sententiam probabilem dicerem, me incursurum mortalem culpam apud Deum,& & irrisionem apud homines Doctos putarem; semper enim Ernestus pugnat extra arenam, & non ingreditur difficultatem. Et ut hoc appareat evidentiùs, ultimas lineas suæ responsionis relegamus. *Regula Iuris*,ait,*in oppositum inducta, procedit de illis, quæ iure positivo aut humano, non naturali & divino, sive secundum se prohibita sunt,ut exemplum sabbati & ieiunij ostendit.* Et nos dicimus esse evidens, quod Ernestus nec Iuris Regulam intellexerit, nec casum, quem ipse tanto foliorum apparatu fuit conatus resolvere. Tenemus omnem omissionem rei impossibilis, omnem permissionem rei necessariæ,quæ evitari non possit,sive in nobis,sive in aliis,carere libertate, adeoq; peccati ratione. Delirus mentitur,furatur, lascivit, occîdit,blasphemat,pejerat; & tamen in his omnibus peccare non potest; illum enim excusat necessitas, quoniam talibus & talibus apprehensionibus positis physicè prædeterminatur, ut operatio, necessaria sit, & imposibilis omissio. Ergo in iure naturali & divino, & in his quæ secundum se prohibita sunt, excusat necessitas. Et ne putes in delirió sublatere sophisma; ad prudentissimum virum converte oculos. Sit Petrus pientissimus sanctissimusque, instet momento temporis M. præceptum credendi supernaturaliter; quid si ab instanti F. usque ad R. Deus neget omnem concursum? an-ne Petrus sine divinâ cooperatione credet? minimè. An-ne non credendo peccabit? nullo modo; quia non datur sine libertate peccatum, nec cum necessitate libertas; & in casu omissio actûs fidei supernaturalis necessaria fuit. Hinc dicimus veram realem & rigorosam nessitatem rarò in Decalogi materiâ reperiri, at excusare ab omni culpâ tam mortali quàm veniali, si reperiatur. Addimusque necessitatem rigorosam hæresin permittendi & articulos illos addmittendi impræsentiarùm reperiri.

Nec habet fundamentum probabile.

CLXXXIIII *Quidquid ex reali & insuperabili necessitate facimus vel omittimus malum moraliter non est.*

Necessitatem realem à morali distinguimus Vide n.125.133.

RATIO II.

Deus mala permittit.

CLXXXV. *Omnis humana potestas a Deo est.*

HUmanum regimen derivatur à divino, & ipsum debet imitari, ait S. Th. 2. 2. *q.* 10. *art.* 11. *c.* Ergo sicut Deus mala permittit ob majus bonum, aut ne sequatur majus malum, ita licitè Cæsar & status Catholici Libertatem falsæ Religionis permittunt, ne vera Religio penitùs intereat. Ex duobus enim malis minus eligi debet *c. duo mala dist.* 13.

Cur Deus non peccet quando mala permittit?

Hæc ratio aliquid complectitur, quod alibi prodesse poterit; non enim ideò Deus permittendo mala non peccat, quia illa ut maius vitet malum aut causet maius bonum permittit; sed quia non tenetur impedire. Certum est enim Deum, posse evitare majus malum & causare maius bonum, quin peccata permittat; & certum est Regem, qui posset aliter, quàm permittendo peccata, majora damna impedire, aut maioré utilitatem obtinere, peccaturum omnino, si in bonum finem non necessariam peccati permissionem & tolerantiam ordinaret. Sic imitationem regiminis divini missam faciens, caput illud *duo mala*, *dist.* 13. urgeo, & sic argumentum propono. Ex duobus malis, si utrumque arceri possit, neutrum est permittendum: si neutrum arceri possit, utrumque licitè toleratur. Quod si alterum vitari tantùm possit, & alterum debeat necessariò permitti, minus est permittendum, majus vitandum. At nunc ad tales sumus miserias redacti, ut in singulis articulis aut debeamus permittere quæ petuntur permittere, ne plura & peiora permittamus.

Peccat Superior, qui sine necessitate mala tolerat.

CLXXXVI. *Responsio Ernesti.*

Videamus modò quî Ernestus huic secundæ rationi conetur satisfacere. Respondeo, ait, regiminis divini exemplum suffragari permissioni primi & secundi generis non tertii, nam etsi Deus peccata dissimulat ad tempus, & subinde impedit ne contra sapientiæ suæ ordinem mala & mali intempestivè tollantur peccatis tamen nequaquam cooperatur. Neque enim ulli concedit impunitatem perpetuam, aut secluso fine maioris boni, neque libertatem peccandi,

Tollitur Ernestus: quia nihil est physicum in peccato, quod non procedat à Deo. Deus igitur cooperatur essentiam realem peccaminosæ actionis: non verò moralitatem aut iniquitatem.

legibus firmat, aut ad peccandum provocat, vel impellit, neque vitia virtutibus æquat, vel eodem loco habet, nec quidquam cum peccantibus paciscitur, nihil prætereà contra officium supremi Domini & Moderatoris optimi Maximi committit, cum peccandi Libertatem naturæ rationali, quam liberam fecit, relinquit, ad bonum præmiis provocans, à malo Suppliciis absterrens & nullâ in re potestatem in competentem usurpans, qui quæcunque voluit, fecit in cœlo & in terrâ. *His conditionibus si Cæsar & Status permittant Hæresin, quam tollere non possunt, divinæ gubernationis exemplo rectè se defendunt.* Ex duobus enim malis minus eligendum esse, cum absque eligentis peccato fieri potest, & præstare aliquid quam omnia perdere, nemo sanæ & bonæ mentis vel ambigit vel negat. Si verò *minoris mali Electio fieri nequeat, nisi cooperando peccatis, usurpando jus non suum, violando officium aut aliter peccando, lucrum mundi cum detrimento animæ non quæratur, & perdamus omnia, ut servemus Dei gratiam.* Ita faciendum esse nisi credimus, Christiani non sumus; & cum aliter facimus, Christianè non vivimus.

CLXXVII. *Respondetur Ernesto.*

Sed hoc non est respondere; sed repetere, quæ sæpius negavimus, quæ esse falsa ostendimus, quæ esse vera non probat. *Sed subsumo.* Atqui omnes has conditiones servat Cæsar, cum hæresin permittit, quoniam nec cooperatur peccatis, nec usurpat alienum ius, nec violat iuramentum, nec in officii obligationem impingit, nec peccando vult lucrari mundum, sed potiùs paratus omnia perdere quàm aliquid contra Dei gloriam facere, aliqua perdit, cum quibus gloria Dei servari non potest. Ergo acceptando pacem benè facit: Ergo nisi ita faciendum credimus, Christiani non sumus: Et si aliter suademus aut facimus, Christianè non vivimus.

CLXXXIIX *Culpas potest Deus impunitas relinquere. Aliud est præferre in aliquibus & aliud est simpliciter & absolutè præferre.*

Vel cedendum est Religioni & Ecclesiasticis, vel Pax desperanda Germanis. Negatâ enim Religionis Libertate, & bonorum Ecclesiasticorum cessione Pacem nullam admittent Protestantes. Non est autem congruum divinæ providentiæ, quòd Deus Cæsari & Statibus potestatem eripuerit remedii tam necessarii, & nos in necessitatem belli æterni coniecerit.

Annon præsumptio est totam Europam excidio exponere, sub exspectatione miraculi?

At ille contrà, neque cedendum bonis Ecclesiasticis, ait, cum læsione conscientiæ, [*nos nulli scrupulo esse locum probamus.*] nec pacem desperandam Germanis. Quam enim mundus dare non potest, aut non vult, Deus dabit, si magna divini auxilii fiducia, quæramus imprimis Regnum Dei & justitiam ejus. Vel enim concedet Victoriam de hostibus, vel animos inflectet ad Pacem non iniquam, si ab ejus Legibus deflectere, ejus Patrimonium ac Honorem prodigere [*non prodiguntur quæ dantur ex necessitate.*] cessemus. *Sic ille*; & quia exempla fortiora judicat, ne dicatur rationibus carere sic infit. [Vis ne recens exemplum? Cum ab uno alterove Monte Summus Pontifex conclusum Francofurtensium Deputatorum super anticipatione effectus suspé-

sivi

sivi Amnistiæ & prostitutione bonorum Ecclesiasticorum improbasset, cum S. Cæs. Majestas eidem concluso subscribere non minus, constanter, quam piè renuisset, cum Electores Catholici re paulò accuratius discussâ, menteque mutatâ in favorem Ecclesiæ propendere, ac causam piarum Fundationum S. Cæs. Majest. commendare animum induxissent; Mox ipsa Catholicorum fortuna in melius mutata, & ad Düttlingam 24. Novembris Anno Christi 1643. insigni miraculo cõtra Copias Gallo-Weinmarianos nobilissima Victoria parta fuit. Quasi intento digito Catholicæ Reipublicæ Capitibus ostendere voluisset Deus, successus armorum feliciores non à prostitutione sed à defensione Ecclesiarum pendere. Id quod prudẽter notavit Cardin. Baron. *Annal. Ecclesiast. lib. 5. ad An.* 432. *n.* 3. dum scribit: Ecclesiæ Religionis & Jurium Ecclesiasticorum defensionem solidũ esse ad sustinendam Imperii molem fundamentum ac sustentaculum, quo si careat, corruat necesse est. Itaq; cum in aliis mundi Proceribus, tum evidenter in Regibus Francorum ostendi posse ait. Quam diu enim defensores Ecclesiarum & rerum Ecclesiasticarum vixêre Francorum Reges & Imperii Principes, ut Pipinus, Carolus Magnus, Ludovicus pius, & alii, qui legibus, armis, multoq; sanguine bona Ecclesiastica illibata servarunt, felices illi fuerunt, eorumq; hostes victi, jugo submissi, nomenque Francorum summâ Gloriâ toto orbe diffusum; Ubi verò direptione rerum Ecclesiasticarum, adversus Deum conflatum est bellum, imbelles populi, Reges socordes, & obtusa eorum facta sunt arma. Ut pluribus exemplis ostendit idem Baronius *lib.* 10. *Annal. ad An.* 545. *n.* 33. Sed quis non videat hæc nec piè nec Theologicè dici. Nõ piè, quia accusare Cæsarẽ, quod bona Ecclesiastica prodigat, quæ ipse tanto conamine & studio defendit, inexcusabilis calumnia est: & omnia quæ de Regibus Galliæ dicit, conjecturæ sunt quæ non fundantur solidè, nec securè concludunt. Si enim oculis, quibus Hispanos, Gallos fuisset meditatus Baronius, multa in ejus Regibus potuisset observare, quæ non magnam erga Ecclesiam devotionem arguerent: Sed cur antiquis implicamur? Gallia hodie Calvinismum & Lutheranismum invictissimè promovet, Ecclesiam Dei persequitur, & tamen gloriosa & triumphalis. Æquitatem Resolutionis ab eventu metiri Theologi Doctoris non est; illa erit sancta, si legi Divinæ consona, tametsi se-

Ecclesiam defendendam esse.

quantur infortunia; erit peccaminosa, si eidem legi dissona, tametsi sequantur triumphi. Exercituum enim Dominus est victoriarum arbiter, cujus decreta ab Ernesti præscriptione non pendent. Multis oneramur peccatis, & si aliquam habemus virtutem; si flagellum, non debemus hanc incusare, sed illa; hancque ab illis distinguere non debet nos docere flagellum, sed Theologia scholastica. Hæc satis; nam Ernestus progreditur.

CCVI. *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.*

[Certè quantumvis Imperio necessaria & optabilis sit PAX, ait ille, tamen facultatem Rempublicam mediis illicitis pacificandi & cōservandi, Deus nulli Principi aut Magistratui concessit. Nec revocat Christus, quod dixit Matth. 6. v. 26. *Nihil prodesse homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.* Nec S. Paulus, quod scripsit: *non esse facienda mala, ut veniant bona.* Est bellum grande malum, scelerumque compendium, eoque deterius, quo diuturnius, sed non sicut cuneum cuneo, ita peccata peccatis pellere fas est; & præstat vel maxima mala ferre, quam minimum facere.] Hæc ille.

Retorquetur Ernesti ratio.

Hoc quidem ad rem esset, si Ernestus Pacem Religionis illicitam esse probasset: nos contrarium ostendimus, & sic discurrimus. Pax procuranda est non mediis illicitis, sed licitis; at eorum, quæ in Pace Religionis statuuntur, concessio est licita, negatio illicita: Pax igitur procurari debet illa omnia permittendo. Et Minorem probamus. Si illa mala permittantur, evitabuntur majora; si non permittantur, evenient illa ipsa, & majora cum ipsis; frustra ergo contra stimulum recalcitramus, & contra necessitatem adnirimur. Si Ernestus infortunia non audit, & pericula instantia non videt, cur venit huc argumentatum in materiâ, quæ ab experimento dependet?

RATIO VIII.

Bona intentio.

CCVII. *Quidquid agant homines, intentio iudicat actiones.*

CÆsar & Status Catholici optimâ intentione conservandi Religionem ejusmodi Pacem sanciunt; mala autem per accidens evenientia, aut hæresis promotionem vel approbationem nequaquam intendunt. Non ergò eâ in re magis peccant, quàm bellum justum, aliaque gerendo,

rendo, cum quibus per accidens & præter intentionem multa scelera, aliaque mala conjunguntur. Ad hæc non pauca. Pax Religionis in favorem Catholicorum continet, ut Reservatum Ecclesiasticorum, potestatem reformandi Catholicis etiam Statibus & emigrationem Lutheranis quoque subditis concessam. Ut adeò hæc Pax mala sua paribus bonis compenset.

CCVIII. *De pace illicitâ.*

Huic argumento responsurus Ernestus, Pacis illicitæ, & Belli justi ideas ob oculos conatur proponere; & supponens Pacem, quæ desideratur, fore illicitam; Bellum, quod protrahitur esse justum; illam ne cogitandam quidem, hoc conservandum & gerendum concludit. AGENS igitur de Pace illicitâ, statuit illam non magis excusari bonâ intentione, quam furtum animo dandi Eleemosynam, aut adulteriũ cum hæreticâ animo ipsam convertendi ad fidem. *Inordinatio n. & pravitas huius Pacis,* Ernesto judice, *per accidens se habet ad intentionem paciscentium, ut in omni peccato contingit,* teste S. Tho. 1. 2. q. 72. a. 1. *Nemo enim intendens ad malum operatur,* ait S. Dionysius c. 4. de Diu. nomin. (mallet quippe fornicator aut potator abesse deformitatem culpæ à delectatione Veneris & potûs, quam quærit,) *quia verò ejusmodi pravitas sive deformitas per se coniungitur actui fornicationis aut ebrietatis, & in proposito conditionibus desideratæ Pacis: ideò bona intentio non excusat fornicantes, aut se inebriantes, adeoque nec paciscentes injustè.*] Hæc Ernestus, & quidem eruditè; unde si semel probaret, pacem hanc, quam intendimus, injustam esse, probasset non posse illam bonâ intentione excusari; nisi fortè bonam hanc intentionem cum invincibili ignorantiâ conjungeres, quæ in re tam examinatâ præsumi non debet.

CCIX. *De Bello justo.*

Injustæ Pacis admissionem damnavit, & in hoc Catholicus nemo dissentit. Deinde Bellum justum commendat, & ait. *Secus est de Iusto bello, aliisque similibus: Mala enim his adjuncta, non solum per accidens se habent respectu operantis, verum etiam operationis, quæ ex se benè fieri potest. Sic bellum iustum gerere, ex se non est latrocinari, prædari, libidinari: Sed Rempubl. defendere, vel injurias & damna legitima authoritate vindicare, quod ad officium Iustitiæ pertinet.* Et ut dialecticè dicatur loqui, hac Majori positâ & probatâ, subsumit, *Pacem, qualem desiderant Protestantes sancire, ex naturâ actûs & objecti esse cooperari hæresi, eam veræ fidei exæquare, usurpare potestatem non suam, Offi-*

tium denique & juiurandum violare, quæ non per accidens, sed secundum se sunt illicita. Et concludit *Pacem illam quæ tractatur Monaster: iob multa capita esse injustam.* Et nos veritati insistentes Minorem syllogismi negamus.

CCX.
Metus, etiam qui in constantem cadit, peccatum non tollit: sed minuit, metus enim non concedit, ut possis violare Decalogum.

Ut probet hanc Minorem progreditur Ernestus & ait, *Non juvare hæc metu majoris mali ab invitis fieri, quæque hæresin maximè detestantur. Est enim hoc quidem bonæ mentis indicium, quod non potest non laudari, ut Cardinalis Hosius Respondit Paulo IV. Sed metus Peccatum quidem minuit, non tamen tollit: Neque enim præceptum fidei non violat, qui metu mortis sacrificat Idolis, quæ mente detestatur, licet minus peccet quam si eadem Deos putaret. Neque Petrus non peccavit, quia ex metu Christum non animo, sed verbis negavit. Etsi igitur Catholoci cum Protestantibus juxta votum illorum paciscentes, animo hæresin non approbent: at re ipsâ tantum eidem concedunt exterius, quantum non nisi veræ fidei debetur, ideoque peccant.* Sed hæc non probant Pacem fore injustam, sed supponunt; Sanè si illa vel minimam circumstantiam involveret, quæ non esset mera mali necessarii & inevitabilis permissio, sed potiùs cooperatio vel actio, urgerent, quæ ab Ernesto ponuntur; talis enim formalis cooperatio peccati, esset illicita; Pax, quæ ipsam involveret, injusta; nec quisquam metu posset à mortali excusari. At nostram Pacem peccato formaliter cooperari Ernestus dicit, & pauci cum eo, & id ipsum nullâ vel probabili ratione suadent.

CCXI.
Positâ cooperatione ad culpã pax bonorum compensatione non salvabitur.

Si semel cooperatione ad formale peccati admissâ, Pacem ideò defenderemus, quod multa in ipsâ in Catholicæ Religionis favorem contineantur: esset, ut bene notavit Ernestus, *Excusatio indigna Christiano, qui à Christo didicit, neque totius Mundi lucrum cum detrimento animæ, sive peccato esse quærendum, & à S. Paulo, non esse facienda mala, ut veniant bona. Neque fas unquam fuit peccata peccatis compensare. Non absolvitur Iudice Deo adulter, qui Eleemosynis, aliisque piis operibus turpitudinem excusat, in quâ perseverat. Nec denique favor Religionis est solidus, cum hæresis illi æquatur, aut in periculum tantò nocentius, quantò speciosius, conjicitur.* At quia in præsentiarum omnia àliter; excusatio indigna Christiano non est. Non enim in Pace Religionis æquatur Catholica Fides Hæreticæ, nec in periculum inducitur; sed potiùs violentiâ bellorum inducta, libertate & securitate, quantùm humanitùs licet, & tempora permittunt, donatur. Quinimò stando isti discursui, Bellum hoc, si liberum, per accidens injustum est; illud enim verè, dum Parrochos & sacer-

sacerdotes fugat, Prædicantes Lutheranos aut etiam Calvinianos substituit, non solùm Catholicæ Religioni æquat, sed anteponit hæresin, & nos sub prætensæ & fictæ ab Ernesto virtutis specie in periculum, tantò nocentiùs, quantò speciosiùs conjicit.

Argumenti retorsio.

RATIO IX.

Exempla Pontificum, Principumque.

CCXII.

Theologus rationes curat nō exempla. Hinc apud Iurisperitos dicitur, Legibus & non exemplis esse causa æquitatem probandam.

Scholasticus Theologiæ rigor alia exempla non curat, quàm quæ ita virtutibus & vitiis connexa, ut & ipsa connexio sit revelata divinitùs, aut humanitùs clarè probata. Favores divinitùs concessi sanctitatem non probant; multi enim indignis fiunt, & gratiæ gratis datæ vocantur. Infortunia peccatum non insinuant; sæpe enim ad exercitium & lucrum spirituale inferuntur. Acta Hominum, etiam sanctissimorum, non juvant; nam & ipsi errare potuerunt, & qui sanctitate nos excedunt, forte à nobis doctrinâ superantur. Sed quia exempla adversarii producunt, & regerunt à nostris adlata, aliqua subiicere volui, quæ Ernestus *sect. 2, rat. 9.* sibi objicit.

Occurrit primus S. Ioannes Papa, felicissimi hujus nominis Primus, qui urgente Theodorico Rege Italiæ Arriano libertatem Religionis pro Arrianis à Iustino Imperatore Catholico petivit & impetravit teste Anastasio *in Ioanne* S. Athanasius teste Zozomeno *l. 3. c. 19.* instante Constantio Imp. Arrianis Ecclesiam Alexandriæ concedere paratus fuit. Concilium Basileense concessit Bohemis, ut Basileæ in suis hospitiis divina celebrarent.

Christiani Imperatores olim sæpiùs ejusmodi Religionis libertatem concesserunt. Superiori sæculo Ferdinandus I. aliique Principes Catholici transactionem Passaviensem Anno 1555. sanxerunt. Ejusdem Pacis confirmationem Petrus Canisius cum aliis è Societate Iesu Anno 1566. probavit, & Legato Apostolico, ne obsisteret persuasit, ut refertur in ejus vitâ eodem Anno. Ferdinandus II. Pacem Pragensem in 40. Annos ex Theologorum consilio pepigit.

Contraria denique sententia infaustos sæpè exitus habuit, tum alibi tùm maximè in Germaniâ, quando Anno 1630. Pax à Theologis impedita fuit, ut non dissimilis videatur Consilio, quod Roboamo dederunt juvenes *3. Reg. 12. vers. 10.*

Plura

CCXIII.

Plura exempla non pono, sed posita ab aliis usurpo, scribo enim viris illustribus, Theologiæ peritissimis, qui rationes considerant & ponderant, & exempla non curant: faliciùs enim possunt dicere hos, quorum exempla altera pars producit, aut laborasse ignorantiâ, aut fragiliter erravisse, aut potiùs (quod vero similius) temporibus vixisse à nostro summopere diversis; quàm veritatem non esse veritatem, nec virtutem virtutē. Cæterùm siquidem aliquot Magnos Viros in exemplum produximus, quid Ernestus de ipsis, quid de eorumdem actionibus dicat, audiamus.

CCXIV. *De S. Ioanne Papa I.*

PRIMÒ ait gravissimam injuriam fieri S Ioanni Papæ; & ut eum vendicet, majorem ei injuriam infert. Non impetrasse ab Imperatore libertatem Religionis pro Arrianis, colligit ex Epistolâ, quam idem S. Joannes Papa in carcere scripsit, & ex Gregorio Turonensi, ejus sæculi scriptore, *qui cap. 40. de glor â Martyrum*, asserit, *Ioannem, cùm ad Episcopatum venisset, summo studio Hæreticos execratum, Ecclesias eorum in Catholicas dedicasse.* Sed hæc non sufficit, nam sub initium potuit fuisse potentior, & successu temporis debilior; & si sub initium Arrianos persequutus fuit, & posteà illos permisit, & tolerari ab Imperatore impetravit, consiliantur Anastasius & Gregorius qui contrarii videntur. Qui si contrarii sint, nescio cur ex Gregorio corrigendus Anastasius sit, & non potius Gregorius ex Anastasio. Accedit quod in testimoniorum oppositione illa sit melior expositio, quæ utrun que admittit & conciliat; non enim salva reverentiâ dici solet, decepisse Anastasium, erravisse Gregorium: standum ergo est temporum distinctioni, & dicendum sub initium Ioannem aut defectu experientiæ aut excessu potentiæ Arrianos tolerare noluisse; quos tandem infortuniis doctus vidit prudentiùs permittendos. Sed neque injuriam facit S. Ioanni Papæ, qui dicit eum judicasse majora damna posse emergere ex Arrianorum proscriptione, quàm ex permissione, & consuluisse Imperatori, ut pateretur minus malum; id enim si fecit, tempore videlicet exulcerato, cum Catholici erant impares & deberent ab Hæreticis obrui, secundum Deum ille & optimam Theologiam fecit.

Gregorius & Anastasius conciliati. Cùm dissentiūt graves Historici, non est cur alterum alteri præponamus sed potiùs uterque est exponendus.

Addit Ernestus, carcerem mortemq; Ioannis omninò contrariū ostendere; neq; enim Theodoricus eum carcere & morte mulctasset, si Arrianis Ecclesias, uti injunxerat, impetrasset. Sed cur non?

Tyran-

Tyrannus & hæreticus erat Theodoricus, Ioannes pius & catholicus, & qui poterat ei in aliis millenis rebus displicere; & ob alias causas crudelibus laqueis vinciri, & iniquâ sententiâ damnari.

CCXV. *De legatione Ioannis Papæ.*

Sed cur Ioannes Papa Legatus esse voluit Regis Arriani Theodorici, & Hæreticorum nomine clementiam Cæsaream implorare? *Suscepit Ioannes*, ait Ernestus, *iussu Regis legationem pro Arrianis* (nota singula verba) *eodem animo, quo Mater Machabæorum 2. Machab. c. 7. Antiocho Rege suadente, ut filio adolescentiori, qui solus carnificinæ fratrum superetat, fieret in salutem, per ironiam se obsecuturam promisit: idque mox gravissimis ad Constantiam monitis, re ipsâ demonstravit.* Ioannes igitur Procuratorium & Commissionem suscepit ab Arrianis, ut eos cautiùs deciperet, & contra illos Cæsarem excitaret. Sic eius authoritatem tuetur noster Theologus; & ut neget, quæ salvâ pietate & honestate fieri potuerunt, illa quæ à vili homine non potuissent, sancto & sincero Papæ imponit.

CCXVI. *De S. Athanasio.*

SECVNDO, ad S. Athanasium convertit oculos; & ait, cum Constantio viribus imparem sapienter dixisse se Arrianis templum Alexandriæ concessurum, cum præsertim inde maius bonum speraret, si vicissim pro Catholicis templum Antiochiæ obtineret; quod advertentes Arriani, permissionem templi Alexandrini libenter remiserunt. Neque, si Hæretici ex aliquâ Vrbe penitus expelli nequeant, nihilque præterea in præiudicium Religionis illis tribuatur, illicitum erit, aliquod templum exercitio hæresis assignare; vbi minori cum Catholicorum periculo & exacerbatione suâ, quam in privatis ædibus conveniant: *Locus enim valdè extrinsecè se ad peccatum habet; ideoque licere Meretrici aut Vsurario domum locare*, cum aliis tenet Sanchez tom. 1. l. 1. in Decal. c. 7. num. 20. Quod de templo quoque, exemplo Athanasij inductus concedit Malderus 2. 2. q. 10. a. 11. eo nominatim casu, *quando Hæretici multa loca munita occuparunt, in quibus & ex quibus multas corrumpunt: admissuri in illis exercitium Religionis Catholicæ, si aliqua ipsis vicissim Ecclesia relinquatur.* Quod non magis illicitum est, quam cum urgente necessitate templa in propugnacula, vel alios profanos usus convertuntur.

Locus dari potest hæretico, usurario, meretrici.

Sed cum ita discurrit Ernestus, rem non tangit. Non volunt nostri cùm S. Athanasium producunt, eum peccasse; sed dicunt primò eum fuisse sanctissimum & doctissimum virum; secundò urgente neces-

necessitate templum Arrianis in ipsâ Alexandriâ concessisse; adeoque inferunt, tolerare hæreticos, & eis templa concedere, ex se malum non esse; aliàs enim, cùm non sint facienda mala, ut eveniant bona, non potuisset ille dando Arrianis unum Alexandriæ templum, Catholicis Antiochiæ residentibus templum & liberum veræ Religionis exercitium obtinere. Omnia concedit Ernestus, & tamen multis nos onerat, ac si distingueret vel limitaret.

CCXVII. De Basiliensi Concilio.

TERTIO descendit ad Concilium Basileense, & tribus verbis se iugulat, & nostram opinionem defendit. Exemplum Concilii, ait, ut nihil dicamus de eius authoritate, plus non probat, quàm simplicem tolerantiam ad breve tempus: neque enim exercitium suæ sectæ Husitis sine gravi incommodo Basileæ tunc negari potuit. Subsumo. At nunc nullo queunt modo impediri; quæ Lutherani postulant, eaque habebunt, seu concedantur, seu negentur: Ergo ne peiora succedant, permitti debent, quæ vitari non possunt. Sed neque temporis brevitas excusationi est; quæ enim ex se mala sunt, ne brevi quidem licent tempore; & quæ bona in mala solâ duratione non transeunt. *Vide num.* 230.

CCXVIII. De Imperatoribus.

QVARTO severo supercilio causas Imperatorum examinat, resolvitque antiqua exempla gratis produci; quoniam illi, qui libertatem Religionis permiserunt, vel Christiani non erant, ut Iulianus Apostata; vel Hæretici, ut Constantius; vel necessitate, aut incautis Consilijs impulsi, eam aliquamdiu concesserunt, vt Iovinianus, Gratianus, Theodosius, Honorius. E quibus Gratianus & Theodosius vnà cum Valentiniano seu necessitate cessante, seu facti pœnitentes, severissimas postea Leges adversus Hæreticos tulerunt, quæ hodieque extant, *c. de summa Trinit. c. de Heretic. L.* 2. Idem ab Honorio factum asserit: concludit tamen, qui perpetuam cum hæreticis pacem, eaque ratione, quâ hodie desiderant Protestantes, pepigerit, Imperatorem aut Principem Catholicum ante Tractatum Passaviensem, & Pacem Religionis nullum posse commemorari. Hanc pacem fuisse malo exemplo & scandalo aliis multis Principibus, qui hoc decreto delusi in hac materiâ deliquisse videntur.

CCXVIIII. Retorquetur instantia.

At subsumo. Si necessitate compulsi Iovinianus, Gratianus, Theodosius, Honorius, & Valentinianus, potuerunt tolerare Hæreticos; potuit proculdubio eos tolerare Carolus V. & Ferdinandus I. anno

anno MDLV. poterit & nunc Ferdinandus III. si pari necessitate cogatur. Nec mutat rerum species temporis minor aut maior longitudo, ea enim quæ biennio licitè permittuntur, si causæ aut necessitas decennio perseveret, poterunt decennio permitti: imo in perpetuum, si perpetua sit concedendi necessitas.

QVINTO nec Ferdinando I. ignoscit, tametsi ut num. 101. ostendimus, maluerit à Theologis & Ecclesiasticis in Comitiis Augustanis dirigi, ait enim. [Ferdinandi I. & Catholicorum statuum in sanciendâ Pace Religionis consilium comprobare, *prohibent Lachryma*, quas teste Cardinale Hosio, *idem Ferdinandus, cum ei subscriberet, fudit*; Argumenta itidem ex certissimus Scripturarum ac Theologiæ principiis, SS. Patrum, Veterum Catholicorum, summorum præcipuè Pontificum authoritate stabilita, à nemine vero hucusque convulsa.] Sed sunt verba, non enim argumenta vidimus, quæ solutione indigerent; Repetit eadem Ernestus centies; & singula mole suâ ruunt. Et quidem inter lachrymas Ferdinandum Paci subscripsisse non miror; nam & inter lachrymas subditos gravibus pœnis aliquando punimus, & tamen, non quod mala facimus lugemus, sed quod talia sint rationum momenta, quæ nos cogant similia tolerare vel facere.

CCXX. *De Ferdinando I.*

Non prohibent. habet exemplar, sed sensus postulat, ut illa negatio auferatur.

SEXTO non patitur Ernestus, ut Patres societatis Pacem Religionis approbasse dicantur, aitque Nuntium Apostolicum à Patribus societatis Iesu persuasum Anno 1566. confirmationi Pacis Religionis non contradixisse, vanum esse: Protestationis enim coram Notario & Testibus factæ exemplum authenticum à se. *Rat.* 8. §. 2. allegatum, in Archivio Episcopatus Augustani extat. At subiungit eosdem Patres fortè id effecisse, ne publicè protestatio fieret cum perturbatione & scandalo; id enim verba Nuntii supra allata innuunt. Et concludit, Patres, si plus suasêre, sola temporum necessitate sibi propositâ, Pacis autem qualitate non explicitâ, nec intellectâ, falli potuisse. Et ad Canisium, beatæ memoriæ virum veniens, negat illû huic Paci patrocinatum; cum enim is Cardinali Ottoni & Episcopo Augustano vnicè carus, & Magistri spiritualis loco fuerit, vtiq; & persuasisset, ne Protestationi An. 1555. tam constanter insisteret, & toties tû in aliis, tum in illis ipsis Comitiis Anno 1556. eandem aut ipse repete-

CCXXI. *De Patribus societatis.*

ret, aut per suos Legatos repeti mandaret.] Sed quis non videat has esse meras conjecturas, & quæ nequeant satisfacere difficultati? Nuntium Apostolicum anno 1566. protestatum fuisse, audio & gaudeo; id meo Illustrissimo Chisio, agenti monasterij suadeo; qui me iudice non debet impedire pacem, sed protestationem interponere, ob rationem positam num. 18. Si quis Nuntio Apostolico, ut pacem impediret aut retardaret suasit, aut non amabat Religionem Catholicam, aut necessitates publicas ignorabat. Si quis illi protestationem dissuasit, erravit: imò etiam ille, qui persuasit, ne publicè protestaretur: cùm enim Christus non sit Princeps tenebrarum, sed lucis, ita in Comitiis debemus procedere, ut hæretici nostram sinceritatem & candorem vidētes, glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est. Laudo Gardinalem Truchsessium, qui generosissimè & candidissimè processit; & siquidem Canisij discipulus spiritualis fuit, huic venerabili Patri debemus, quòd ne verbum quidem in tot ille Protestationibus posuerit de bonis Ecclesiasticis; sciebat enim vir prudens hæreticos meras divitias quærere, quibus semel concessis omnem essent nobis indulturi libertatem & immunitatem.

CCXXII. *De Pace Pragensi.*

SEPTIMO, Ernestus Pacem Pragensem positam ob oculos accuratiùs considerat, & ait: [Pax Pragensis, quatenus certis annis definitur, improbanda non est. Quatenus autem Pacem Religionis, præcipuè vero Regulam alti scil. meri Imperii confirmat, & Hæreticis quosdam Episcopatus, seu bona Ecclesiastica à Catholicis recuperata, restituit, aliasque conditiones hæresi cooperantes, vel usurpationem potestatis non competentis continet, nostro suffragio absolvi non potest. Ob quas easdem causas nec de Amnistiâ super conclusâ mitius nobis sentire fas est, utpote in qua Pax Religionis & Pragensis quoque stabilitur aliaque statuuntur, quæ veteri Christianæ Theologiæ repugnare, neque ipse potestatis Imperialis demonstratum est: Theologi consultores quicunque fuerint, veniam dabunt, si illorum opinationes SS. PP. Veterum Catholicorum & Pontificum maximè authoritati, receptisque Theologiæ principijs postponantur. Etsi credimus non paucos, præsertim exteros aliter pronuntiaturos, si Pacis Religionis & Conditionum tum illi, tum nuperæ Amnistiæ insertarum, plenam solidamque notitiam haberent. Certè agi solum de Sex scilicet Wirtenbergiæ Monasteriis, ut aliqui iactant,

iactant, est glaucoma, quod suis alienisque oculis obiiciunt; qui verum nec ipsi videre, nec ab aliis videri volunt.] Sic ille.

Et ego Pragensem illam pacem nec impugnare, nec defendere volo, sed de illâ in exemplum positâ circulum committendo: *sic inquam*, Pax Religionis & Pragensis sunt similes: illam magni Viri approbarunt: ergo hæc nihil complectitur, quod permitti non debeat. *Vel sic*. Sunt similes; & hanc esse piè & sanctè conclusam videmus; ergo summa sit iniuria Theologis, qui Pragensem compositionem consuluerunt; cùm eosdem consilio, Pacem authoritate hæresi cooperari noster Ernestus animosè pronuntiat.

CCXXIII. Articulos instar pharmaci esse.

FATEOR, Amnistiam esse instar potionis amaræ, qua Religio & Ecclesia, ne penitus intereat corpus mysticum, conservari debeat; certum est enim feliciorem fore Germaniam, si omnes essemus Catholici, & hæretici aut nulli essent, aut nullâ authoritate præditi. At id ipsum quod verissimum est, Ernesto displicet, nec sibi persuaderi vult, hanc seu similitudinem, seu parabolam esse Evangelicam. SS. Patres, Doctores Veteres, Summosque imprimis Pontifices, quos Religionis, Ecclesiæque Vulneribus curandis Deus semper adhibuit, credit, ut ait, esse medicos tã peritos, ut nihil causæ sit, cur aliis credatur esse pharmacum, quod isti dicunt esse Venenum. Non enim invidissent Sancti Viri & Summi Pontifices sanitatem Provinciis hæresi infectis, si eiusmodi pacem iudicassent cum salute paciscentium posse consistere.] Sed cùm Historiæ sint ad Theologiæ limam examinandæ, quam Pacem Theologia meundam sub mortali peccato asserit, non possunt Historiæ damnare. Quoniam veteres illi Principes, quorum Historiæ legi possent, vel fecerunt idem quod Carolus & Ferdinandus; vel non, si idem, non debent contra hos pientissimos Cæsares protrudi. Si non, vel fuerunt alia tempora vel errarunt. Nemo enim nostri aut prisci ævi Doctor citari poterit, qui admittat hanc propositionem, *Quando bellum est perniciosum Ecclesiæ & Imperio, et si ab Hæreticis proponantur Pacis articuli, qui Legi Deo non dissonent, admitti non possunt, sed est æternum militandum.* Et quidem si de alio casu Ernestus agit, extra rem agit; quoniam hypothesis nostra, quam nos demonstramus, & ille ne leviter quidem impugnat, ista est.

Frustra id ab Ernesto impugnatur.

CCXXIIII. Ernesti animositas.

Clamamus, & surdus videtur Ernestus. *Afferant, ait, aliquam causam idoneam hesterni, hodiernique Theologi, quæ conscientiæ tranquillandæ sufficiat,*

sufficiat, cur in re tam gravi ipsis potius credere debeamus, quam Sanctis Patribus, supremisque à Deo constitutis Religionis moderantiæ, conservandæque Antistitibus. An quia aliter Religio conservari nequit? Atqui iuxta doctrinam Christi præstat totius mundi lucrum negligere, quam illi iturum quid admittendo, animæ detrimentum incurrere. Sed quia causam & rationem idoneam petit, illam breviter damus. Sic dicimus & petimus audiri ab Ernesto. [Oportet pereundi pericula evitare, & peccabit mortaliter Princeps si possit & nolit Populo suo conscientiæ & vitæ pericula instantia cavere; at modò Imperator potest, ergo tenetur. Minor probatur. Quoniam impotẽtia est duplex physica & moralis; dicimur enim physicè non posse, quæ excedunt naturales vires; & non posse moraliter, quæ læderent nostram conscientiam. At Cæsar Articulos Pacis propositæ potent acceptare physicè; quis enim de physicâ potentiâ dubitet? potest moraliter; quia nihil continent, quod sit contra Decalogum. Potentiam ergo ille & physicam & moralẽ habet. Pacis Religionis & Decalogi dissonantiam loquitur & loquitur Ernestus, nos non percipimus; imo stante necessitate & iniuria temporum consonantiam monstramus.]

CCXXV. *De Roboami consilio.*

TANDEM ad consilium Roboami 3. *Reg.* 12. deveniens, calumniam esse, ait, non exemplum; Iuvenes enim & collactanei consilium Roboamo dedêre, cui obsecutus se & totum ferè Regnum perdidit, *non Religionis, sed stulta in subditos severitatis causa.* Consilii de non sancienda Pace cum Hæreticis, qualẽ ipsi extorquere volunt, autores sunt, Christus Magni Consilii Angelus, S. Paulus, S. Ambrosius, S. Chrysostomus, universæ Africæ Episcopi Catholici, S. Ioannes Papa I. & Martyr, Paulus III. Paulus IV. Pius V. Vrbanus VIII. Quorum Authoritatem iuvenilis consilii stultitiâ infamare nefas iudicamus. Suffragantur adhæc nobis ab antiquo pijssimi Imperatores, & semel atq; iterum universi Catholici Imperii Status; denique Catholici Status Hungariæ, omnesque Theologiæ veteris, solidæque sectatores.] *Hucusque Ernestus.* At Ego consto: & obiectioni non fieri satis dico. Non asserit Argumentator Cæsarem esse Roboamum, Ernestum & suos esse Roboami iuvenes, causam esse eamdem numero; sed esse similes: Et similia non debere in omnibus esse similia; quæ enim in omnibus sunt similia, nõ iam sunt similia, sed idem. Similitudo autem consistit in hoc; *quòd sicut* datum Roboamo, sic quod datur ab Ernesto Cæsari, sit iuvenile cõsilium, nullâ probabili ratione subnexum, nulla providen-

videntiâ fundatum; *quòd sicut* Roboam consilium illud obsequutus totam fere ditionem perdidit, sic etiam Cæsar, quia Ernesti consilium obsequitur, singulis diebus novas iacturas patitur, ut timendum sit, ne tandem omnia perdat, nisi mutet dictamen, & pacem, quam moratur, concludat: *quòd sicut* Roboam non religionis, sed stultæ in subditos severitatis causâ, sic etiam Cæsar, non religionis (religio enim acciditur, & ut bello finis imponatur implorat) sed nimiæ credulitatis causâ consiliis ducitur, queis non deberet.

Porrò Bellum esse agendum, quale Ernestus desiderat, pacem non iri admissum qualem Protestantes proponunt, etiam in casu quo debeat perire in Germania Religio, si aliter procedatur, docet expressè Ernestus, qui ait, *Nec Ecclesia ideò peribit. si peccatis nostris exigentibus Deus à Germanis auferat Regnum suum. & det genti facienti fructum illius.* Fortè idem Vrbanus VIII. etiam docuit, qui Bellum Hollandicum esse politicum nec religionem concernere. & Hispanis imputandum, dixit P. Aldenardio Belgæ, Capucinorum Provinciali, meo amico; & multa alia aliis, quæ subsistere nequeunt. Quid scio? At teneo à Christo, magni cōcilii Angelo, à S. Paulo, S. Ambrosio, S. Ioanne Papâ, aut ab aliquo viro sancto & probo doctum dictumq; nunquam fuisse, melius esse ut Ecclesia pereat in Germaniâ, & transferatur ad gentes facturas fructum, quàm quod nos ineamus cum hæreticis pacem, quæ contra legem Dei nihil imbibat, vt vel sic possimus mores nostros convertere agere pœnitentiam, & misericordiam implorare.

CCXXVI. De hostium Victoriarum causis.

ET DENIQVE ut omnia Ernestus dirimat, Consiliarios excusat, quos reos agebat argumentum. [Iniuria est, inquit, infœlices successus præsertim ab anno MDC.XXX. his Theologis adscribere, quia nō magis illorum rei sunt, quam Christus furtorum, proditionis & suspēdii Iudæ quia ad Consilia Evangelica & Apostolatum illum vocavit. Quid Iuris Religio Catholica habeat in Imperio, quod officium Cæsaris sit in eo iure asserendo tuendoque, liberè & solidè exposuerunt. Non hinc fluxerunt infausti successus, sed ex Victoriarum abusu, divitum Luxu, perfidiâ & partim desidiâ vel imperitiâ, pulcherrimarum occasionū neglectu, commeatuū, rerumq; necessariarum nulla provisione, quæ res plures Exercitus consumpserunt, quàm hostis cedere potuisset; licentiâ item militari nec lectâ, nec auditâ, per quam iustissimum bellum in Latrocinium publicum degeneravit, aliis deniq; causis, quas non perinde explicare quam cogitare fas est.] sic ipse.

At

CCXXVII. *Sibi ipsi respondet Ernestus.*

At hîc Ego paululum immorabor. Nam *Sect.5. ad 6.* ut probet Pacem Pragensem fuisse illicitam, & Amnistiam Ratisbonensem iniustam, obiicit nobis martem retrogradum, Franciscum-Albertum Saxonem, Franciscum Melloanum, Leopoldum VVilhelmum Archiducem, aliosque Duces, & sub ipsis Catholicos exercitus cæsos, ut num.215.notavi. Nostri similia eidem obiiciunt, ut ostendant iniustè pacem anno 1630. reiectam; & iam ipse nos docet, quo debeamus modo rationibus suis satisfacere. Dicimus ergo Saxonem, Lusitanum, Austriacum, & alios generosissimos milites fuisse sub iusto Deo, exercituum Domino, cæsos, non ob Pacem Pragensem & Amnistiam Ratisbonensem, quas iustas esse & necessarias fuisse asserimus; sed ob causas, quas Ernestus enumerat, quæ nimis veræ sunt, & ut video doleoque incapaces remedii.

De Iudæis.

CCXXVIII.

Sed quoniam multi hinc argumenta deducunt, ut pacem fieri posse pronuntient; & post ipsos, nos num. XIII. & XVI. & alij: placuit Ernesto de his ipsis specialiter agere, & qualiter tolerari possint aut non possint docere.

Cur Iudæi tolerentur?

Tenet igitur Iudæos ideo tolerari ab Ecclesiâ, *quia testimonium fidei nostræ habemus ab illis, licet fidei hostibus & quasi in figurâ per ritus suos nobis repræsentant, quod credimus*, vt docet S.Th. 2.2.q.10.a.11. Accedit eos in fine mundi credituros, vt vaticinatur Oseas c.3. & ex illo tradit S. August. l.18. de civ. c.28. ideoque hanc etiam ob causam rectè tolerari, cum in magnam Christianæ Religionis gloriam illud sit redundaturum, sed neutra ratio contra Hæreticos militat; *non prima*, quoniam & isti dum Ecclesiam reformare gloriantur & illam volunt ad mores prisci ævi reducere, Iudæorum contumaciam condemnant, & religionis nostræ vetustatem exaltant. *Non secunda*, quia etiam Hæretici sub finem sæculi sunt credituri, quando erit unum ouile, & unus Pastor.

Spondanus, Nauclerus, & Bzovius, anno 1348 testantur Iudæos à mari ad mare damnatos & igni mandatos in magno numero, multosq; Avenione à summo Pontifice defensos.

Observavit bene Ernestus duas illas allatas rationes, non bene permissionem Iudæorum à permissione Hæreticorum distinguere, & ideò tertiam nexuit, & ait Iudæorum esse meram & simplicem tolerantiam absque omni illicitâ cooperatione. Neque enim Iudæi æquantur Christianis, sed habentur infames, neque ulla fit ipsis potestas Christianos pervertendi, aut Christianis ad ipsos deficiendi, neque

que alia conceduntur., quæ Hæretici sibi concedi volunt. *Sed ratio hæc* æquè militat pro hæreticorum permissione: nulla enim fit ipsis potestas pervertendi Catholicos, imò Catholicis cùm sunt in perversionis periculo, conceditur, ut possint emigrare: & si fiant hæretici, emigrare iubentur: ita ut eadem emigratio, & Catholicum inter Catholicos in verâ religione contineat, & inter hæreticos liberet à perversione. Iudæos esse infames inter suos, nego; & hæreticos esse ingenuos inter nostros non credo. Promoventur alicubi ad officia publica Hæretici; & Iudæi nullibi; at hoc fidem & conscientiam non tangit. Si indigemus picturâ, pictorem quærimus, non Christianum; si salute, medicum, nec à Iudæo curari dedignamur: adeoque etiam poterit Respublica hæreticos ad consilia adsumere, si vel hoc ad pacem publicam conducat, aut eos aptiores iudicaverit. Vide interim, quæ de honore & peccatis provincialibus diximus, *num.* 174.

De Peccatorum infamia.

De Vsurariis.

CCXXVIIII.

Mali sunt Vsurarij & tamen in multis Rebuspublicis solent permitti: ergo & hæretici poterunt, maximè cùm Vsurarii peccare non possint nobis non cooperantibus. In ipsis cooperationis physicæ & moralis differentia relucet, quam debeo tantisper explicare.

In usuris relucet cooperatio ad materiale peccati.

Est Titius Vsurarius publicus, paratus quibuscumque dare pecunias mutuas, modò lucrum reportet; ipse usuras exercendo peccat; non enim est ratio quæ illum à mortifero excuset. Interim ego pauper miserque pecuniis egeo, ad Vsurarium venio, & mutuas pecunias exoro: recipio illas sub pignore & exorbitante lege lucri vel canonis. Dico mutuationem hanc fuisse actionem à duobus factam; videlicet à me & ab Vsurario: & tamen licet, quà realis & physica ab utroque processerit, quà mortaliter peccaminosam, non processisse à me, sed ab ipso; & quà bonam & piam, non processisse ab ipso, sed à me.

CCXXX.

Cooperatio materialis formalisque.

Ex hac doctrinâ inferri posset non omnem cooperationem ad peccatum esse malam; sed duas dari cooperationes, alteram ad materiale, & alteram ad formale peccati: hanc esse semper malam; illam bonam, vel indifferentem. Et cùm nulla sit disparitatis ratio, idem esse dicendum de hæresi, & per consequens, non cooperaturum mortaliter

taliter, qui ad hæreseos materiale concurreret, modò non influeret in formale.

Hic positis, quî Ernestus ad instantiam, quæ sumitur ab usuris, respondere velit videamus.

Reiicitur prima responsio.

Primò, Ideò Iudæis usuras permitti docet, ut alii ab hoc peccato velut infami abstineant. Sed rideo; vel enim hæc permissio secundum se est bona vel mala: si bona, etiam secluso illo fine esse poterit: si mala, illo fine non poterit cohonestari. Vt possit; rationis paritas idem probat de hæresi: nam si usuræ licitè conceduntur Iudæis, ne Christiani sint usurarii, poterit pax concedi hæreticis, ne nos in hæresin labi cogamur. Accedit quod præter Iudæos usuræ etiam permittantur Christianis.

Reiicitur etiã secunda.

Secundò, Ideò divitibus usuras exercere permitti asserit, ut pauperes habeant unde in necessitate mutuum sumant, ut tenet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 4. Sanè concedo Ernesto in usurarum permissione graviter aliquando peccari; tùm causarum legitimarum defectu; tum immoderatas usuras tolerando; tum denique lucrum publicum privatumve imprudenter quærendo. Et idem de Pace cum hæreticis dico, in quâ potest mortaliter etiam peccari; tum causarum legitimarum defectu, quia cùm Imperator sit advocatus Ecclesiæ, non debet illos in pernitiem eiusdem Ecclesiæ tolerare: tum immoderatas conditiones concedendo, aut excessivas exorbitantias tolerando; tum denique lucrum ab hæresi publicum privatum-ve imprudenter eruendo. Cæterùm tolerare hæreticos, ne irritentur, & divitiis suis confidentes, pauperes Catholicos opprimant, malum non est. Et in hoc, sicut in aliis, summa est hæreseos & usurarum paritas.

Mala aliquando est usurarũ permissio.

Et Pax mala etiam potest esse

CCXXXI.

Sicut usuras ita & hæresin permitti posse.

At Ernestus subtilior æquo esse volens, latum discrimen interesse contendit. Dabo formalia verba. *Directè, ait, non permittitur Vsura Iudæis, sed mutui acceptio Christianis; quæ uti & ipsa mutuatio est actus secundum se licitus: etsi usurarius sumat inde occasionem peccandi, ex malitiâ cordis sui. Inducere quidem hominem ad peccandum nullo modo licet, uti tamen peccato alterius ad bonum, licitum est;*

Possumus peccato alieno ad bonum uti.

Quia

Quia & Deus utitur omnibus peccatis ad aliquod bonum, ait S. Th. l. cit. Sic S. August. Epist. 154. Publicola respondit, licere uti Iuramento eius, qui iurat per falsos Deos. Id enim faciens, non peccato illius se sociat, quo per dæmonia iuravit, sed pacto eius utitur bono, quo fidem servavit. Diversa ratio est Pacis, quam Protestantes volunt. Hæc enim, cum sit cooperatio cum hæresi, exæquatio eiusdem cum Religione Catholicâ, impulsio animarum in ruinam spiritualem; vsurpatio iuris non sui, violatio officij & non est usus peccati alieni, sed commißio proprii.

An etiam iuramento sacrilego.

Sed discrimen non video; aut si quid video, potiùs erit pro Religionis pace. *Primò* enim, qui petiit mutuum, contractui usurario cooperatur; mutuum enim contractus est, & ab uno fieri non potest. *Secundò* non solùm peccato habituali Vsurarii utitur, sed illum ad materiale peccati actualis efficacissimè inducit, & si sic loqui velimus prædeterminat, ponit enim petitionem mutui, & scit certissimè illâ positâ usurarium consensum male daturum ac peccaturum. *Tertiò*, mutui acceptionem usurariam permitti, & dationem usurariam non permitti, aliquid est quod faciliùs à nobis negari posset, quàm ab Ernesto asseri; non enim videtur posse aut velli aut intelligi relativum sine correlativo. *Cùm* igitur ex aliâ parte Pax Religionis nec materialiter nec formaliter cooperetur hæresi, nec sit talis quâ positâ certò sciatur peccatum aliquod committendum, quod non committeretur alias; nec aliquem ad peccati actualis materiale prædeterminet aut inducat, faciliùs excusari hæc Pax poterit, quàm Vsuræ Permissio.

CCXXII. Contra usura permissione notanda.

De Lupanaribus.

Hæc retrahere à gravioribus vitiis homines opinabatur nimis credula antiquitas; existimans iuvenem male moratum cùm consentit libidini, si non repererit paratam fœminam, fore contra-naturaliter Venerem expleturum. Sed quia experientia docuit, lupanaria, tametsi mollitiem impediant, infando crimini viam aperire, & perditissimas fœminas omnes corporis partes prostituere, & aucto pretio indicibili ministerio servire, deleta fuerunt in

CCXXIII. Lupanaria graviora crimina non vitant sed inducunt.

 Hispaniâ,

Hispaniâ, & in Provinciis aliis deleri absolutè deberent. Hinc est, quod ad meam mentem à lupanarium permissione non arguam; iudico enim detectâ iam larvâ & veritate cognita in illis non iam minus malum, sed summum omninò permitti, at quia alii aliter philosophantur, ponamus in eiusmodi locis præposteram Venerem non exerceri, & videamus, quî se solvat Ernestus ab eiusmodi difficultate.

CCXXXIIII. Lupanaria ad retrahendos homines à gravioribus flagitiis, quæ alias quibusdam locis invalescerent, tolerantur, absque omni cooperatione illicitâ. Neque enim libidini detrahitur infamia, nec frequentantibus lupanaria portæ patent dignitatum, neq; libertas datur quêquam ad ea compellendi, aut integras Civitates, Oppida, Ecclesias, Monasteria in Lupanaria convertendi, sed ne omnia inficiant, aliquæ areæ conceduntur, fimetis & haræ pocius, imposito etiam Tributo, ne magis alliciat gratuita peccandi Licentia; neque impediuntur parentes aliique, quo minus Liberos indè avocent, aut delinquentes castigent. Multa adhæc præclarè sunt instituta pluribus locis, quæ ad Lupanarium odium & emendationem delinquentium valeant, vt domus erectæ pro pœnitentibus &c. Secus se habet Pax, quam suspirant Protestantes, ut ex dictis manifestum est. Vt verò in permissione Lupanarium graviter aliquando peccari posse, aut solere non negamus; ita eiusmodi permissionem, si quidquam cooperationis habeat, non excusamus.] Sic Ernestus.

CCXXXV. *Imprudentiùs lupanaria permittuntur, quàm hæreses.* Et ego *primò* in lupanaribus graviora illa flagitia non vitari, sed committi didici ab ipsâ sententiâ publicâ, ob quam sunt deleta in Hispaniâ. *Secundò* consideratâ fragilitate humanâ, armatâ ætatis iuvenilis fervore, & rerum divinarum neglectu, non tam facilè credam non cooperari culpæ, qui dicat Iuveni, *Ecce habes hîc paratum gynicaeum; pulchra omnes sunt, mundæ sunt, tuæ sunt; elige quam malueris. Ne te inficiant: frequenter visitantur; ne te morentur, sunt exposita & tuæ libidini satisfacere ex officio tenentur; ne dubio pede quærantur, locum notissimum habitant, quem nemo ignorat.* Et tamen verbis aut factis sic loqui Rempnblicam, cùm lupanaria manutenet, certum est. *Tertiò*, libidinis infamiam non semper nec ubique video; sæpe enim fragilitati condoletur, rarò detrahitur: & dignitates non solum fragilibus dantur, sed procurantur publicè pellicum interventu. *Quartò*, libertatem compellendi ad lupanaria

tia non dari certum est; sed in Pace Religionis compellendi ad hæresin libertatem concedi, Ernestus merè asserit, & nos non dari demonstramus.

RATIO X.

Huius sententiæ probabilitas.

CCXXXVI. Nostra sententia certitudo.

ABsit ut opinionem unicè certam, unicè veram probabilem velim vocare. Ernesti sententia, si bene examinetur, improbabilis est; nostra demonstratione evidente fulcitur, & supra omnem probabilitatis aleam centum annorum possessionem obtinuit, & contra adversarias opiniones præscripsit. Sed quia sunt aliqui, qui mera sunt contenti probabilitatis censurâ, quî ipsi proponant argumentum, exponam. Sic discurrunt. [Patrocinatur, inquiunt, isti Paci multiplex ratio & authoritas ut illicita secundum se dici non queat, sed tutò, in tantis præsertim necessitatibus, Theologi eam suadeant, & Principes sequantur. Auctores compositionis Pacis *c.* 5. *q.* 29. *n.* 52. etiam fœdus perpetuum cum sectariis per aliquas circumstantias cohonestari posse credunt: Tanner. *to.* 3. *disp.* 1. *q.* 9. *d.* 3. *assert.* 2. id quidem non affirmat, sed neque negat. Plurium Theologorum suffragia haberemus, si occasio hâc de re scribendi se pluribus obtulisset, quæ in diversam partem afferuntur, ut docta sint, merè tamen scholastica sunt; Consiliis & Theologis practicis nunc opus est.

Sufficeret mera probabilitas.

CCXXXVII.

Sic aliqui nostræ sententiæ defensores, qui ut declinent invidiam, eam probabilem vocant, quia praxin respiciunt, quæ est mera probabilitate contenta. At nos, qui non practicis solùm, sed & speculativis scribimus, Ernesti sententiam concludimus esse improbabilem ab intrinseco; quia caret rationibus quæ sint alicuius momenti: concludimus eamdem esse improbabilem ab extrinseco, quia caret authoribus; qui enim ab Ernesto citantur, aliam quæstionem diversam toto cœlo resolvunt. Aliud enim est quærere, An sine necessitate liceat permittere hæreticos? aliud, An ex hypothesi, quod non possint non permitti, præstet permittere paucos, ne multos cogamur permittere? Aliud est etiam petere, An pax perpetua cum infidelibus sit licita? & aliud, An ex

Sententia Ernesti ab intrinseco & extrinseco improbabilis est.

hypothesi quod ipsi sint habituri vel quatuor vel decem Ecclesias alto imperio præditas, & has in perpetuum, liceat quatuor Ecclesiarum perpetuam usurpationem tolerare ne plurium usurpationem toleremus? Huc ingredi Ernestus non vult; adeoque extra theatrum tripudiat, extra gymnasium luctatur, & extra arenam pugnat. Sed proderit illum audire.

CCXXXVIII. Respondet nostram non esse sententiam, sed opinationem, nullâ ratione Theologicâ, neque autoritate Legitimâ, sed præiudiciis ex Pace Religionis conceptis, malè nixam. Rationes allatas veritatis Larvâ detractâ, falsitatis convinci; autoritatem, si qua obtenditur, elidi autoritate Summorum Pontificum, SS. Patrum & DD. qui ante Pacem Religionis scripserunt. *Neque postea* quemquam Theologum produci posse qui Conditiones eiusmodi Pacis examinaverit, & scripto publico probaverit. Præcipuas egregiè refellisse Cardinalem Hosium, in suo ad Paulum IV. responso, quem secutus est Antonius Possevinus in Ep. ad Stephanum Regem Poloniæ; Libertatem Religionis Statibus Imperii in dictâ Pace concessam, veluti illicitam operosè refutat, Franciscus Burkardus Archi-Episcopalis & Electoralis quondam Coloniæ Cancellarius, *in Autonomiâ Germanicâ to. 2. q. 3. principali.*

CCXXXVIIII. Et cùm ipse, ne unum quidem dicit esse Authorem, qui nostram sententiam teneat: nos reponimus nostram universorum esse, nec esse unum, qui sit boni nominis, & subscribat contrariæ, illi enim quos citat, à tempore necessitatis physicæ vel moralis præscindunt, & necessitate utrâq; abstractâ hanc pacem non esse licitam manifestum est.

Ut etiam improbabilitatem nostræ sententiæ probet, adlegat Martinum Becanum, ac si esset bona consequentia, *Hæc est Becani opinio: ergo contraria est improbabilis.* Hanc ergo Pacem, tametsi suppresso nomine, damnari à Becano in Manuali eiusque Compendio libr. 5. cap. 16. num. 1. asserit, cuius has periodos adducit. [*Hæc duo distincta sunt. I. Princeps Catholicus concedit suis subditis, vt fiant Hæretici, vel introducit Hæresin, vel introductam confirmat & ratam habet, vel aliquo quocunque modo positivè in eam consentit & cooperatur. II. Princeps Catholicus*

licitus solum permittit, seu tolerat Hæreticos in suâ Provinciâ. Primu nullo modo licitum est, quia hæresis est peccatum, & quidem maius peccatum, quam furtum, homicidium, adulterium. At Princeps nullo modo potest concedere suis subditis, vt fiant fures, homicidæ, adulteri, neque potest introducere eiusmodi peccata in suam Provinciam, neque introducta confirmare & rata habere neque alio quocunque modo, positivè in eâ consentire & cooperari. Ergo idem de Hæresi dicendum est, Nemo dubitat. sed subsunt Ernestus. [Atqui per Pacem Religionis conceditur Statibus & subditis Imperii, ut authoritate Iuris publici fiant hæretici, per eandem Cæsar Statusque Catholici Protestantes in Hæresi introducenda iuvant, eius introductionem ratam habent, aliisque modis positivè in eam consentiunt & cooperantur, vti hactenus demonstratum est. Ergo *secundum Becanum nemo dubitat*, Pacem Religionis, & quamvis ei similem, quaque illa confirmatur, esse illicitam. Neque hic Autor in contrarium, nisi iniuriâ allegari potest. Altera enim permissio, de quâ posteà agit, quamque admittit, non est nisi primi & secundi generis.

Et Ego tametsi Becanum, aliàs virum magnum non morer; eumdem nostræ esse opinionis rescribo; & verbis, quæ citat Ernestus id monstro; admittit enim Author hic, quæ Pax Religionis admittit. Quam ob rem concesso toto primo syllogismo, illam minorem, scilicet, *Atqui per Pacem*, &c. quam centies negavi, iterum nego.

CCXXXX. *De Illustratione Pacis Religionis edita à Iureperitis Dilinganis.*

Iure-peritos illos, qui Religionis Pacem Quæstionibus pulchris exornarunt, advenit statim Ernestus, eosque sic perstringit. [Quod contingit, ait, Authoribus Compositionis Pacis: &c. Non attentâ multiplici cooperatione, aliisque vitiis, quibus PAX Religionis laborat, eam specie licitæ permissionis decepti, excusârunt: *inter Iurisconsultos tamen non Theologos nomen suum professi.* Sed nihil præsidii est in hoc Libro, tum quia præcipuus autor, testimonio fide digno, hanc pro Pace Religionis sententiam ante mortem retractasse comperitur; tum quia alius Vir præstantissimus, eius laboris pars non pauca asserit, sibi semper visum: *non posse perpetuitatem Ecclesiæ Catholicæ propriam, hæresi per pactum perpetuum & absolutum, quale in Pace Religionis cōtinetur, licitè cōcedi;* tū demq;, quia ob aliquot eiusmodi de memorata

Pace

Pace assertionis *grauem is Liber Romæ censuram subiit*, teste Reverendissimo in Christo Patre ac Domino, D. Sebastiano Episcopo Adramytteno, Cathedralis Ecclesiæ Augustanæ Suffraganeo & Canonico, qui Romæ fuit Legatus Illustrissimi Episcopi Augustani, cum is Liber eò perlatus est. Sic ait Ernestus; & ego expertus cum facilè credere quæ opinatur; non facilè hoc sum crediturus, nisi clarè probaverit.

CCXXXXI. *Tandem nostra Ernestus sententiæ probabilitatem concedit.*

Sed respondet secundò, & nostræ sententiæ si non certitudinem, probabilitatem saltem expresse adstruit his verbis. [*Etsi mens nostra non sit, seu Principes seu Theologos contrarium sentientes condemnare, vtpote, quos credamus bonâ fide in re tam arduâ, neque satis ante hac explicatâ, excusari posse. Sciamusque gloriosum Martyrem Cyprianum cum suis Collegis* de Baptismo Hæreticorum longè aliter sensisse, quam Fides Catholica permittat, *eumque hunc quasi Nævum candidissimi sui pectoris cooperuisse vbere charitatis: dum unitatem Ecclesiæ toto orbe crescentis & copiosissimè defendit, & perseuerantissimè tenuit vinculum Pacis*, *vt ait S. August. Ep.* 48. Ernestus igitur, siquidem non audet Theologos contrarium sentientes condemnare, sed credit potiùs eos bonâ fide procedere; tenet nostram opinionem saltem esse probabilem, non enim bonâ fide procederent homines docti, si temere, & non ex gravibus fundamentis arduam controversiam resolverent.

CCXXXXII. *Demonstratur sententiam Ernesti esse evidenter falsam, & nostram euidenter veram.*

Nunc ego tertiam Ernesti responsionem considero, & nostram vel ex inde opinionem evidenter veram animosè pronuntio, & contrariam evidentis falsitatis condemno. Sic discurro. [Illa sententia est evidenter vera, cuius opposita est improbabilis: hoc est, nec solvit argumenta, nec obiicit quæ debeant solvi. At Ernesti sententia improbabilis est: ergo nostra, quæ illi opponitur, censenda est evidens. Minorem probo. Et primo, quia totâ hac Parte III. argumentis oppetitur, succumbitque. Secundo, quia eiusdem argumenta levia omnia sunt, & quæ solutione non egeant. Maioris claritatis gratiâ ex Ernesto desumo & scribo omnia. *Primum.* Non est lucrum mundi quærendum cum detrimento animæ: at Pax Religionis mundum lucratur sed cum conscientiæ detrimento: ergo admitti non debet. *Secundum*, Non sunt facienda mala ut bona eveniant; at Religionis Pax mala facit ut bona obtineat: Ergo. *Tertium*, Non licet cooperari malo seu directè seu indirectè (intelligo de malo morali, & coo-

& cooperatione liberâ & ex intentione procedente) at Pax Religionis cooperatur hæresi : ergo *Quartum*, Non debet exæquari hæresis veræ fidei : at Pax Religionis eam exæquat : ergo. *Quintum*, Nemo ad ruinam spiritualem licitè compelli potest; at Religionis Pax subditos hæresi amplecti compellit : ergo. *Sextum*, Nemo potest usurpare authoritatem non suam sive incompetentem; at in Pace Religionis Cæsar & Imperii Electores & Principes incompetentem usurpant : ergo. *Septimum*, Officium, iuramentumque violari non possunt; at Cæsareum in Pace Religionis violatur; ergo. *Octavum*, Cum nemine, etiam Hæretico, frustratoriè & fallaciter agi debet; at status Imperii agunt frustratoriè & fallaciter in Pace Religionis : ergo. *Nonum*, Non est discedendum à sententia veteris Ecclesiæ, sanctorum Patrum, & summorum Pontificum; quæ docet Pacem cum hæreticis habendum non esse; at Pax Religionis contrarium statuit ergo. *Hæc sunt* argumenta, quibus confidit Ernestus; horum virtute suam sententiam demonstratam vocitat, nostram improbabilitatis appellat. At ego verbo omnes minores nego; & quia illas probari non video, Ernesti sententiam improbatam dico; & quia illas non posse probari prævideo, improbabilem assero.

PARS QVARTA.

Pax Religionis contra Ernesti obiectiones defenditur.

CCXXXXIII. An Ernesti sententia improbabilis sit?

Egis sub finem præcedentis Quæstionis Ernesti opinionem improbabilem esse, & zelo accensus (datur prudens imprudensque) non pateris improbabilem dici, quæ tot argumentis armatur. Sed quia argumentis ego non nego multitudinem, sed robur tantum, nulla vis in medium producere, ut evidenter constet non me secundum scientiam iudicasse. Multas ais impietates in contextu Pacis Religiosæ inveniri, multas inferri, & omnes ad hæc octo puncta reduci. Videlicet;

Eius octo fundamenta.

I. Pax eiusmodi, hæresi tum directè tum indirectè cooperatur.

II. Infert iniuriam Creatori & veræ Religioni.

III. Est causa perditionis animarum.

IV. Est usurpatio potestatis non competentis.

V. Repugnat officio & juramento Cæsaris, statuumque Catholicorum, maximè Episcoporum.

VI. Est frustratoria, ipsoque bello periculosior.

VII. Absque comparatione est magis inordinata mendacio, quod necessitatis causâ, licere negant Catholici.

VIII. Ecclesiæ Dei, summorum Pontificum, SS. Patrum & Veterum DD. suffragio destituitur & damnatur.

Anne possint probari?

Sanè si ex his omnibus octo adsumptis, vel unum probet Ernestus, manus do; si nihil probet, contra tam uberam loquacitatem protestor, & conqueror quod fuerim jussus tantum tempus impendere, ut singula periclitarer.

QVÆSTIO XI.

An Pax Religionis Hæresi saltem indirectè cooperetur?

RESpondeo negativè; nihil enim in toto contextu, quod cooperationem positivam aut negativam imbibat. Contrarium opinatur Ernestus, & conatur probare argumentis sequentibus. *Sect.* 4. § 1. *per totum.*

OBIECTIO I.

CCXXXXIV.

EA Pax indirectè cooperatur hæresi, quæ sancit illius tolerantiam, exclusis circumstantiis excusantibus, sive eo etiam casu, quo tolli posset ac deberet. Id agit Pax, quam desiderant Protestantes, indirectè ergo hæresi cooperatur. Major patet ex indirectæ cooperationis naturâ à nobis traditâ.

De cooperationis naturâ agit Ernestus sect. 3. §.3.

Responsio.

Et nos majorem concedimus, scimus enim sine causâ, aut saltem cum inconvenientibus hæreticos tolerari non posse. At quia negaturi minorem prævidebamur, illam probat Ernestus.

OBIE-

OBIECTIO II.

CCXXXXV. Minoris negata probatio.

PAx Religionis, quam ſtabiliri & ampliari volunt Proteſtantes, eſt perpetua juxta art. 12. Auguſtani Diplomatis, expediti Anno 1555. Extenditur ergo in eum quoque caſum, quo hæreſis tolerari non poſſet nec deberet, ſublatis videlicet cauſis excuſantibus, quæ ſunt majoris boni obtentio aut majoris mali depulſio. Ejuſmodi enim circumſtantias eſſe mutabiles tum naturâ hæreſum, quæ ætatem perpetuam non ferunt, tum mutabilis rerum humanarum conditio convincit.

An ſit licita Pax perpetua cum Heterodoxis?

CCXLVI. Reſponſio. Perpetuitas duplex; realis, moraliſque.

Et nos reſpondemus diſtinguendo antecedens. Pacem eſſe perpetuam moraliter & politicè aſſerimus; eſſe perpetuam realiter, negamus. Vtriuſque perpetuitatis definitiones & diſtinctiones dedimus num..... Et ideò negamus conſequentiam.

Caduca natura hæreſeon.

Nec militat contra iſtam perpetuitatem, quam adſtruimus, mutabilis natura hæreſûm, quæ ætatem perpetuam non ferunt; non enim Cæſar pollicetur ſe facturum ut perpetuò ſint hæretici in Germaniâ, id enim videretur caducæ hæreſeos conditioni obverſari, nimirùm, ſi quæ temporaria aliàs eſſe deberet, induſtriâ & diligentiâ Cæſarum fieret perpetua; & in hoc caſu cooperationem & hæreſeos conſervandæ ſtudium in Cæſare concederemus. At Cæſar pollicetur ſe numquam impediturum Lutheranos, qui juxta Pacem Religionis permittuntur. Quod ſi vel ipſi non ſint ampliùs, vel ſint & concordiam Religionis violent, liber erit Cæſar à vinculo, nec tenebitur illos permittere ratione Pacis Religionis, quam Cæſareo juramento firmavit. Unde videre licet, quàm floccida ſint hæc Erneſti verba, quæ toties & tam ſeriò obiiciuntur. *Circumſtantias eſſe mutabiles*, ait, *tum naturâ hæreſum, quæ ætatem perpetuam non ferunt; tum humanarum rerum conditione.* Et aſſentior; & Germaniæ congratulor; ſcienſque Cæſarem non promiſiſſe ſe permiſſurum Proteſtantes, ſi & ipſi in rerum naturâ non ſint, aut ſi ab ipſis humanarum rerum volubili conditioni cedentibus hæc violetur concordia, illud primum, Deum oro; & hoc poſterius ante annos quinquaginta ſine aliquâ formidine exſpecto.

Levis Erneſti ratio.

CCXXXXVII.
Species facti examinandi.

VT MELIVS rem intelligamus hunc casum primâ fronte difficilem decidendum propono. Cæsar cum Lutheranis pactus concordiam induciasque decem annorum acceptavit, firmavit; illi exauthorant suos milites , imò Cæsari tradunt , ut alios externos inimicos debellet. In tali igitur casu & Cæsar esset armatus , & Lutherani inermes. Ergo illos Cæsar , cùm delere posse supponatur, aut delere deberet, aut non delere. *Si delere*, deberet iuramentum violare & in Cæsaream fidelitatem & veracitatem impingere, quod nemo admittet, qui sciat quantæ ignominiæ sit homini fide dignum non esse: Theologi enim , cùm docent Deum mentiri non posse , ad physicam impotentiam non recurrunt ; sciunt enim omnipotenti causæ , nihil physicè factibile negari posse ; sed recurrunt ad impotentiam moralem; ita enim omnipotens est Deus, ut & ingenuus & fidelis sit, ut infidelis esse nequeat, ut sit infinitè fide dignus, cui sine formidine credere possis. Cum igitur Cæsar sit imago Dei, & in sæcularibus nomine Dei præsideat , debet esse summè fidelis ; quoniam sine fiditate non possunt res humanæ subsistere; nec enim poterunt firmari Rerumpublicarum contractus, si Principes fide digni non sint. *Si deberet non delere* , peccavit Cæsar cùm pollicitus est decem annis toleraturum hæresin; quia siquidem absolutè iuravit, iuravit se servaturum pacem , quæ extenderetur ad eum etiam casum , in quo nec tolerari posset hæresis nec deberet, ac per consequens iuramentum foret invalidum; non enim obligatorium est contra bonos mores emissum iuramentum. Et quidem in hoc casu hæresin tolerari non debere probatur; quoniam tota ratio tolerandi omnia illa, quæ Protestantes extorquent , illorum est potentia quæ ignaviâ & impotentiâ nostra armatur; at tunc cessasset ista ratio: ergo & hæreticos tolerandi licentia.

Summa ignominia homini fidum non esse.
An Deus possit mentiri?

Iuramentum contra bonos mores invalidum.

CCXLVIII.
Permittendum est minus malũ arceatur maius.

Respondeo antequam ineatur contractus cum hæreticis, omnia & singula debere accuratè perpendi , & talem inire, qui aptus sit maiora discrimina & damna vitare : in tali enim casu minora illa mala non sunt libera & per consequens imputari non posse. Et quidem non esse libera evidenter probatur; quoniam si contractus initur, suboriuntur; suboriuntur , si non initur (sublato enim contractu maiora supponuntur ingruere ; & in maioribus imbibuntur

buntur

buntur minora) igitur illa minora damna permittentibus & acceptantibus necessaria sunt. Igitur si theologicè loqui velimus, non debemus dicere ejusmodi contractum minora mala permittere (non enim moraliter permittitur, quod vitari non potest) sed maiora cavere. Nam dato casu quo necessariò debeas aut spoliari, aut spoliari & occidi; si optio detur; tibi non erit liberum spoliari aut non, sed occidi aut servari. Ergo si minus malum eligas, hoc est permittere physicè, non autem permittere moraliter: at mortem moraliter & liberè evitare.

Permissio minoris mali non est libera.

Addo semel initum pactum cum infidelibus servari debere, & sic discurro. Tenetur Cæsar sub peccato mortali minora mala permittere, ne maiora succedant; at in tali casu tolerari hæreticos etiam inermes ab armato Cæsare minus malum est quàm deleri: ergo debebunt tolerari. Probatur minor. Quoniam, si illos vellet delere Imperator, duo sequerentur, aliud probabiliter, illos habituros vires & regesturos impetum; delere enim hæreticos, est aliquid, quod facillimè dicas, difficillimè facias. Certò sequetur Imperium (imò & Catholicismum) amissurum fidelitatis gloriam, incursurum infidelitatis ignominiam; quod malum in suo genere tantum est, ut in divinis præeat omnipotentiæ; & debeamus asserere Deum non posse dicere suo nomine & contra divinam scientiam suam *Ego non sum trinus*, ne illum posse mentiri asseramus. Quod si nec honorem nec ignominiam cures, & merâ utilitate ducaris, pronuntio nihil dari aut cogitari posse pernitiosius Reipublicæ, quàm periurium & infidelitatem. Nulla est corona, qua inimicos non habeat, & amicis non egeat. Quo ergo illa modo sibi poterit hos divincire? Pacto, fœdere; ergò debet esse talis, quæ pacta teneat, dictis stet, iuramentum observet: peritura certissimè, si universis suspecta, ab universis timeatur, quæ enim alias securas reddere nequit, securitatem habere non potest.

CCXLVIIII. Pacta etiam cum infidelibus servanda.

Lingua brachio potentior

Maneat igitur PRIMO, *Pacta nec cum hæreticis (imò nec cum Catholicis) fore ineunda contra Decalogum.* SECVNDO, *Illa, quæ in Decalogum non impingunt, non esse sine maturâ consideratione tractanda; non esse sine summo consilio concludenda.* TERTIO, *Hæc ipsa semel firmata solenniter, etiam si gravia, etiam si nociva visa, quamdiu*

CCL. Conclusiones ex dictis.

Haretici promissis satisfaciant, debere religiosè servari. **QVARTO**, *eo casu quo Haretici pactum publicâ authoritate violent, manere Catholicos liberos, juxta illud, Frangenti fidem, fides frangatur eidem.* [Idem dic de Hæretico, si Catholicus fidem, quod absurdum nimis esset, non servet.] Consulto illud *publicâ authoritate* posui; non enim potest appellare arma Orthodoxa Respublica ab Hæretico privatâ authoritate invasa; sed debet monere, ut ille privatus puniatur: qui si non puniatur à suis, tum ex facultate suorum procedere credendus est.

OBIECTIO III.

CCLI. *De Pace absolutâ & conditionatâ.*

EAdem Pax est absoluta & inconditionata, juxta cit. art. 11. excludit ergo causas excusantes. Absoluta enim & inconditionata non foret, si à circumstantiis urgentis necessitatis dependeret. His autem sublatis, imminutâ v. g. hæreticorum multitudine aut potentiâ, Princeps jure divino tenetur scelera, & vel maximè hæresin eorum gravissimum punire & extirpare: Quod cùm non facit, aut se non facturum promittit, indirectæ cooperationis manifestè reus est.

CCLII. *Ernestus tria confundit.*

Respondeo tres ab Ernesto Propositiones sumi, quæ egent expositione. *PRIMA* est, *Princeps tenetur haresin punire.* *SECVNDA, Si non punit, haresi cooperatur.* *TERTIA, Haresi etiam cooperatur, si se non fore puniturum promittit.* Et addo semper ab hoc scriptore mutari casum, necessitatem patiendi excludi, malitiam aut ignaviam supponi. Distinguo igitur *primam*; nego Principem teneri punire Hæreticos, quoties hæc punitio impossibilis est, non enim ille ad impossibilia tenetur; cùm certum sit Hæreticorum multitudinem & potentiam esse in causâ ut frequentissimè puniri non possint. Quod si punitio possibilis sit, subdistinguo. Ajo teneri Principem punire Hæreticos, quando punitio ipsa est Republicæ utilior quàm tolerantia; at si punitio esset perniciosa Reipublicæ, & tolerantia utilis, non solùm non teneretur eos punire, sed teneretur tolerare. Venio ad *secundam*, illamque similiter distinguo. Cooperari moraliter cum hæresin non punit, &

puni-

punire tenetur, concedo; at nego cooperari moraliter in hæresin cùm illam non punit, si vel non teneatur eam punire, vel teneatur eam non punire. De cooperatione physicâ non essem solicitus, quoniam mores non tangit; at quia hæc quæstio ita debet tractari, ut radicitùs intelligi possit, ad cooperationem physicam veniens, eamdem propositionem secundâ distinctione dilucido. Principem, qui non punit hæreticos cùm potest & debet, cooperari ad formale hæreseos, nimirùm cooperatione realiter negativâ, & positivâ virtualiter, concedo. Cæterùm, eum, si non puniat hæreticos cùm potest physicè, si tamen eos non debet punire, aut debet non punire, cooperari ad formale hæreseos nego, ad materiale concedo, Et tandem, si contingat illum carere viribus nec potentiam physicam habere eos coërcendi aut puniendi; tunc teneo eum, nec physicè nec virtualiter, nec positivè nec negativè, nec ad formale, nec ad materiale hæreseos cooperari.

De cooperatione morali & physicâ.

OBIECTIO IV.

CCLIII. De perpetuitate hujus pacis.

PAx cum hæreticis perpetua illicita est; at Pax hæc Religionis, quam expendimus est perpetua: ergo est illicita. Probatur minor; quoniam non obstat, ne dicatur perpetua, quòd hæc Pax Religionis videatur initio solùm conclusa usque ad amicabilem Religionis compositionem. Nam primò, & etsi Catholici hâc conditione adjectâ Conscientiæ suæ consultum cupiebant, tamen Protestantes paulò antequam Pax Religionis concluderetur, die 7. Septembris Anno 1555. clausulam absolutæ & inconditionatæ perpetuitatis à Ferdinando I. extorserunt. Pacem alioqui temporariam & instabilem fore causantes, ut constat ex Actis publicis apud Lehmannum. Cùm eâdem perpetuitatis Clausulâ Pax Religionis confirmata fuit in Comitiis Anno 1557. Ratisbonæ. Anno 1559. Augustæ sub eodem Ferdinando I. & postremò iterùm Augustæ Anno 1566. sub Maximiliano II.

Respon-

CCLXIV. Pacem perpetuam posse esse licitam.

Respondeo prioris syllogismi Maiorem, Minorem, & Consequentiam falsam esse; potest enim dari Pax perpetua, quæ licita sit; vide num.141.& hæc, de quâ agimus, humanitùs & moraliter, non tamen realiter & metaphysicè perpetua est; experientia enim docet humanam perpetuitatem vix nepotes attingere. vide num.46.&142. Adeoque & hæc pax licita est. Legantur loca citata, ne centies eadem cogamur repetere.

CCLXV. Quæstio de concordiâ amicabili.

DUBIUM INCIDENS. Sed inquiris, An si conditio compositionis amicabilis, si eam non sequi contingat, per expressam clausulam Pacis perpetuæ exclusa non fuisset, nihilominus Pax Religionis deberet manere in perpetuum:

Hoc dubium speculativum est, & aliquid supponens, quod hac rerum tempestate non datur; nunc enim de facto statuitur, Pacem fore perpetuam (nimirùm quantum est ex se) etiam si nulla amicabilis compositio fiat. Nam in Pacis Diplomate, iuxta Iureconsultorum Dilinganorum divisionem art. XI. hæc lego. *Quod si verò talis compositio per viam Concilii Generalis, aut nationalis Colloquii aut Tractationis in Comitiis non sequatur, tunc nihilominus Pax ista in omnibus supradictis punctis & articulis vigorem suum neque ad finalem Religionis ac Fidei compositionem obtineat: atque ita modo iam dicto & undequaque constans, durabilis, inconditionata, perpetua Pax constituta, sit & maneat.*

CCLXVI. An conditio impossibilis habeatur pro non adiecta?

Ernestus ius naturale cum humano confundens, & hoc non bene intelligens, respondet assertivè, hoc est, nihilominus perpetuam fore. Conditio enim impossibilis habetur pro non adiectâ. Cap. fin. de condit. apposit. in despons. vel aliis contract. Non autem magis possibilem aut sperandam esse amicabilem compositionem hæresis cum fide Catholicâ, quàm concordiam ignis & aquæ, lucis & tenebrarum, Christi & Belial, experientia à Christo nato docuit. Idem Germani experimur. Nam cùm initio sæpiùs eiusmodi compositio in Comitiis maximè tentata fuerit, nunquam tamen successit. Ideoque post annum 1566. Cæsar & status Imperii de eâ re velut desperata in Comitiis nunquam, ampliùs deliberarunt, sed tam Catholici quam protestantes in Pace Religionis tanquam lege fundamentali Imperii acquiescunt.

Deni-

CCLVII.

Denique etsi daremus hanc conditionem simpliciter possibilé esse, illicita tamen foret, adeoq; nõ adjecta censenda; quoniam Viro honesto etiam impossibilia sunt, quæ illicita. Quod si adjecta judicaretur, adhuc esset peccaminosa. Facilè enim inciderent tempora, quibus, si remedia mollia, nihil proficerent, Cæsar & Catholici absq; periculo hæresin vi coërcere & tollere possent, ideoque ex officio, quo gladium portant, deberent. Hæc perpetuitas omnes conditiones Paci Religionis insertas reddit illicitas, quatenùs Religioni Catholicæ adversantur, & si aliquæ ad tempus pro circumstantiis duraturæ necessitatis licitè iniri possent. Transfert enim illas ad permissionem cooperantem; quia extendit hæreseos tolerantiam ad eos casus, quibus impediri posset & deberet. Ex quo capite, qualiscunque Pax jam sanciatur illicita erit, si Pax Religionis in ea confirmetur.] Sic paucis ad majorem efficaciam interjectis ex Ernesto nonnulli.

De his permissionibus agit Ernestus sect. 3. §.1.2. & 3.

CCLVIII.

Examinatur conditionum impossibilium vis.

At ego oppositum tenendum reor, & existimo non posse bene intelligere Pacem hanc Religionis, qui vires conditionatorum Contractuum non percalleat. Illas metior, & totam materiam ad has paucas Conclusiones reduco.

In Iure naturæ.

PRIMA. *Stando juri naturæ conditio impoßibilis potest esse substantialis & accidentalis. Illa vocatur, sine quâ non; ista verò, sine qua fieret difficilius.*

Conditio sine quâ non.

SECVNDA. *Conditio, sine quâ non, si sit impoßibilis, non debet in Iure naturæ haberi pro non adjecta ita ut præscindendo ab illâ contractus sit validus. Sed debet judicari essentialis, quæ cum impoßibilis sit, præstabit ut contractus in absolutum & obligantem actu transire non poßit.* Ita Basilius Pontius *de matrim. libr. 3. cap. 3. num. 2.*

Conditio sine quâ difficiliùs.

TERTIA. *Conditio sine quâ fieret quidem contractus, sed difficiliùs, si reperiatur esse impoßibilis, censenda est non fuisse ponenda, si ut impoßibilis fuisset cognita; adeoque cum accidentalis circumstantia non debeat præjudicare pacti essentiæ & substantiæ pro non adjectâ habenda est.*

Sanè, ut sciatur, an conditio fuerit accidentalis, an essentialis, summâ discretione & prudentiâ opus est, debebitque judex cautè contrahentium animos ex aliis circumstantiis rimari.

CCLIX.

In Iure humano.

QVARTA. *Potest Respublica (Ecclesiastica Civilis) si & alias leges, sancire, ut omnis conditio impoßibilis pro non positâ habeatur in contractu reali.* Et patet quoniam hæc lex magnas lites & æquivocationes substraheret, &

ret, & esset bono publico utilis. Consulto contractum realem produco; quoniam personales contractus solent à contrahentium intimiùs voluntate pendere, maximè si sacramentalia ipsa sint. Non enim potest Ecclesia facere, quod hi contractus, videlicet, *Duco te in uxorem, si sis Filia Iulii Cæsaris, & non aliàs. Ego te absolvo, si sis Alexander Magnus, non si alius. Ego te baptizo & Christianæ religioni incorporo, si sis Angelus Gabriel, & non aliter*, sint validi; & tamen conditiones impossibiles sunt.

Conditiones impossibiles in matrimonio.

QVINTA. *Respublica ne quidem in contractibus realibus omnes conditiones impossibiles pro non adjectis haberi voluit, sed aliquas.* Hinc est quod in matrimoniis conditio impossibilis, si essentialis & *sine quâ non* sit, vitiet matrimonium; nemo enim potest duos jungere invitos: at si sit *sine quâ difficiliùs*, habendam pro non positâ: & tamen in legatis habendam pro positâ. Sed cur in his rebus tam diversa est juris dispositio? Respondet Basilius Pontius *de matrim. libr. 3. cap. 3. num. 4.*

In legatis.

CCLX.

Catholicorum & Lutheranorum concordia possibilis est.

Hinc ad quæstionem principalem, quæ inquirit, An si textus diplomatis conditionem illam non excluderet, illa ipsa deberet non adiecta censeri? Respondeo *primò*, Lutheranorum & Catholicorum compositionem non esse impossibilem, imò neque difficilem, si adulationi & avaritiæ parcatur. Hanc ipsam possibilitatem libro speciali demonstravimus, qui potest legi. *Dico secundò*, ex hypothesi, quod sit impossibilis hæc conditio, debere haberi pro positâ, stando Iuri naturali, stando Canonico, & stando Cæsareo. Habendam pro positâ si stemus Iuri naturali, constat ex conclusione II. Habendam pro positâ etiam, si stemus Ecclesiastico; constat, quoniam non omnes conditiones impossibiles pro non adjectis illud habet, sed aliquas, ut colligitur ex conclusione IV. & V. nec tamen inter ipsas hanc. Imò nec posset hanc, quia Pax religionis est contractus & concordia personalis & necessaria, quæ ab invitis fieri non potuit. Habendam pro positâ, si stemus Iuri Cæsareo, etiam ostenditur, quia id non definit hanc conditionem pro non adjectâ habendam, sed paucas alias, aut fere nullas; hanc enim esse censendam pro non adjectâ statuere non potuit, quia est de essentiâ huiusce Transactionis voluntas. Tandem quia etsi Iure communi hanc conditionem pro non positâ esse habendam fingamus, Imperium in hac lege Cæsareâ dispensavit, jubendo, *ut quicquid in præcedentium Comitiorum recessibus, aut ordinationibus,*

Conditio concordia non debet haberi pro non positâ.

aut

aut aliàs conclusum ac provisum fuit, huic Religionis Paci nihil demere aut derogare debeat. Vide Pacis articulum.

Nunc ad turpes conditiones venio; quia & turpem Ernestus in Pacis Religione cognoscit. Et de ipsis analogiâ servatâ philosophor. Sit igitur

CCLXI. *De conditionibus turpibus. An debeant haberi pro non positis? In jure naturæ.*

CONCLVSIO I. *Stando Iuri naturæ, conditio turpis nec contractum dirimit, nec pro non adjectâ censenda est.* Hinc est, quod si Petrus contraxerit cum Titiâ, ut usum sui corporis concedat pretio mille imperialium, etiam post contractum Titiam non teneri nec licitè posse se prostituere: nec Petrum illam posse admittere etiam volentem. Quodsi conditio ponatur, debebit Petrus pretium solvere; & si non ponatur, non debebit; cùm tamen si contractus staret, & conditio deberet pro non adjectâ judicari, teneretur Petrus Titiæ mille imperiales solvere, tametsi corporis usum non haberet, quod nemo somniavit hucusque. Vide Basilium Pontium *lib. 3. cap. 5.*

CCLXII. *In Iure humano.*

CONCLVSIO II. *Stando Iuri humano aliquæ turpes conditiones pro non adjectis reputantur. Sed inter ipsas non ponitur hæc, nec ex aliquibus valet argumentatio.* Addo tamen, Matrimonium hoc, *Ego te duco, si occideris Ioannem, & non aliter*, esse conditionale, nec conditionem, siquidem est *sine quâ non*, posse pro non adjectâ judicari.

Concordia conditio turpis non est. Vt sit, valida est.

Hinc iterum ad quæstionem principalem respondeo, *Primò*, Conditionem nullam turpem in toto Diplomate involvi; *Secundò*, si involvatur, deberi censeri pro adjectâ, & hoc tam ex dispositione Iuris naturalis, quàm Ecclesiastici aut Politici; quod probant rationes positæ num. 270.

CCLXIII. *Quæstio ex hypothesi.*

DUBIUM ALTERUM. An ex hypothesi quod hæc circumstantia (turpis aut impossibilis sit, aut non sit) debeat pro non adjecta reputari, concludatur pacem fore perpetuam; an non potiùs futura sit perpetua, si illa circumstantia impossibilis esse adjecta dicatur?

Contra Ernestum resolvitur.

Ernestus, ut vidimus num. 265. inde perpetuitatem pacis probat, quod hæc conditio sit pro non adjectâ judicanda: at ego contrà existimo inde maximè debere perpetuam dici, quòd illa clausula consistat & indelebilis asseratur. Et pono clarissimum casum. Dicit Petrus, *Ego permittam Antonio transitum per meam domum usque ad annum sequentem.* Item, *Ego eidem permittam trasitum quousq; exsiccetur mare.*

ter, & esset bono publico utilis. Consulto contractum realem produco; quoniam personales contractus solent à contrahentium intimiùs voluntate pendere, maximè si sacramentalia ipsa sint. Non enim potest Ecclesia facere, quod hi contractus, videlicet, *Duco te in uxorem, si sis Filia Iulii Cæsaris, & non aliàs. Ego te absolvo, si sis Alexander Magnus, non si alius. Ego te baptizo & Christianæ religioni incorporo, si sis Angelus Gabriel, & non aliter*, sint validi; & tamen conditiones impossibiles sunt.

Conditiones impossibiles in matrimonio.

QVINTA. *Respublica ne quidem in contractibus realibus omnes conditiones impossibiles pro non adjectis haberi voluit, sed aliquas.* Hinc est quod in matrimoniis conditio impossibilis, si essentialis & *sine quâ non*; sit, vitiet matrimonium; nemo enim potest duos jungere invitos: at si sit *sine quâ difficiliùs*, habendam pro non positâ: & tamen in legatis habendam pro positâ. Sed cur in his rebus tam diversa est juris dispositio? Respondet Basilius Pontius *de matrim. libr. 3. cap. 3. num. 4.*

In legatis.

CCLX.

Catholicorum & Lutheranorum concordia possibilis est.

Hinc ad quæstionem principalem, quæ inquirit, An si textus diplomatis conditionem illam non excluderet, illa ipsa deberet non adiecta censeri? Respondeo *primò*, Lutheranorum & Catholicorum compositionem non esse impossibilem, imò neque difficilem, si adulationi & avaritiæ parcatur. Hanc ipsam possibilitatem libro speciali demonstravimus, qui potest legi. *Dico secundò*, ex hypothesi, quod sit impossibilis hæc conditio, debere haberi pro positâ, stando Iuri naturali, stando Canonico, & stando Cæsareo. Habendam pro positâ si stemus Iuri naturali, constat ex conclusione II. Habendam pro positâ etiam, si stemus Ecclesiastico, constat, quoniam non omnes conditiones impossibiles pro non adjectis illud habet, sed aliquas, ut colligitur ex conclusione IV. & V. nec tamen inter ipsas hanc. Imò nec posset hanc, quia Pax religionis est contractus & concordia personalis & necessaria, quæ ab invitis fieri non potuit. Habendam pro positâ, si stemus Iuri Cæsareo, etiam ostenditur, quia id non definit hanc conditionem pro non adjectâ habendam, sed paucas alias, aut fere nullas; Hanc enim esse censendam pro non adjectâ statuere non potuit, quia est de essentiâ huiusce Transactionis voluntas. Tandem quia etsi Iure communi hanc conditionem pro non positâ esse habendam fingamus, Imperium in hac lege Cæsareâ dispensavit, jubendo, *ut quidquid in præcedentium Comitiorum recessibus, aut ordinationibus,* aut

Conditio concordiæ non debet haberi pro non positâ.

aut aliàs conclusum ac provisum fuit, huic Religionis Paci nihil demere aut derogare debeat. Vide Pacis articulum.

CCLXI. *De conditionibus turpibus. An debeant haberi pro non positis? In jure naturæ.*

Nunc ad turpes conditiones venio; quia & turpem Ernestus in Pacis Religione cognoscit. Et de ipsis analogiâ servatâ philosophor. Sit igitur

CONCLVSIO I. *Stando Iuri naturæ, conditio turpis nec contractum dirimit, nec pro non adjectâ censenda est.* Hinc est, quod si Petrus contraxerit cum Titiâ, ut usum sui corporis concedat pretio mille imperialium, etiam post contractum Titiam non teneri nec licitè posse se prostituere: nec Petrum illam posse admittere etiam volentem. Quodsi conditio ponatur, debebit Petrus pretium solvere; & si non ponatur, non debebit; cùm tamen si contractus staret, & conditio deberet pro non adjectâ judicari, teneretur Petrus Titiæ mille imperiales solvere, tametsi corporis usum non haberet, quod nemo somniavit hucusque. Vide Basilium Pontium *lib. 3. cap. 5.*

CCLXII. *In Iure humano.*

CONCLVSIO II. *Stando Iuri humano aliquæ turpes conditiones pro non adjectis reputantur. Sed inter ipsas non ponitur hæc, nec ex aliquibus valet argumentatio.* Addo tamen, Matrimonium hoc, *Ego te duco, si occideris Ioannem, & non aliter*, esse conditionale, nec conditionem, siquidem est *sine quâ non*, posse pro non adjectâ judicari.

Concordia conditio turpis non est. Vt sit, valida est.

Hinc iterum ad quæstionem principalem respondeo, *Primò*, Conditionem nullam turpem in toto Diplomate involvi; *Secundò*, si involvatur, deberi censeri pro adjectâ, & hoc tam ex dispositione Iuris naturalis, quàm Ecclesiastici aut Politici; quod probant rationes positæ num. 270.

CCLXIII. *Quæstio ex hypothesi.*

DUBIUM ALTERUM. An ex hypothesi quod hæc circumstantia (turpis aut impossibilis sit, aut non sit) debeat pro non adjecta reputari, concludatur pacem fore perpetuam; an non potiùs futura sit perpetua, si illa circumstantia impossibilis esse adjecta dicatur?

Contra Ernestum resolvitur.

Ernestus, ut vidimus num. 265. inde perpetuitatem pacis probat, quod hæc conditio sit pro non adjectâ judicanda: at ego contrà existimo inde maximè debere perpetuam dici, quòd illa clausula consistat & indelebilis asseratur. Et pono clarissimum casum. Dicit Petrus, *Ego permittam Antonio transitum per meam domum usque ad annum sequentem.* Item, *Ego eidem permittam trasitum quousque exsiccetur mare.*

Item, *Ego eidem concedam transitum.* In ultimâ deletur circumstantia impossibilis, quæ posita in secundâ augebat concessionis perpetuitatem; diuturnior enim est concessio secunda quàm prima, quàm ultima. Nec est arguendus ex eo Ernestus, quòd secundam conditionalem judicavit; quoniam ipsa [est similis huic, *Durabit valor istiûs diplomatis usque ad concordiam Religionis*, quæ æquivalet huic, *Non cessabit si non ineatur concordia*, & ipsa] æquipollet isti, *Hac permissio transeundi per meam domum, quam concedo Petro, non cessabit, si non exsiccetur mare.*

CCLXIV. *De possibilitate concordia.*

Dubium Tertium. An illa conditio aut circumstantia, quàm Pax Religionis involvit, sit impossibilis?

Dixi contra Ernestum concordiam & amicabilem Fidei compositionem inter Catholicos & Lutheranos possibilem esse, imò me judice quàm facilem; Nunc condono esse impossibilem, ut ipse affirmat, nego tamen hoc pactum, quod Pax Religionis involvit, supponere conditionem impossibilem, sed demonstrabo supponere conditionem necessariam. Et ratio est; quoniam si amicabilis compositio impossibilis est, hanc non fieri necessarium est; & hoc secundum imbibit illa conditio; quoniam hæc propositio, *Nec cessabit hujus pacti & diplomatis obligatio, si non fiat amicabilis Fidei concordia*, habet pro conditione, *non fieri amicabilem Fidei concordiam*, & hoc ipsum in Ernesti opinione, non jam impossibile sed necessarium est.

Ernestus impossibilitatem cum necessitate confundit.

Hinc Patet infeliciter Ernestum hanc conditionem ursisse; videtur enim rem non examinasse radicitùs, quoniam, ut vidimus, tertio quoquo verbo fuit lapsus.

QVÆSTIO XII.

Vtrùm Pax Religionis hæresi cooperetur directè?

CCLXV. *Hanc conclusionem nostram conatur impugnare Ernestus sectione 4. rat. 1. §. 2. Vide eumdem sect. 5. §. 3. Cooperatio directa quid sit?*

Ernestus animosior redditur; non jam operationem indirectam, sed directam urgere incipit: sed quia ego nec directè nec indirectè illam hæresi cooperari pronuntio, illum adversum video, & argumentaturum specto. Sic arguit.

OBIECTIO I.

Directè cooperari malo est ea agere, quæ suâpte naturâ ad peccatum ordinantur, vel esse partem aut socium peccati sive actionis criminosæ, Utroque modo Pax Religionis & quævis

quævis illi similis concurrit: ergo directæ cooperationis rea esse convincitur. Probatur minor, & prior concurrendi modus. Quoniam ejusmodi Pax præstat hæresi authoritatem juris publici, quod ad eam stabiliendam, augendam, defendendam ordinatur: ergo concurrit priori modo.

Respondeo Ego negando minorem syllogismi prioris, & ad probationem nego rotundè illud antecedens quod adsumit. Id probari posse quatuor rationibus Ernestus ait, nego ego: illas ipse producit, ego examino.

RATIO I.

CCLXVI. *An hæretici infames sint?*

Vt probet cooperationem directam & Pacem Religionis ea agere, quæ suâ naturâ ad peccatum ordinantur, arguit primò, Quoniam, Hæretici jure divino & humano infames vi hujus pacis inter publicas & fundamentales Imperii leges receptæ obtinent Statum illæsæ dignitatis, detrahitur enim hæresi & Apostasiæ omnis infamia sive juris, sive facti, art. 5. & 11.

Sed hæc ratio nullius roboris est, non enim jure divino sancitum est, ut aliter hæretici sint infames quàm reliqui, qui inficiuntur mortali peccato, nam de quocumque incorrigibili dicit Christus, *Si Ecclesiam* (hoc est, Rempublicã) *non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus.* Et tamen non omnia mortalia peccata, nec ubique, infamiam inurere manifestum est. Cùm igitur quæcumque in orbe Regio habeat sua Provincialia peccata, quæ tametsi in foro interno hominem infamem reddant, non tamen in foro exteriori; quod supra num. 174. clarè monstratum est. Deberet Ernestus se exponere, & dicere de utrâ loquatur ignominiâ & infamiâ; nam, quæ habetur cœlitùs, peccatis omnibus mortiferis communis est: & quæ humanitùs, juxta provincias varias varia, nec occurrit ratio cur potiùs ex rei naturâ etiam humanitùs debeant esse infames hæretici in Germaniâ, non tamen qui occidunt, superbibunt, aut jejunia violant, nam & isti peccant mortaliter. Accedit quod inter omnes Regiones alias nulla ita detestatur infideles, ut nostra Hispania; quoniam Italia tota, & ipsa etiam Roma, inficiuntur Iudæis, qui à totâ nostrâ ditione exulant; & nihilominùs Hispania hæreticos ab hæreticis damnatis ab Inquisitione distin-

Peccata provincialia non inferunt infamiam.

Hæreticorum permissorum

& damnatorum differentia; etiam in honoris materiâ.

distinguit; illos infames non credit, sed putat expositos periculo, ut infames reddantur. Et Catholicos, filios hæreticorum, qui in Germania vixerunt, si ad se veniant, ingenuos reputat; cùm tamen infames esse censeat, Catholicos, filios hæreticorum damnatorum ab Inquisitionis tribunali. Quam ob rem in hac primâ Ernesti probatione nullum ego robur, aut difficultatem reperio.

CCLXVII. *An Turci sint infames?*

Sed quia major infidelitas Turcismus est quàm Hæresis, petam statim ab Ernesto, Anne supremus Turcarum Imperator infamis sit? Anne ejus Legati? Quid dicet? Clara omnia sunt. Apud Deum ipsi sunt miserrimo statu; sed apud Homines in summâ potentiâ & honore. Idem de Rege Angliæ etsi hæretico dixero; quoniam si infamis ipse est, infamis etiam erat filia ipsius, videlicet infamiâ patris, propriâque, quoniam erat hæretici filia & hæretica; & si hoc verum, delirarunt Hispani (mortalium in materiâ hæreseos scrupulosissimi) cùm infamem uxorem Balthasari suo Principi, Regi futuro, procurabant. Et quia de Angliâ loquimur, Carolus Valesiæ Princeps, jam Angliæ Rex Anno .... Hispaniam advenit, & Mariam (quæ posteà Ferdinando III. Imperatori data) in uxorem appetiit. Rem à summis hominibus tractatam vidimus, consilia grandium hominum legimus, at Angliæ Principem infamem esse à nemine mortali creditum.

RATIO II.

CCLVIII. *De alti imperii Regula. An Germaniæ Principes animas reformandi jus habeant?*

Regula annectens jus reformandi alto scilicet Imperio ex se ordinatur ad hæresin augendam, imò in totum Imperium introducendam, si plures Potentioresque Principes & Status à fide deficiant, aut protestantes hæreditate vel alio juris titulo Catholicas ditiones suas faciant. Hanc Regulam deduci ex art. I. & II. Pacis Religionis, diximus sect. I. §. 3. Quam confirmat perpetua praxis, & authoritas Ferdinandi II. Is enim in Pace Pragensi Electori Saxoniæ petenti libertatem Religionis pro Provinciis Austriacis dictam Regulam opposuit & firmavit asserens, quod aliis statibus concessum sit (ut jus Religionis sublimi Imperio seu jurisdictioni territoriali cohæreat) id Cæsari illicitum & vetitum esse non debere.

Volo totam hanc rationem describere, quoniam centies illam Erne-

Ernestus urget, nec videtur talis aut tanta, quæ debeat secundò proponi.

CCLXIX. *Retorquetur tota hæc Ernesti ratio: & paucis verbis alteratis resumitur.*

Regula, inquam, annectens jus reformandi alto scilicet imperio ex se ordinatur ad hæresin extirpandam [sanè si ad extirpandam, non ad augendam; & si ad extirpandam hæresin, ad religionem catholicam restituendam] imò in totum Imperium introducendam, si plures potentioresque Principes & status ad Fidem nostram convertantur, aut Catholici hæreditate aut alio juris titulo hæreticas ditiones suas faciant. Quam Regulam confirmat perpetua Praxis, & authoritas Ferdinandi III. is enim in Pace Pragensi Electori Saxoniæ petenti libertatem Religionis pro Provinciis Austriacis, dictam Regulam opposuit, &c.

CCLXX. *Ius reformandi, si daretur potiùs Catholicæ Religioni faveret.*

Stat ergo jus reformandi æquè, imò potiùs, ordinari ad Catholicam religionem introducendam aut stabiliendam, quàm ad hæresin: cùm certum sit conversis ad nostram Fidem Saxone & Brandenburgico vi hujus regulæ eorum ditiones ad Catholicam Religionem reducendas; & perversis lapsisque in hæresin Moguntino, Coloniẽsi, & Trevirensi, eorumdem provincias hæreticas fieri non posse; nam vi Pacis Religionis, si labantur in hæresin, vacat statim dignitas, ad quam alius Catholicus promovendus est. Quibus positis discurro sic. Nihil potest directè ordinari ad religionem Catholicam & Hæreticam *simul*; nam ut utar Ernesti verbis, Quæ concordia ignis & aquæ, lucis & tenebrarum, Christi & Belial? Atqui reformandi jus, si alto dominio esset conjunctum eo sensu quo opinatur Ernestus, ordinaretur ad utramque, tametsi magis ad introductionem Religionis catholicæ quam Hæreseos. Ergo vel ad neutram directè ordinatur, vel saltem ad catholicam Religionem directè, ad Hæresin verò indirectè. Non ergo Ernesti doctrina subsistit.

Ernestus sect. 4. rat. 1. §. 1.

CCLXXI. *Nomina Permissionis & Iuris, Libertatis & Necessitatis, &c. Ernestus confundit.*

Accedit, non distingui ab Ernesto Permissionem & Ius positivum, nec Permissionem liberam & necessariam: nec ego alium judicem volo, sed sub ipso facti speciem proponam, & ex millenis circumstantiis, quæ illam justificant, unam aut alteram producam. Accerso Ferdinandum I. qui sic ait: attendite. [Nullâ violentiâ cogor, Turca non invadit Uagariam, omnia sunt paccata & tranquilla (sic suppono, tametsi contra historiam, majoris claritatis gratiâ) mihi datur optio; an hunc articulum ex Pace Religionis

gionis excludere, an illum admittere velim? Nemo me cogit ut acceptem, nemo ut reiiciam, sed Dei gloriam, & imperii bonum desidero, & abs te, Erneste, inquiro, utrùm illum includere aut excludere debeam? Si admittam erunt multò plures Catholici in Germaniâ, pauciores si regeram. Principatus Moguntinus, Coloniensis, Trevesensis sunt extra ipsum; includuntur Saxonia, Brandenburgum, Palatinatus, &c. qui omnes Principatus aut fere sunt hæretici; & in ipsis paucorum sit timenda perversio, & conversio innumerabiliū speranda. Et ut loquar in particulari. In Saxoniâ vi hujus articuli quid timendum? nimirùm ut perpauci Catholici sub Duce Lutherano in Lutheri religionem cogantur. Quid sperandum? ut si contingat Ducem ad nostram religionem converti, tota Saxonia, quanta est, nostram receptura sit Fidem. Igitur si ex duobus bonis eligendum est majus, ex duobus malis minus, articulus esset acceptandus.] Quid tibi videtur Erneste? *Ego quidem* existimo Ernestum subscripturum fuisse Ferdinando, etiam si circumstantiæ essent quales propositæ. At si historiæ credimus, omnia aliter; Ferdinandus enim & Catholici Status non jam coacti sunt alterum articulum admittere; sed illum, quem habet Instrumentum hoc Pacis, adeoque cùm acceptatio non fuerit libera; quidquid ex eâ sequatur, illis imputandum non est.

CCLXXII.
An præstaret Cæsarem mori quàm Paci Religionis subscribere.

At Ernestus, moriendum potiùs fuisse illis ait; moriendum fore potiùs nostro Cæsari, ingeminat; quàm articulum istum admittere; & quando similia inculcat, non percipit difficultatem. Non est violentia illata soli Cæsari, cujus morte cessaret; est illata Religioni Catholicæ, est illata Orthodoxæ Germaniæ; & si moriendum & pereundum potiùs est, quàm adquiescendum huic Articulo: potiùs erit Religio Catholica & tota Germania peritura, quàm articulus iste admittatur. Annon vides exorbitantiam? Quis enim prudens diceret, melius esse in totâ Germaniâ Catholicam Religionem perire, quàm in parte? Quis, satius esse omnes Germanos in hæresin cogi, quàm pauculos?

CCLXXIII.
Germaniæ Principes conscientias reformare non possunt.

Omnia hæc dicta sint ex falsâ hypothesi, quam Ernestus non discutit, non probat, sed multoties adsumit: nego enim Principibus Lutheranis concedi jus reformationis; sed hoc, qualecumque illud sit, ab ipsis olim per violentiam adsumptum, à Pace Religionis, & in ipsâ

ipsâ Ferdinando I. in gratiam Catholicorũ limitari. Majoris claritatis gratiâ caſum unum præmitto, ut noſtrum per analogiam reponam. Sic inquam. [Franciſcus perditiſſimæ vitæ vir, habet ephebum Sanctorellum, bonæ indolis juvenem, ingenii facilis, qui ſuaviter mores alienos imbuat; eum ipſe conducit ad comeſſationes, ad lupanaria, ad ludum, & his vitiis teneram ætatẽ illius pueri corrumpit. Franciſcum adeo; arguo, obſecro, increpo; ſed non proficio. Poſteà heri converſionem deſperans, ne famulum ſuorum criminum conſortem faciat, inſtantiſſimè exoro; & ne videatur merè ſpeculativa oratio mea, etiam potentiâ utor; ſuperor tamen, & confirmatur contumacia victoris. Interponitur communium amicorum authoritas, & de amicitiâ inter me & Franciſcum tractatur. Illam, quoniam viribus careo, quibus inſolentem Franciſci vitam reformem; viribus, quibus Sanctorellum, ſi apud Franciſcum maneat, liberem à proximo peccandi periculo, accepto ſub hac ſaltem lege; quòd Sanctorello liceat domo Franciſci egredi, & mihi aut alii modeſto hero ſervire. Clamat me tyrannum invidia. Me arguit illatæ manifeſtæ violentiæ; nam totam hanc Ego tragœdiam movi, & jam Sanctorellus redigitur ad extremas anguſtias, in quibus, aut ſequuntur heri mores peccaminoſos ſit, aut egreſſurus domo. Sed, quæſo, Carpar parciùs. Sanctorelli miſeriam fateor, Dilemma admitto. Sed illum à me in talem inductum miſeriam non admitto. Priùs & debebat domi manere & peccare, hoc non habuit à me, ſed aliunde. At ego, quia poſitâ neceſſitate manendi, non poni non poterat manifeſtum peccandi periculum; manendi neceſſitatem abſtuli, fecique ut vel ſic Sanctorellus hoc peccandi periculo carere poſſet.] Si dicat in Deum & in Sanctorellum peccaviſſe, cœcus ſum.

Caſus proponitur.

Exponitur emigrationis ius.

CCLXXIV.

Exponitur ius reformationis.

Ad Carolum V. & Ferdinandum I. jam venio; ſpeciem facti paribus verbis propono. [Principes Proteſtantes habebant ſubditos indole bonos, ingenio faciles, ſuaveſque, & qui mores Dominorum libenter affectarent, quoniam hîc, ſicut etiam ubique, Principis exemplo totus componitur orbis. Subditos illi Principes in hæreſin violenter inducunt. Summates Cæſar, arguit, obſecrat, increpat; ſed non proficit. Poſteà Principum converſionem deſperans, ne ſaltem ſubditos hæreſeos conſortes faciant inſtantiſſimè monet; & ne monitio videatur non eſſe Cæſarea, illam potentia armat, armis roborat;

sed eo ab hæreticorum multitudine, proterva, & præsumptione superato, confirmatur victricis hæreseos contumacia. Interponitur Regum, communium amicorum, authoritas, & de Pace Religionis inter Cæsarem & Hæreticos instituendâ tractatur. Illam Cæsar, quoniam viribus caret, quibus hæresin Principum Protestantium reformet; viribus, quibus eorumdem subditos, si in hæreticis ditionibus maneant, liberet à proximo hæresin incidendi periculo, acceptat sub hac saltem lege, quod Principum hæreticorum liceat à Dominis suis discedere, & ab hæreticâ provincia emigrare, & ad Catholicas ditiones transire. Clamat Cæsarem tyrannum invidia. Illum arguit Ernestus illatæ manifestæ violentiæ; nam hanc totam tragœdiam Cæsar movit, & jam Principum hæreticorum Catholici subditi rediguntur ad extremas angustias, in quibus, aut sequuturi suorum Principum hæreticam religionem sint, aut omninò ditione totâ emigraturi. Sed quæso, Erneste, carpatur parciùs Cæsar. Subditorum fidelium sub Dominis Lutheranis agentium, aut patientium potiùs, miserias fateor, dilemma admitto; sed eos à Cæsare in tales inductos miserias non admitto. Priùs illi & debebant manere in hæreticis ditionibus, & hæresin etiam amplecti; hoc non habuere à Cæsare, sed à superiorum tyrannide, & temporum iniquitate: at Cæsar, quia positâ necessitate remanendi apud suos, non poterat non poni manifestum subversionis periculum, manendi necessitatem abstulit, emigrandi libertatem invexit, fecitque ut vel sic illi miseri subditi perversionis periculo carere possint.] Annon fideliter primum casum transcripsi? Expeditæ resolutionis quæstio est. Nemo prudens me in Sanctorellum peccavisse asseret; nemo Cæsarem in Catholicos Hæreticorum subditos.

Emigrationis beneficium.

RATIO III.

CCLXXV. An bona iniustè ereptoribus relinqui possint?

HÆreticis in Tribunali Cæsareo ait Ernestus, conceditur jus & actio ad spoli, Catholicis ante Tractatum Passaviensem erepta retinenda & vindicanda. Sed quid inde? Spolia sunt spolia, nec tenetur illa Cæsar defendere aut recuperare cum tam gravi totius Germaniæ subvertendæ periculo: maxi-

maximè cùm omissâ animarum innumerabilium damnatione, & Catholicorum turbatione & perversione, nec Cæsar nec Imperium sit solvendo militibus, nec Ecclesia sit solvendo Cæsari & Imperio: nec bona ipsa, de quibus agitur, tanti valeant, ut possint satisfacere exercituum militarium expensis. Sed hoc ipsum resumam statim; subaudio Ernestum, qui progreditur. [Conceditur, ait, jus & actio Confessionem Augustanam in ditionibus suis introducendam subditis licet invitis, aut Episcopis contradicentibus. Iubentur enim Judices Cameræ Imperialis secundum dictæ pacis articulos non attentâ Religione jus dicere, art. 18. Vocamus autem hîc *Ius* quamvis legem publicè receptam & actionem quamvis facultatem aliquid in judicio persequendi, sive justè id fiat, sive injustè, quo pacto jus Regis appellavit Samuel 1. *Reg* 8 *vers.* 11.]

CCLXXVI. Ius, Actio, Ditio, Permitti, Habere ius; & alia verba malè intellecta & accepta ab Ernesto.

Voces, *Concedere, Ius, Actio, Ditio*, quàm bene & rigorosè sumantur ab Ernesto Lector candidus videt. Aliud est *concedere*, & aliud *permittere*. Aliud est *permitti*, aliud *habere jus*, aliud est *actio ad rem ipsam*, aliud est *actio ad usum facti*, & aliud est *inducere hæreticos in suas terras*, & aliud *inducere hæresin in corda suorum subditorum*. Has voces confundit Ernestus; nolo nomenclatorem agere, ad rem venio.

CCLXXVII.

Considero accuratè singula, & consequentiam probandam non reperio, nec video assumi propositiones veras. *PRIMA hujus rationis pars* est hæc, [Hæreticis in tribunali Cæsareo conceditur jus & actio ad spolia Catholicis ante tractationem Passaviensem erepta, retinenda & vindicanda: Ergo Pax Religionis præstat hæresi authoritatem Iuris publici, quod ad eam stabiliendam, augendam, defendendamque ordinatur.] Et ego rationem inferendi non video: aliud enim est cooperari directè ad hæresin (quoniam directam cooperationem hîc probandam, aut ut ipse frequenter loquitur, demonstrandam assumit meus Ernestus) & aliud est dare fundos hominibus, qui habent hæresin.

Malo probatur cooperatio.

CCLXXVIII. Casus alius proponitur.

Et quidem, quidquid sit de ratione inferendi, ut antecedens explicem, hunc casum resolvendum propono.] Usurarios licitè admitti posse fatetur Ernestus sect. 5. ad rat.....& pono Antuerpiæ ex usuris vivere Fridericum, permissum authoritate publicâ; cum ipse multos contractus usurarios inivit Marcellinus; & quia se gravari sentit mille aureis, hanc summam per vim ab Usurario subripit. Fridericus Marcellinum accusat; causa Antuerpiæ agitur;

An liceat furari ab usurario?

Et Ernestus ab Eusebiis est judex, & pronuntiare jubetur, *primò*, An illi mille aurei, quos fuerat Fridericus injustis usuris lucratus à Marcellino, quos per vim recuperavit Marcellinus, sint Usurarii? *Secundò*, An sint Usurario restituendi? *Tertiò*, Uter litis expensas debeat solvere? *Quartò*, Anne debeat Marcellinus furti argui, & furum pœnâ plecti? AUT FALLOR, aut responsurus esset *ad primum*, Aureos illos non esse Usurarii, sed Marcellini; quoniam injustâ usurâ non adquiritur verum dominium; aliàs enim non tenerentur ad restitutionem Usurarii. *Ad secundum*, esse Usurario restituendos; non enim essent ipsi permissæ usuræ, si licitè exspoliari posset. *Ad tertium* Usurarium ad litis expensas non teneri, sed Marcellinum, qui temeritate privatâ violare legem publicam ausus est. *Ad quartum* responderet hærendo; diceret enim Marcellinum verè non fuisse furem, sed politicè; fur enim verus ille est, qui capit aliena invito domino, & Marcellinus cepit propria invito possessore injusto. At quia cepit bona quæ debebat non capere, peccavit coram Deo, non furti sed inobedientiæ (moralis aut pœnalis, quod non examino) peccato; & coram hominibus peccato furti politici, hoc est inobedientiæ in materiâ pecuniariæ ablationis: & deberet puniri, non quidem ut fur verus, sed ut fur politicus, aut in tali materiâ inobediens.

Usurâ dominium non adquiritur.

Sitne fur, qui usuras iniustè datas recuperat?

Furis veri & politici differentia.

CCLXXIX. *Doctrina de Usuris nostro casui applicatur.*

Eodem igitur modo, siquidem Hæreticis latrocinia, furta, & usurpationes Catholicorum bonorum lege publicâ permittuntur, debeo necessariò de illis sicut de Usurario permisso philosophari; dicendo *primò*, illa bona non esse hæreticorum, sed Catholicorum, nec vi hujus permissionis haberi, quòd ipsi non teneantur ad restitutionem. *Secundo*, si contingat aliquem hæreticum expelli à bonis, in quibus eidem usus facti publicâ authoritate permittitur, debere in integrum publicâ Authoritate restitui: quæ enim authoritate publicâ permittuntur, non possunt impediri privatâ. *Tertiò*, omnes expensas solvendas esse ab invasore Catholico. *Quartò* hunc ipsum puniendum, mitius tamen quàm si usurpavisset aliena; aliud enim est aliena subripere invito domino & republicâ, & aliud omninò diversum propria subripere, injustè invito possessore illegitimo, & tamen justè invitâ & contradicente republicâ.

CCLXXX. *An Principes habeant ius in-*

SECUNDA *hujus tertia rationis pars* erat, [Hæreticis conceditur jus & actio ad confessionem Augustanam in ditionibus suis introdu-

troducendam, subditis licet invitis & episcopis contradicentibus: ergo Pax Religionis præstat hæresi authoritatem Iuris publici, quoad eam stabiliendam, augendam defendendamque ordinatur.] Et hîc verum rationem inferendi non video. quoniam hæreticis nullum jus, nulla actio conceditur; sed merè permittitur, id quod impediri non potest. Volebant & in ditiones ipsi suas introducere hæreticos, & in suorum subditorum pectora hæresin; caret Cæsar viribus, ut utrumque impediat, & armato milite ne faciant hoc secundum extorquet. Ergo permissio illa prior, non est libera Cæsari, nec ipsi imputanda; non enim datur peccatum, ubi permissio quæ impediri non potest. Cæsar igitur non permittit moraliter nec liberè, quòd hæretici Principes hæreticos peregrinos in suas ditiones inducant contradicentibus Episcopis & subditis; hoc enim vitare non valuit: sed impedit ne subditos possint illi cogere, & per vim in Augustanam Confessionem impellere; & in hoc ipse fuit optimè meritus de religione Catholicâ, & ab universis laudandus.

troducendi hæresim?

Respondetur.

RATIO IV.

CCLXXXI. An & qualiter hæretici defendi debeant?

SI adversus hanc pacem molestiam aut vim patiantur hæretici, non minus eos defendere tenetur Cæsar, quàm Catholicos, ut constat ex Pacis art. 16. & 17. Ergo Cæsar directè cooperatur hæresi.

Qualiter Iudæi & Usurarii?

Et respondeo hanc consequentiam esse similem huic, [si adversus pacta quibus admissi sunt Usurarii & Iudæi, aliquid fiat, ne vim ipsi privatam patiantur, debent authoritate publicâ à Principe protegi, & non minùs ac boni Catholici defendi: imò magis, quia magis indigent, & populus est in illos concitatior & pronior: ergo Princeps directè cooperatur Iudaismo & Usuræ.] cùm igitur hæc secunda nihil sit, tametsi fortius posita quàm illa prior, respondeo ad utramq; rationem condonando, aut etiam si necessarium sit, concedendo assumptum defensionis & protectionis onus, & illatam cooperationem absolutè negando.

CCLXXXII. An sit inter defensionem Hæreticorum & Iudæorum aut etiam Usurariorum differentia?

Inter has duas consequentias conatur dare disparitatem Ernestus, sed conatur. Intentio ejus est vehemens, non tamen efficax; quoniã disparitas prætensa nõ datur. Sic proponitur. [Etsi verò permissio

quoque secundi generis (hæc est, protegens) aliquam actionem aut defensionem tribuit, quo pacto Ecclesia coërcet fideles, ne Iudæos in suis ritibus impediant, uti dictum sect. 3. §. 1. est tamen ratio valdè diversa. Nam aut talis coërcitio non nititur lege perpetuâ, ut cùm malum ad tempus toleratur, aut, si jure est stabilita, ut coërcitio impedientium Iudæos, nón extendit se ultra ritus ipsorum. Neque enim conceditur illis actio ad bona Catholicis erepta retinenda vel vindicanda, aut Catholicos ad Iudaismum compellendos, nec liberantur infamiâ, nec interuenit participatio peccati vel actionis criminosæ, qualis cernitur in Pace Religionis vel simili, quam desiderant Protestantes.]

CCLXXXIII. Retorquetur instantia.

Et ego verè omnia in contrarium retorqueo, & dico nullam omninò esse disparitatis rationem [quoniam permissio protegens defensionem & actionem in defensionem tribuit Iudæis, siquidem Ecclesia coërcet fideles, ne Iudæos in suis ritibus impediant; ergo etiam tribuet Protestantibus, & poterunt coerceri fideles ne illos in suis ritibus aut ceremoniis impediant. Nec iuvat dicere hanc coërcitionem non niti lege perpetuâ, nescio enim utrùm ubique Iudæi lege temporariâ admittantur; quòd si admittantur ad tempus, adhuc dico posse in perpetuum admitti, si ratio admittendi perpetua fore prudenti judicio videatur. Et quidem Iudæis non permitti actionem ad bona Catholicis erepta retinenda vel vindicanda falsum est; illi enim, quibus permittuntur usuræ (hæ nonnunquam permissæ omnibus) habent bona à Catholicis erepta, quæ si subripias, & accuseris, restituere cogaris, condemnandus aliàs ad expensas litis, & pœnam aliquam gravem secundum Reipublicæ arbitrium, juxta ea, quæ diximus num. 290. Eisdem Iudæis non permitti, ut nostros ad suam religionem compellant certum est; sed æquè certum id non concedi hæreticis ut ostendimus num. ... Circumstantia infamiæ quæ subjungitur levis est, & aliquoties evidenti argumento disflata; Provincialia enim crimina mortalia coram Deo sunt, & tamen infamiam non inurunt. Falsum igitur est participationem peccati, aut actionis criminosæ in Pace Religionis Augustanâ, aut in quâcumque eidem simili, si Monasterii fiat, intervenire.

Non suffragatur perpetuitas obiecta.

Iudæis usuras retinendi facultas in foro externo indulta.

Nec Iudæis nec Hæreticis permittitur pervertendi facultas.

Provincialia peccata ignominiam non inferunt.

OBIE-

OBIECTIO II.

CCLXXXIV.

Terum, ut suam cooperationem directam probare videatur Ernestus, secundis animis loquitur & sic ait, [Compellere subditos ad hæresin vel emigrationem ex patriâ, introducere vel reducere exercitium hæresis in loca Catholica, eripere Catholicis bona & jura legitimè recuperata, ut hæreticis restituantur, non sunt actiones ex se & objecto bonæ, neque indifferentes; ergo, cum aliud membrum Theologia ignoret, ex se & objecto malæ sive criminosæ: neque magis excusari possunt, quàm subditos domo eiicere, nisi in atrocia scelera consentiat; horum exercitium aliquò introducere vel reducere; eripere denique innocentibus bona vel jura legitimè recuperata, ut sceleratis publicâ vindictâ coercendis restituantur. Hæresis enim ex suo genere grandia scelera non solùm æquat, sed etiam superat, ut post S. Aug. tr. 89. in Ioannem, cùm S. Th. 22. q. 10. art. 3. docent Theologi. Etsi, quia hoc malum familiare est, & majorem Imperii partem occupat, id non æstimamus. Hujus actionis criminosæ participationem induci, si defensio, patrocinium & auxilium hæreticis promittitur, manifestum est. *Expulsio* Catholicæ Religionis & Catholicorum ex bonis & juribus legitimè recuperatis in pace Religionis quidem non continetur, sed novæ Amnistiæ hunc sensum affingere volunt aliqui, ut videlicet Monasteria, Ecclesiæ, ditiones hæreticis per hosce annos legitimè ereptæ iisdem restituantur, id est, recuperata prædonibus. Qui si ipsi rursus ea raperent, fieri deberet quod impediri non posset; Si autem Cæsar & Catholici id decernant & re ipsâ præstent vel adjuvent, actionis illicitæ & criminosæ vel maximè participes sunt. Atque ex his posterior quoque modus directæ cooperationis intelligitur.]

Actiones humanæ, aut si nt bonæ, aut indifferentes, aut malæ.

Hæresis inter scelera atrocia numeratur.

Nota illud, id nō æstimamus, ergo etiam Ernestus ingenio derelictus, admittit Provincialia peccata.

CCLXXXV.

Sed nego vel unam lineam veracitati inniti; hîc enim Ernestus non arguit, sed tantum calumniatur.

De reformatione conscientiæ & emigratione.

Esto primò esse facinus Nerone indignum compellere subditos ad hæresin aut emigrationem ex patriâ; esto nulla ratione possit

possit colorari aut defendi; sicut nec actio illius, qui subditum domo eiiceret, nisi consentiret in ardcia peccata. Sed quid inde? Hæc dicat Ernestus contra illos, qui similia faciunt, non contra Cæsarem, qui fecit omninò contrarium. Nunquam Ernestus vult jus emigrationis intelligere, centies eodem errore præventus ille vir patientiam Lectorum exercet.

Aliud est reformare animas, & aliud loca.

Secundò esto introducere vel reducere in corda Catholica exercitium hæreseos malum sit, quid inde? non inde sequitur esse malum hæreticos introducere aut reducere in loca Catholica; pejores enim hæreticis judæi sunt, & tamen introducuntur, manutenentur, & sæpe etiam expulsi reducuntur sine peccato. Sed esto reducere hæreticos etiam ad loca crimen sit; quis quæso reducit aut introducit Lutheranos? Illi suis se viribus ingerunt & promovent, & ne omnia loca de novo occupent, in occupatis tranquillè habitare permittuntur. Vana sine viribus ira, Cæsar ait; Ergo siquidem aliter progressus hostilis impediri non potest, quàm si hæreticis loca occupata & usurpata permittantur, quid erit melius, permittere ut sola occupata retineant, aut quod simul occupata teneant & occupanda? Quid si nolint adquiescere, nisi etiam permittantur ipsis aliqua, quæ olim fuerunt Catholica, & belli tempore à nobis legitimè recuperata? Semper idem dilemma urget, ubi est periculum perdendi omnia, permitti poterunt quæ hæretici ceperunt; reddi poterunt, quæ nos recuperavimus; dari aliqua à nobis possessa, ut reliqua salvari possint. Vide numer.

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm Pax Religionis inferat Creatori & veræ Religioni injuriam?

CCLXXXVI.

QUi habet privilegium nihil probandi, multa potest assumere; & quoniam Ernestus hoc se putat privilegio suffultum, omnia tentat, multa dicit, nil probat. Assertivæ statim opinioni subscribit; & quia negativam ego evidentem existimo, illum libenter audiam.

OBIE-

OBIECTIO I.

SIc primo obiicit contra sententiam veram. Religionis Pax cooperatur hæresi, quæ tota ex injuriis & blasphemiis in Deum, Sanctos, veram Ecclesiam, & Sacramenta constat. Cooperari autem injuriis Creatoris & veræ Religionis, est illarum reum se facere, quoniam qui talia agunt digni sunt morte; non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Rom. 1. ℣. 32. vide sect. 3. n. 2. Qualis verò sit hæc cooperatio, dictum est Rat. 1.

Ernestus sect. 4 rat. 2. An-ne Pax hæresi cooperetur?

Respondetur.

Hoc est nugari. Et quidem iam Ernestum caluminari non dico, quia calumina postulat quod crimen falsum innocenti cum veritatis apparentiâ imponatur; quæ enim apertè falsa sunt, calumniæ non sunt, nugæ sunt. Nego igitur Erneste maiorem.

OBIECTIO II.

QUatuor objectiones sequentes æquationē veræ & falsæ Religionis concernunt; & quia putat illas in multis circūstantiis æquatas, sic arguit. [Specialis creatori & Religioni fit iniuria, cùm veræ fidei æquatur hæresis in dignitate illæsæ famæ; detracta enim hæresi infamiâ, Hæreticos & Apostatas in ordinem hominum honestorum recipit, art. 1. 5. 11. quantumvis infames fecerit Christus, Matth. 18. ℣. 17. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*, conspirante iure utroque Canonico & Civili. Fac simili Pace infamiam detrahi Magiæ & Sodomiæ, & excusa scelus, si potes.

CCLXXXVII. An Hæretici Catholicis æquari possint.

De Hæreticorum authoritate honoreque.

Respondeo primò Ernestum non intelligere istum textum, & periculosè explicare. Agit enim Christus de correctione fraternâ, & his verbis præceptum illud salutiferum ponit, quod multi Authores gravissimi ad hæresin non extendi existimant, dum docent, Infideles denunciandos immediatè esse, fraternè corripiendos non esse: quibus è diametro opponitur noster Theologus asserens hîc Christum agere de hæresi, adeoque solam hæresin fraternè corrigendam esse, alias culpas non esse. Porrò hæc Christi verba, *Si te non audierit, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*

CCLXXXVIII. Verba Christi pessimè ab Ernesto explicantur.

An hæretici fraternè debeant corrigi?

Æquivalent his ; *si te corigente non emendaverit sua crimina, Proximus tuus, fuis eum denuntia superioribus; quod si nec isti habuerint vires ut eius duritiem compescant, habeas illum tanquam gentilem aut publicum peccatorem.* Et quidem tempore Christi Romanos & reliquos Gentiles in summo honore fuisse apud Iudæos manifestum est; non ergo dixit Christus, *sit tibi infamis, quales Gentilis & Publicanus sunt,* Gentiles enim dominabantur Palæstinis, & debebant præponi Hebræis in dignitate illæsæ famæ: ergo ursit Christus aliquam circumstantiam communem ethnico & Publicano; & ut puto non aliam, quàm carentiam gratiæ divinæ; ac si dixisset, *sit tibi contumax, superbus, incorrigibilis, & derelictus à Deo sicut ethnicus & publicanus.*

Christi ævo summa fuit Ethicorum authoritas.

CCLXXXIV. Peccata provincialia non maculant honorem politicum.

Respondeo secundò peccata Provincialia nullam infamiam inferre, & hæresin esse peccatum provinciale in Germaniâ. Nec videre cur potius non possit hæreticus credi vir honestus, quàm lascivus, ebrius, & similes. Vide num. 278.

Æqualitas in accidentibus non probat æqualitatem in substantiâ.

Respondeo tertiò non esse bonam consequentiam, [Cæsar in dignitate illæsæ famæ Catholicos & Lutheranos exæquat, ergo Confessionem Romanam & Augustanam exæquat.] est enim similis huic [Hic homo & hic equus in altitudine sunt æquales: Ergo animæ huius hominis & hujus Equi in perfectione substantiali sunt æquales.] quam ob rem semper dicendus est Cæsar Fidem catholicam anteponere hæresi, quia in substantialibus punctis, quæ veritatem doctrinæ concernunt, semper illam præponit, tametsi in accidentalibus aliquibus circumstantiis eam æquare cogatur. Quod iustissimè facit; nullo enim præcepto tenetur in omni loco tempore & circumstantiâ Augustano Romanum anteponere. Quòd autem Pax Religionis in substantialibus evidentissimè postponat hæresin, constat ex ipso Diplomatis contextu. Primus enim character veræ & apostolicæ Religionis est antiquitas, falsæ novitas, & in toto diplomate Lutherana hæresis *Augustana Confeßio* dicitur, quasi Augustæ anno 1530. nata, & nostra Religio non *Romana* solùm, sed & *Vetus* vocatur. Lego enim §. 2. *Imperij status veteri Religioni adhærentes.* §. 4. *A nostrâ Veteri Religione recesserit.*, & iterum, *veteri Religioni ad dictum eligere.*

Augustana Confeßio & nostra Fides nec in antiquitate,

§.7.*sta-*

§. 7. *statibus veteris Religionis, &c.* Secundus character est immutabilitas constantiaque, & in eodem Pacis Religiosæ diplomate non solum de ritibus ab Augustanis introductis, sed etiam de introducendis disceptatur. Vide num 313. ACCEDIT quod non modò in substantialibus præponatur veritas falsitati, sed in plærisque accidentalibus, & in materia honoris & dignitatum præcipuè; quoniam Principes & quicumque alius hæreticus (magnus, parvus) si ad nos convertitur, manet in suâ dignitate & authoritate; at Ecclesiasticus (Episcopus, Abbas, Prælatus, &c.) dignitatem perdere debet si fiat hæreticus; ergo in dignitate & honore, quæ accidentalis circumstantia est, hæreticis vel negante Ernesto præponimur.

Nec in constantiâ & immutabilitate.

Nec in honore personarum æquantur.

OBIECTIO III.

CCLXXXX. De Hæreticorum libertate.

PEccat Pax Religionis æquando Fidem Hæresinque in libertate profitendi, quæ non solùm Principibus, sed omnibus omninò, Laicis & Ecclesiasticis conceditur, art. 1. 5. 11. & eo usque se extendit, ut sicut tota Germania Catholica fuit, ac esse deberet, ita per regulam alti scilicet meri imperii, ad Hæresin tota facilè queat traduci. Vnde apparet Catholicam Religionem in Imperio non esse ampliùs præceptam, sed instar hæresis solùm tolerari, quæ est insignis contumelia iuris divini & veræ fidei, sine quâ impossibile est Deo placere. Heb. 11. ℣. 6. Meritò Cardinalis Hosius, Paulo IV. Pontifici quærenti, quid sentiret de Pace Religionis, respondit: *Iam quod in eâ Constitutione scribitur, Liberum esse cuique debere, integrâ famâ, fideque suâ se ab Ecclesiâ Dei separare*: quid hoc est aliud, quàm sacrilegium schismatis approbare; uti refert Possevinus Epist. ad Stephanum Poloniæ Regem, similem pacem ei dissuadens.

An Religio catholica in imperio præcepta an solummodò sit tolerata?

Cardinalis Hosÿ de Pace Religionis sententiâ.

De eâdem Pace Possevini censura.

Respondeo nihil dici, quod responsione indigeat. Aliquid tamen pondero. Hæc propositio, *Germania per*

CCXCI. *Ius reformationis, si daretur, potius nostra Religioni faveret.*

regulam alti imperij ad hæresin tota facilè queit traduci, falsa est; quia per hanc regulam Moguntinus, Treverensis, & Coloniensis Principatus, & omnes aliæ ditiones Ecclesiasticæ ad hæresin traduci non possunt. Hæc autem propositio est vera, *Germania per regulam alti imperij tota facilè queit ad veterem nostram Religionem reduci.* Nam si ex hac regula sequi deberet, quod subditi sequantur religionem suorum Principum sæcularium (ut opinatur Ernestus) si omnes illi fierent Catholici, Germania tota similiter Catholica fieret.

CCXCII. *Impunitas meta non dari præceptum non probat.*

Hæc propositio, *Catholica Religio in Imperio præcepta non est*, non est vera. Ex impunitate enim non sequitur abesse præceptum; potest enim enim & esse præceptum; potest enim & esse præceptum, & violatores non puniri ob nimiam eorundem potentiam. Quam ob rem, cùm ex Theologorum communi consensu habeamus consuetudinem tunc derogare legi contrariæ, cùm & hanc consuetudinem Legislator scit, tollere potest, & tolerat, tunc enim prudenter creditur dispensavisse: dicendum est præceptum de Fide catholicâ non fuisse Diplomate Pacis sublatum; quoniam ex illo scimus Cæsarem non ignorare esse plurimos Hæreticos in Germaniâ, at scimus etiam illum eos non liberè sed ex necessitate tolerare; caret enim potentiâ ut vel ipsos coerceat, vel à totâ Germaniâ proscribat.

CCXCIII. *Tolerantia malorum est.*

Hæc propositio, *Catholica Religio in Imperio tolerata est.* Si Grammaticam sciam, blasphema est; quoniam mala tolerantur tantummodo, aut si alicubi bona, ab hominibus qui illa iudicant mala. Unde qui nostram fidem tolerari diceret, assereret illã aut malam esse, aut malam à tolerante iudicari. Scio Terentium in Phorm. dixisse, *Vnâ tecum bona malaque tolerabimus.* Et ideo hanc instantiam non urgeo.

CCXCIV. *An Fides debeat præcipi?*

Hæc propositio, *Est contumelia Iuris divini & veræ Fidei, quod Religio Catholica non præcipiatur*, improbabilis est; nec contrariũ ab Ernesto probatur. Quoniam tametsi verum sit quod sine Fide nemo possit placere Deo, non est verum sine Fidei præcepto Deo placere non posse: nec est verum dari divinum præceptum vi cuius sæculares Principes præcipere fidem orthodoxã teneantur; ago de præcepto distincto ab illo generali vi cuius tenentur omnia peccata vitare, & implantare virtutes, pro ut commoditas temporis & loci pertulerit, & eorumdem potentia prævaluerit.

Ad

CCXCV. Defendetur Hosio Cardinali.

Ad Hosii verba venio, nec in illis aliquid, quod non sit in Diplomate Pacis, nec quod urgeri possit reperio. Ante hoc diploma erat liberum cuicumque Catholico etiam Ecclesiastico in Germaniâ ad Lutheranos deficere salvo suo honore, suâ dignitate, suis iuribus; nec poterat cogi Ecclesiasticus ut dignitate cederet, nec sæcularis ut à Catholicis provinciis exularet: iam siquidem omnia hæc mala tolli non potuerunt, sublata sunt aliqua; nam cum vi huius Pacis sæcularis apostata aut esse catholicus aut emigrare cogitur; & Ecclesiasticus simul cogitur relinquere dignitatem & patriam. Dico igitur Hosium non censuisse sed retulisse Pacis articulum, quem verum fatemur, nec Hosius damnat; at quia ille damnatur ab Ernesto, & illo teste à Possevino aliquid subiungendum est.

CCXCVI.

Hæc propositio, *Cæsar si ad tales angustias redigatur, ut debeat tolerare, posse omnes & singulos pro arbitrio ad Augustanam Confessionem transire, & ex ipsis Ecclesiasticos suos Episcopatus, Abbatias, Canonicatus, Parochias secum etiam tranferre; sæculares posse subditos cogere & impellere in hæresin; utrosque ob hæresin nullam contrahere infamiam, neutros posse proscribi; aut si hoc non velit debeat saltem tolerare hæreticos, cum hac limitatione, quòd Ecclesiastici, si deficiant, dignitatem amittant, sæculares non possint subditos compellere in hæresin, omnesque hæreticos ex catholicis ditionibus possint Principes catholici proscribere, si inquam, Cæsar ad tales angustias redactus ut alterum ex his duobus debeat necessariò permittere, & tamen hoc secundum tolerat, nihil aliud facit, quàm sacrilegium schismatis approbare.* Improbabilis est, temeraria est, non solùm Cæsari, sed toti Theologiæ iniuriosa est. Quam ob rem, qui videt hoc ultimum in Germaniâ permitti, ne cæcis oculis Carolum V. aut Ferdinandum I. condemnet, sed eisdem & catholicæ Regioni condoleat, & temporum injuriam, & meram potentiam Lutheranorum incuset.

Minus malum non posse eligi improbabile est.

CCXCVII. *Satisfit Possevino.*

De Possevino nihil dico; potuit enim errasse, eodemque zelo duci, quo Ernestus. Sed quia in dubio præsumendus est prudens, dicam ideò eum Stephano Regi Poloniæ similem pacem dissuasisse, quia non erat Polonia in eodem statu in quo Germaniâ; quoniam ex duobus malis Cæsar cùm utrumque vitare non posset, minimum eligebat, & Polonus peccasset eligendo minus, si vitare utrumque non poterat: & si vitare utrumque non poterat, non eligendo minus peccasset. Et quidem Ego aliis curis distractus discutere nec valeo,

Qui utrumque vitare potest, minus eligere potest.

nec teneor qualis sub illud tempus fuerit Poloniæ status; at video Posseveni sententiâ fuisse floridum & in quo non esset necessarium concedere Acatholicis, quod postulabant.

OBIECTIO IV.

CCXCVIII. *De Hæreticorum defensione.*

PEccat Pax Religionis, cùm in defensione Catholicam & Acatholicam Religionem exæquat; æquè enim se defensurum eos, qui sunt hæreticæ, atque eos qui sunt Catholicæ Confessionis, & eodem utrosque loco habiturum, unà cùm aliis Catholicis promisit Cæsar. art. 17. idemque mandatur iudicibus Cameræ Imperialis, art. 18. *Quâ in re esse gravius erratum, quàm ut vero sermone explicari queat*, respondit eidem Pontifici, idem Cardinalis. Non minùs enim illicitè promittitur defensio & patrocinium hæresi, quam Magiæ, Sodomiæ, aliisque sceleribus.

Censura Hosij.

CCXCIX. *Non defendit hæresim, qui hæreticum.*

Respondeo aliud esse defendere Hæresin, & aliud Hæreticos; nec malum æquali diligentiâ & studio curare ne iniuria fiat hæretico & Catholico. Imò, quia Iudæi majori diligentiâ & protectione indigent, lege severiore in multis locis defenduntur. Quam ob rem, si Cæsar eadem curâ & diligentiâ Iudaismum quâ Catholicismum, ebrietatem quâ sobrietatem, usuram quâ mercaturam, luxuriem quâ castitatem in suis ditionibus defenderet, graviùs erraret, quàm ut vero sermone explicari posset: & in hoc sensu, ut existimo loquutus Cardinalis fuit. Quod si dixerit errorem vel minimum esse, æquâ sinceritate jus dicere Iudæo & Catholico, ebrio & sobrio, usurario & mercatori, lascivo & casto; & nolle Iudæos, usurarios, meretrices, privatâ authoritate vexari, sed velle iuventutis petulantiam coërceri, & eos, qui hujuscemodi homines à Republicâ permissos invadant aut insultent puniri; erravit Cardinalis Hosius, errore tanto, ut vero sermone explicari non possit: omnia enim hæc & maiora Romæ fiunt, nec unquam ostendet dari Romæ tantam Iudæos, Usurarios, Simoniacos, & Meretrices tolerandi vel fortè defendendi necessitatem, quanta fuit respectu Lutheranorum in Germaniâ.

OB-

OBIECTIO V.

PEccat tandem Religionis Pax, æquando Fidem Hæresinque in Perpetuitate, cùm propriam Ecclesiæ Catholicæ prærogativam communem facit Hæresi, perpetuam huic libertatem paciscendo, contra hæresum naturam, quæ ut citò oriuntur, ita facilè occidunt.

CCC. De perpetuitate hæresis.

Sæpe de hac perpetuitate disputavi: omnem humanam esse instabilem non solùm dixi, sed ostendi: nec à me perpetuæ pacis nomine diuturniorem intelligi illis, quæ in mundo perpetuitatis clausulis fuerunt firmatæ; quæ plerumque annum quinquagesimum non excesserunt. Sed & posse dari causum, in quo non solùm mala possint in perpetuum permitti, sed & possit hæc ipsa permissio promitti manifestum est. Videatur num.

Responsio.

Nunc hallucinationem Ernesti examinare libuit, & eius errorem explicare. Putat ille Lutheranam Hæresin à Pace Religionis transsubstantiari, & ex naturâ corruptibili, quæ cito oritur & citò occidit, conversam in incorruptibilem, quâ perpetuò gaudere necessarium sit. Quis non rideat; & quis non videat hoc crimen ab Ernesto supponi, imo Cæsari imponi?

Ernesti error.

Porrò Hæresis caduca est, temporaria est; & sola Ecclesia Romana æterna est. Perpetuitate Cæsar Romanam Ecclesiam non spoliat, nec Confessionem Augustanam investit. Post Pacis Religionis diploma immoralitatem illa suam, suam hæc mortalitatem conservat. Igitur Cæsar non peccavit opere.

Hæreseos caducus & inconstans genius.

An fortè verbo cogitatione, ve? nequaquam. Quoniam duæ sunt notæ Hæreseos, novitas, & inconstantia, & utraque in Pace Religionis exprimitur. Religio nostra *vetus* dicitur, *Romana* dicitur, alia vocatur *Augustana*, ut posteritas sciat Religionem Catholicam esse Apostolicam antiquamque illam, illam, quam evulgarunt olim Romæ Petrus & Paulus, ut sciat Acatholicam à Martino Luthero conceptam, à Philippo Melanthone editam, anno 1530. Augustæ Vindelicorum natam; adeòque hæreticam eam esse vel solâ novitate convinci. Inconstantiam alterum Hæreseos characterem expressit articulo I. sic, *Nullum statum Imperij ---ab istâ Augustanâ con-*

CCCI. Romana Ecclesia antiquitas, & Confessionis Augustana novitas.

Prioris constantia & inconstantia posterioris.

confessione, Fide, Ecclesiasticis ritibus, Ordinationibus ac Ceremoniis, quas (confessionem, Fidem, Ordinationes, ac Ceremonias subintelligo) *vel instituerunt vel in posterum instituturi sunt, ... contemnere debemus.* Declarat igitur Pax Religionis Confessionem, Fidem, Ordinationes, & Ceremonias Augustanas esse institutas ab hominibus, qui habent voluntatem & intentionem aliter instituendi, imò & aliter instituturi sunt. Et quia ex inconstantiâ nascitur occumbendi necessitas, definitur usque ad Religionis compositionem duraturam, quæ probabiliter à Cæsare sperabatur; nec hodie esset difficilis, si rem seriò & secundum Deum non disputare, sed tractare vellemus.

Concordia catholicorum & Hæreticorum possibilis.

CCCII.

Ergo spoliare perpetuitate Fidem, investire Hæresin, crimen fuit, quod nec cogitatione, nec verbo, nec opere, Cæsares perpetrarunt.

Pacis duæ alterationes.

Ex dictis patet Pacem ipsam Religionis, tametsi diceretur perpetua, duplici morbo, & utroque mortali, laborasse; quoniam hæresis caduca est, & hominum voluntas inconstans. Adeoque potuisse excidere ex inconstantiâ rerum manente hæresi, & ex exidio hæreseos manentibus aliis circumstantiis. Primus morbus, mortalis ipsi hæresi, nobis esset salutifer; at posterior & Protestantibus & nobis noxius esset.

QUÆSTIO XIV.

An-ne Pax Religionis sit Perditionis Animarum causa?

CCCIII.

Ernestus sectione 4. ratione 3.

PUtabam Ego Ernestum murorum, non verò morum defensorem, hoc sensu tractavi disputationem primam. At ipse ne videatur mores muris postponere, affimativæ parti adhæret, & rationes congerit, ne in vanum clamare videatur. At Ego hanc Conclusionem

Conclusio.

pono: *Nulla est in tota Pace Religionis clausula, hoc est, permissio, quæ sit Cæsari & Catholicis libera, & tamen sit alicui Homini spiritualis ruinæ causa.* Hanc conclusionem permittendam censui, nam si consulerer, Quid esset à Petro eligendum si aut spoliari tantum, aut spoliari & simul occidi deberet; & responderem debere potius vestes solas, quàm

quàm cum illis etiam vitam perdere: non paterer murmuratorem, qui meum consilium causam esse diceret vestium perdendarum. Vestes dico in hypothesi invicibiliter perdendas fuisse, & meo concilio præstitum ne perderetur etiam vita, quæ aliàs perdi deberet. Ergo de Germaniâ & Imperio pariformiter philosophator. Essent perdendæ centum mille animæ (pono numerum determinatum pro indeterminato: magnum tamen, quoniam multæ perduntur) si non concluderetur Pax illa; decem mille, si concluderetur. Ergo in tali hypothesi, si Cæsar Pace Religionis subscripsit, non est dicendus decem mille animas in vexiore in infernum, sed nonaginta mille liberasse, juxta doctrinam num. 133. quæ est dictorum & dicendorum omnium basis. Sed quia contra nostram conclusionem doctrinamque multa habet, quæ objiciat Ernestus, eum audiamus.

OBIECTIO I.

CCCIV. De iure reformandi.

PAx Religionis art. 1. Principibus qui tum defecerant, potestatem dedit hæresin in suis ditionibus stabiliendi, & Catholicam Religionem funditus evertendi. Adeoque miseros illos populos diabolo in perpetuum veluti oppignoravit, ut reliqui Germani in vera fide manerent. Contra morem divinæ bonitatis & justitiæ, quæ ut alios servet, aliis viam salutis non claudit.

CCXV. Abusus nominum.

Dele nomen **Potestatis**, & **Potentiam** repone, quoniam potestas libertatem significat, qualem se habere judicabat Pilatus, qui dicebat, ***Potestatem habeo demittere te, & potestatem habeo crucifigere te***, Imò dele, ***dedit potentiam***, quoniam nec istam dedit, sed repone, ***permisit***. Sed omissâ vocum castigatione ad rem & argumentum venio, & omnia nego. Hoc enim quod Paci Religionis adfingit Ernestus habebant Principes Hæretici ante Pacem, hoc faciebant, nec erat, qui impedire posset. Et Cæsar, ne miseri illi homines diabolo essent oppignorati, & ne possent ad Confessionem Augustanam compelli, fecit quod emigrare & alibi Catholicæ vivere possent. Quam ob rem Catholicus, qui in Saxoniâ vivere sanctè non permittitur, habet media ad salutem necessaria, videlicet jus emigrandi & transeundi ad Regionem catholicam. Si maluerit esse Lutheranus, quàm egredi, sibi imputet: ipse suæ ruinæ causa est, non Imperator. Si conqueratur, quòd non

Respondetur instantia.

De emigrationis privilegio.

possit & esse catholicus & simul in suâ patriâ manere, non conqueratur contra Cæsarem, sed contra Saxonis & aliorum Protestantium potentiam; quoniam Cæsar utrumque ius servari voluit, noluerunt illi, quos armis compescere non potuit. Quam ob rem quidquid gravaminis hic catholicus sentit, sui Principis malitiæ, & Cæsaris non volũtati sed impotentiæ imputet, & pro iure emigrationis Cæsari gratias agat, qui tanto fuso sangvine illud saltem obtinuit, quando reliqua extorquere non potuit.

CCCVI. Ipsam animarum deformationem aliquando licitè permitti posse.

Præterea in Hypothesi Ernesti, proponatur hic casus. Sit Princeps, qui contendat armis decẽ oppida in falsam religionẽ compellere; Cæsar propugnat oppida & suis viribus & potentiæ deffidens prævidet futurum esse omninò, ut omnia decem pervertantur, ni aliqua concordia intercedat; an non in tali casu posset Cæsar permittere ut ille insolens & insuperabilis Princeps quatuor oppida deformet, modò à deformatione reliquorum abstineat? Et si posset talem contractum inire, non ne & posset illum instrumento publico & debitâ solennitate firmare? Diceretur ne in tali casu Cæsar quatuor oppidorum miseros homines diabolo in perpetuum velut oppignorasse, ut reliquorum incolæ in verâ religione manerent: an potiùs illos contra voluntatem & supra vires, necessitate à Principe liberè inductâ, diabolo traditos; hos à Cæsare in manu potenti & brachio extento propugnatos. Sed hic casus possibilem, non verò materiam existentem concernit; nulli enim Acatholico Principi conceditur potestas in Germaniâ ut subditum invitum ad religionẽ Augustanam compellat.

Ius reformationis in animas nulli Principi concessum est.

OBIECTIO II.

CCCVII. Iterum de Principum potestate: An illis conscientiæ subditorum sint subditæ?

EAdem Pax Principibus sæcularibus, non solùm in posterum quoque concedit potestatem deficiendi, sed subditos etiam reformandi: uti ex art. 1. & 11. colligitur, & Imperii praxis confirmat. Subiacent igitur animæ quoque subditorum arbitrio Principum Germanorum; frustrà clamante Deo: Ezech. 18. ℣. 4. *Ecce omnes animæ meæ sunt.* Tradit enim illas Pax Religionis Principibus eâdem ratione seducendas, quâ Pilatus metu sui periculi perculsus, Christum tradidit Iudæis crucifigendum. v. 16. Aut ergo Pilatum absolve, aut Ioan. 19. hanc Pacẽ damna.

Re-

Respondeo omnia aut ferè negando. *Nego enim primò*, hanc pacem concedere alicui Principi aut subdito licentiam aut potestatem deficiendi; hanc enim sibi arrogarunt ante pacem, tam amplam ut Abbates coniugatos viderimus, nec habuerit Respublica vires, quibus hæc portenta vitaret. Usum facti quem arrogaverat sibi malemorata gens, tollere Cæsar non potuit ex toto, potuit ex parte. Ergo laudandus ipse, laudanda Religionis Pax, quà ex parte Lutheranos coercet. *Nego secundò* stando Pacis Religiosæ Diplomati posse Principes subditorum conscientias reformare; quoniam posito emigrationis beneficio, nullus ad hæresin compellitur involuntarius. *Nego tertiò*, Animas subiacere arbitrio Principum; nemo enim habet ius in hominem, qui iure discedere potest, & discedendo iugum superioris effugere. *Nego quartò* exemplum Pilati esse ad rem: adeoque nec Pilatum absolvo, nec Pacem Religionis damno, sed admiror, cæcitatem Ernesti. Pone Christum esse sub eorum arbitrio qui quoniam vitæ & mortis non erant arbitri, dicebant, *Nobis non licet interficere quemquam*, hoc est, pone illum fore occidendum à Iudæis, nec Pilatum potuisse illorum potentiam coërcere; pone Pilatum saltem coëgisse illos, ut admitterent contractum, vi cuius Christo liceret aut egredi Hierosolymis liber, aut suffigi arbori; pone non mortis sententiam, sed hoc solùm pactum pronuntiasse. Tunc Cæsarem & Pilatum compone, & dicito, *Aut Pilatum absolve, aut hanc Pacem condemna*, & ego datâ hypothesi, nec Pilatum, nec Pacem damnabo. At modò Pacem commendo, & Pilatum condemno; Pacem laudo; quia Cæsar vitat in ipsâ omnia mala quæ potest; quæ enim vitare non potest non tenetur. Arguo Pilatum, quia ne diceretur inimicus Tiberii, sedit pro tribunali, & positivè Christum innocentem contra conscientiam & dictamen damnavit, cum posset & deberet absolvere.

CCCVIII. *Pax deficiendi à fide, aut*

Reformandi subditorum conscientias, nulli potestatem concedit.

Ostenditur non esse ad rem Cæsaris & Pilati comparatio.

OBIECTIO III.

SUbditis imponitur necessitas aut hæresis amplectandæ, aut iniustæ emigrationis, art. II. ut enim emigratio Catholicos est illecebra Apostasiæ, propter amicam carni novi Evangelii libertatem; ita iisdem inter hæreticos est Lex exilii, ipsisque hæreticis remora con-

CCCIX. *De necessitate aut emigrandi aut Augustanam Confessionem habendi.*

conversionis. Innumeri hiscc præsertim annis ad nos transiissent, aut transirent, si illis Catholicum Principem retinere aut sub Acatholico veram fidem in patriâ profiteri liceret. Pauci sunt Abrahami, qui vocante Deo egrediantur de terrâ suâ, & de cognatione suâ, & de domo patris sua Gen. 12. ℣. 1. Multi se in patriâ facilè alunt, qui ægrè foris mendicant. Denique si integra Communitas, oppidum, pagus emigrare vellet, an credimus aut id permissuros, status Protestantes, aut exules locum apud nos reperturos, ubi considere, & victum habere aut quærere queant?

Abrahamum Deus ex patriâ & domo paterna educit.

CCCX.

Tota hæc instantia in ipsum Ernestum pro Catholicâ Religione retorquetur.

Sed Ego maioris claritatis gratiâ, ut huius ratiocinii vis & robur reluceat, secundo calamo totum rescribo. Sic inquam;

Subditis Principum Catholicorum imponitur necessitas aut Fidei Orthodoxæ amplectendæ, aut emigrandi è tota territorio catholico; Art. 11. Ut enim emigratio hæreticis inter hæreticos præbet facilem aditum ut ad nos veniant & veram religionem admittant, propter sinceram antiqui Evangelij veritatem; ita iisdem inter Catholicos est pœna & lex exilii; ipsisque Catholicis remora perversionis. Innumeri enim ex nostris, his præsentibus & libertinis annis à nobis defecissent aut deficerent; si illis aut Acatholicum adquirere Principem, aut sub Catholico falsam in patriâ fidem profiteri liceret. Pauci sunt enim ita stulti ut Calvinus, qui ne cogeretur esse bonus in patriâ, maluit egredi de terrâ suâ, & de cognatione suâ, & de domo patris sui: multi enim se in patriâ facilè alunt, qui ægrè foris medicant. Quod proscriptionis ius communitates magnas strictiori vinculo orthodoxæ Religioni devincit, nam si integra Communitas, oppidum, Pagus, emigrare vellet, an credimus aut id permissuros status Catholicos; aut exules locum apud Protestantes reperturos, ubi considere & victum habere aut quærere queant?

Calvinus totâ vitâ exul & peregrinus.

CCCXI.

Cæsar nemini imponit necessitatem admittendi hæresim aut emigrandi.

Hæc sic ita rescripsi, non quòd alterum discursum approbem, sed ut ostendam illum æquè pro Ernesto ac pro nobis à principio ad finem militare. Sed retorsione omissâ, *Nego primò*, Catholicis Principum hæreticorum subditis imponi à Cæsare necessitatem aut amplectendi hæresin aut emigrandi. Ipsi enim aliunde habebant, quod nec emigrare; nec si manerent, nostram Fidem habere possent. Hæc duo mala patiebantur sub Principum potenti tyrannide; utrumque tollere Cæsar desideravit, sed non potuit; & tandem aut

ut pro viribus & posse periclitantes protegeret, primum abstulit, cùm ius emigrationis extorsit. *Nego secundò*, illam emigrationem esse iniustam. Nàm si tenetur homo iure naturæ omnia necessaria ad salutem æternam ponere, si illa emigratio ad hunc finem necessaria est, iniusta non est, sed potiùs debita. Quòd si dicas non esse in iustos, qui emigrant, sed qui emigrationem præcipiunt; respondeo illam de facto nulli à Cæsare præcipi, sed posse. Illam non præcipi constat ex ipso Diplomatis contextu: illam præcipi à Cæsare posse constat, quia bona est, & ad æternam salutem maximè necessaria. Accedit, quòd Respublica possit quemcumque civem, etiam sanctum & innocentem à tali loco proscribere, quandò præsentia ipsius est publico bono nociva; & ponitur exemplum manifestum in homine peste correpto, qui innocēs est, & tamē separatur à populo; nec hæc separatio est iniusta. Cuius veritatis exemplum etiam manifestum ponitur in Ioanne Vas, natione Lusitano, qui à Rege Emanuele ad Carolum V. confugerat; cuius causâ (tametsi diceretur innocens) cum bellum declarare Rex vellet, noluit profugum Hispania pati, & emigrare illum in aliam regionem coëgit; nec dicta est iniustam emigrationem iniunxisse, quæcumque enim emigratio ob bonum publicum à Republica indicatur, iusta est.

Emigratio iusta.

An emigratio præcepta sit?

An præcipi possit?

OBIECTIO IV.

CCCXII. De facultate apostatandi.

FAcultas apostatandi omnibus tum Laicis tùm Ecclesiasticis permittitur, art. 5. & 11. Utrique enim autoritate Pacis Religionis, impunè transire possunt ad Confessionem Augustanam. O miseros Germanos quibus peccare licet! *Et si peccare nemini licet, sed sermonis errore labimur, id enim licere dicimus, quod cuique conceditur*, ait Cicero 1. Tuscul.

Responsio.

Nego assumptum; non enim in Pace illâ apostasia permittitur; sed quæ tolli non potuit, limitatur. Illud, quod mansit necessitatis fuit; vitari non potuit; illud quod fuit sublatum, Cæsaris diligentiæ & pietati debetur. An-ne ex duobus malis, quorum alterum vel utrumque debuit necessariò permitti, non tenebatur Cæsar potiùs alterum quàm utrumque permittere? Parce Erneste; materia, quàm tractamus, facilis est, nec illam capis.

OBIECTIO V.

CCCXIII.
De Iure publico circa Infamiam, Actionem, Defensionem.

COoperatio directa maximè cernitur in authoritate iuris publici, quâ Pax Religionis hæresi detrahit infamiam; hæreticis dat actionem, & præstat defensionem non minùs quàm Catholicis, quodq; nullâ excusatione colorari potest, compellit subditos etiam renitentes ad hæresim nisi emigrare velint. Si enim maneant, non solum per pacem Religionis veram fidem illis profiteri in patriâ non licebit, verùm etiam compellentur per Principes suos, & sententiam Cæsaris, si renitantur, ut reformationi se subiiciant, ut bonis avitis ac Patriâ, nullâ aliâ quàm veræ Religionis culpâ cedant ac in exilium abeant. Quorum illud sacrilegium, istud iniquuem: prius autem tam apertè impium est, ut licet daremus emigrationem necessitatis obtentu purgari posse, alterum optionis membrum fit inexcusabile, totamque disiunctionem vitiet. Hæc simplicioribus non immeritò ingenerant opinionem utramque Religionem esse veram & approbatam: cum præsertim Catholici quoque Pacem Religionis pro lege fundamentali habeant. Quasi hæresis tolerantia & defensio esse queat fundamentum Catholici Regiminis, vel Imperii Germanici, quod tamdiù invictum fuit, quamdiù integrè Catholicum fuit; ruere cæpit, cùm hæresim recepit.

Respondeo me centies eidem objectioni respondere non velle. De infamiâ hæresi detractâ egi num. de hæreticorum actione num. de defensione num. Et omnia non solùm licita sed & necessaria monstravi. Non posse subditos in hæresin compelli dixi & ostendi num. 169. illud dilemma, *Aut emigrandum, aut apostatandū est*, sæpiùs ab Ernesto repetitum, à nobis clarissimè examinatum est num. Sed quia Ernestus tripudiat, *Quæro primò*, An Imperialis Camera vi Pacis Religionis debeat privatum Catholicum Saxonem, qui nolit patriâ excedere, damnare ut relictâ Religione Catholicâ Protestans fiat? *Quæro secundò*, Utrum emigratio sit pœna, quam debeat ille Saxo incurrere nullâ aliâ quem veræ Religionis culpâ? *Quæro tertiò*, An-ne hæc utriusque Religionis tolerantia possit simplicioribus ingenerare opinionem, utrumque Religionem esse veram & approbatam? *Quæro*

Quæstiones incidentes.

Prima.

Secunda.

Tertia.

quartò, An talis opinio, si daretur, esset nociva, animabus aut bono publico? *Quæro quintò*, An hæresis tolerantia esse possit aut debeat fundamentum politici regiminis *Hæc omnia* involuit Ernestus; & debent breviter explicari.

Quartò.

Quinta.

Respondeo ad primum esse sexcentos casus similes, & omnes expediti iuris. Nam si publica meretrix à Republicâ inscripta & tolerata, sibi soli studeret, nec admitteret quemcumque, sed sibi gratum, posset cogi ut vel lupanari excederet, aut se prostitueret cuicumque. Si usurarius similiter toleratus nollet omnibus mutuas pecunias dare, posset cogi, ut aut non esset usurarius, aut satisfaceret sine personarum discretione cuicumque, qui pignus & usuras offerret. Adeoque non video cur non possit Cæsarea Camera pronuntiare illi aut esse emigrandum aut deficiendum à fide Porro ponere casum in quo Titius velit & Catholicam profiteri religionem & manere in Saxoniâ impossibilis est; quia nec possum credere, velle finem, qui unicum ad illũ medium respuo; nec velle calefieri, qui ex nive egredi nolo. Accedit quòd emigrationis ius nec sit tam rigidum nec tam certum quàm ab Ernesto ponitur, videatur num.

CCCXI. *Meretrix.*

Vsurarius.

Catholicus.

Incertum emigrationis ius.

comessantur, imò & aliquando inebriantur; scandalizant seculares, & hæc se omnia sine Pontificis licentiâ posse asserunt; & si suadeantur aut dare eleemosynam pauperi, aut juvare Rempublicam, Pontificias censuras & excommunicationes non sine injuriâ Sanctæ sedis inclamant. *Secundò* judico omnem Antistitem in victu & amictu modestissimum esse debere; nec in bene administrandi facultate comessandi aut superbibendi facultatem includi. *Tertiò* existimo immobilia non debere vendere; at ex pecuniis suâ parcitate corrasis eleemosynas facere posse; juxta leges verumtamen sui capituli, multa enim ex naturâ rei licita, lege solent municipali limitari. [Et quidem eleemosynæ nomine, etiam illa, quæ indigenti Reipublicæ dantur, intelligenda sunt.]

Hæc volui ad legis naturalis articulos edisserere; video enim summum tributorum abusum; cùm ex unâ parte Principes omnia exhaurire volunt, & ex aliâ Ecclesiastici nihil pro defensione pendere. Via media vera est; & ipsam peragat, qui à virtute declinare non velit.

QVÆSTIO XVI.

An Pacis Religionis Articuli, officio & obligationi Cæsaris, statuumque Catholicorum, & maximè Episcoporum, repugnent?

Ernestus sect. 4. ration. 5.

SUm negantis sententiæ; imò existimo mortaliter peccaturum fuisse Cæsarem, si maluisset perire Germaniam, quàm Paci Religionis subscribere. Ernestus contrà multa obiicit, quæ examinabo.

OBIECTIO I.

CCCXXXVI. Quo Cæsar modo tenea tur Ecclesiam defendere.

EX officio & juramento supremi Advocati Ecclesiæ, Cæsar tenetur Religionem Catholicam, jura item sedis Apostolicæ & Ecclesiæ pro virili defendere & promovere: scelera verò, maximè hære-

sim punire & tollere. Idem incumbit omnibus statibus Catholicis ex jure divino, maximè Episcopis, qui oves Christi pascere, errantes reducere, luposque arcere debent, & peculiari juramento Pontifici & Ecclesiæ obstricti sunt. *Atqui* hæresin perpetuam, absolutam, & inconditionatam impunitatem, paremque cum Religione Catholica defensionem spondere, & vi talis pacti tam directè quàm indirectè cooperari in Creatoris injuriam & perditionem animarum, sunt talia, quæ officio boni Principis, & obligationi Cæsaris ac statuum Catholicorum præcipuè Episcoporum manifestè repugnant; & in Pace Religionis, vel aliâ simili, qualem Protestantes desiderant, aut omnia aut aliqua irrefragabiliter continentur. Pugnat *igitur* ejusmodi Pax cum officio & obligatione Cæsaris, statuum Catholicorum, & maximè Episcoporum.

Cùm hac legis, benignior sis Ernesto; & à potentiâ impotentiam distingue.

CCCXXXVII. *Cæsar hæreticis subigendis impotens.*

Respondeo hîc Ernestum, sicut & sæpe alibi supponere unum Cæsarem, in quem nemo hostis audeat, qui possit universos compescere. Sed contrà est. Quoniam Protestantes potentissimè militant, & impotentiâ nostrâ abusi nos necessitant ut permittamus illa, quæ vitare non possumus. Sumo secundum calamum & Ernesti syllogismum exscribo.

Retorquetur nostri adversarii obiectio.

Ex officio suo, etiam omni juramento sublato; vi juramenti præstiti Imperio, vi juramenti facti Ecclesiæ, Cæsar cùm sit Imperii Caput & supremus Advocatus Ecclesiæ, tenetur Religionem Catholicam, Personas tam Ecclesiasticas quàm sæculares, jura item sedis Apostolicæ & Ecclesiæ pro virili defendere & promovere; nimirùm obligatione personali, non reali, non enim sui patrimonii impensis tenetur conscribere milites & exercitui providere; sed impensis eorum qui defenduntur, servatâ proportione bonorum, & ratione periculi: quoniam hæreditarias provintias æquè ac reliquas debere contribuere, cùm æque defenduntur, certum est. Et quidem Cæsarem non teneri obligatione reali, hoc est, propriis impensis, vel inde evidenter colligitur, quod ad Imperatoriam laurum promoveri possit quicumque Pauper Princeps; qui non haberet vocem passivam in Comitiis, si patrimonio suo deberet Ecclesiam & Imperium defendere. Tenetur etiam scelera, & maximè hæresin, (summum in Deum facinus; summum Reipublicæ excidium ipsa est) pro viribus punire & tollere. Unde, si viribus careat, quibus vel hæresin tollat,

Cæsar tenetur defendere imperium mediis Imperii; & Ecclesiam mediis Ecclesiæ.

Tenetur etiam impedire hæresim.

lat, vel hæreticos puniat, ab omni peccato liber est: quoniam in tali casu, si Ecclesia & Imperium non possint majorem pecuniarum vim suppeditare, & suppeditata defensioni non sufficiat, nemo est in culpâ, sed sola est temporum inclementia incusanda: si autem Ecclesia Imperiumque possint subministrare vires, & nolint, Cæsar in conscientiâ securus poterit Religionis trophæa, Hæreseos triumphos tolerare in conscientiâ securus; & exemplo Philippi IV. cujus num.....meminerim appellare ad tribunal Dei Principes Ecclesiasticos & sæculares, quorum erat subministrare media, quibus Religio & tranquillitas defenderentur. Idem onus omnibus incumbit statibus Catholicis ex jure naturali & divino, maximè Episcopis, qui oves Christi pascere, errantes reducere, lupos arcere debent pro viribus, & peculiari juramento Pontifici & Ecclesiæ obstricti sunt. Quam ob rem Episcopus, qui mallet suas retinere pecunias, quàm Christi oves tranquillè pascere, lapsas in hæresin potenter corripere, lupos heterodoxos constanter repellere, nullo modo obligationi Episcopali satisfaceret. *Atqui* Cæsari non subministrantur media sufficientia, ut hæreticos subigat; sed eorum qui contribuere deberent, tenacitate aut inopiâ cogitur perpetuam absolutam & inconditionatam, (omnia intelligo civiliter humanitùsque) impunitatem in aliquibus Provinciis permittere, ne in toto Imperio orthodoxa Religio subvertatur. Et tametsi hæresin in substantialibus punctis Fidei veræ postponat, in defensione & aliquibus punctis accidentalibus, non hæresin veteri Fidei, sed Hæreticos Catholicis æquare negativè cogitur; Quæ omnia, si ipsi essent libera, & evitabilia, jure diceretur vi talis pacti, tam directè quàm indirectè cooperari in Creatoris injuriam & perditionem animarum, & officio boni Principis, & obligationi Catholici Cæsaris non satisfacere. *Igitur* laudandus est Cæsar, qui ne omnia mala permittat, minora tolerat, hostesque quos armis non potest, contractu retinet ne reliquas regiones hæresi inficiant, ne reliquas Ecclesias invadant. Et cōdolendū est Imperio & Ecclesiæ, si majores Cæsari vires suppeditare

Cæsar deseritur ab omnibus.

tare

tare nequeunt; aut invocandus Deus, si Ecclesiastici secularesque ne desint luxui, media necessaria subministrare nolunt. Quod si solus Galliarum Rex, pacis & belli arbiter (hoc Franci illum titulo insigniunt) Suecis adhærens hæc omnia faciat, timendum, ut ille etiam qui Germanorum culpas expiat, etiam attingat prædefinitam mensuram iniquitatis suæ, & à Deo justo tandem aliquando puniatur.

OBIECTIO II.

CCCXXXVIII De Imperatoris iuramento.

Iurat futurus Imperator super sancta Dei Evangelia, & ut ex Pontificali constat, Deo & B. Petro, se de cætero Protectorem atque defensorem fore Summi Pontificis & S. Romanæ Ecclesiæ, in omnibus necessitatibus & utilitatibus ejus: Custodiendo & conservando possessiones ejus, honores, ac Iura & Ius, quantum divino fultus adiutorio poterit secundum scire & posse suum, rectâ & purâ fide. *Atqui* vi Pacis Religionis jurat, seu quod idem est, in verbo veritatis spondet, se hostes Pontificis & Romanæ Ecclesiæ perpetuò & inconditionatè defensurum non minùs quàm Catholicos; Principibus hæreticis in hæresi introducendâ auxilium futurum; Jurisdictionem Ecclesiasticam erga hæresim, & hæreticos exerceri non passurum, nec ut bona Ecclesiastica mediata, ante Tractatum Passaviensem occupata, unquam repetantur. Quæ, aliaque talia salvo officio & juramento Cæsaris, non posse præstari, agnoscit, quisquis verba intelligit. *Ergo.*

Nota illud poterit, illud scire, illud posse.

CCCXXXIX. Cæsarem impossibilia non iurasse.

Respondeo majorem veram esse, & ex illa constare Cæsarem ad impossibilia non teneri: quoniam si juravit se processurum secundum scire & posse suum, non tenebitur imperium supra scientiam regere, nec supra potentiam defendere. Metiatur igitur Ernestus, non scientiæ vires, quoniam in tot & tantis consiliis summam esse quis neget? Sed potentiæ efficaciam; præmissâ hac ponderatione progrediatur. Venio ad minorem. In illâ urgentur multa, quæ nec facta à Cæsare prout proponuntur; nec prout facta, omitti sine mortiferâ culpâ potuerunt.

runt. Dico igitur pacem perpetuam potuisse iniri cum hæreticis; quoniam hæc perpetuitas humana est, & caduca, nec duratura in multos annos. Si cum Petro mortali & inconstanti paciscaris lege obligaturâ in perpetuum, hæc ipsa perpetuitas habebit finem aut moriente Petro, aut mutante dictamen; quoniam si ab illo invadaris, fidem servare non teneris. Idem de Religionis Pace tenendum est. Perpetua dicitur; & tamen inita est cum hæreticis, quorum fides est lubrica, & caduca fidelitas. Quibus ante annos paucos aut excidet hæresis, aut articulos servandi voluntas. Vide num..... Et dato Pacem verè fuisse perpetuam hanc tutâ conscientiâ in aliquibus casibus feriri potuisse ostendi suprà num..... Defensionem hæreticorum, qualem Imperator promittit, esse licitam ostendi num..... Quem nego Principibus hæreticis in materiâ introducendæ hæreseos auxilium polliceri vel dare; juxta posita num..... Addo Ecclesiasticam jurisdictionem debuisse necessariò suspendi in parte ne periret in toto; & hanc ipsam suspensionem à singulis Prælatis compromissam, non à Cæsare; & sanè hunc posse impedire, ne violetur ab Episcopis jurata suspensionis promissio, certum est: maximè cùm hujusmodi juramenti violatio, non Ecclesiam solùm, sed etiam statum sæcularem proderet. De bonis Ecclesiasticis quæ relinquuntur, aut dantur hæreticis, egi num.

De pace perpetuâ.

De hæreticorum defensione.

De suspensione iurisdictionis Ecclesiasticæ.

OBIECTIO III.

CCCXL.

De obligatione Episcoporum.

EPiscoporum meminerat, & jam eorumdem causam specialiter discutiendam assumit, & sic argumentatur Ernestus. [Episcopi, ait, in consecratione jurant: se jura & authoritatem Romanæ Ecclesiæ & Pontificis, conservare, defendere, promovere velle. Neque futuros in Consilio seu facto, seu tractatu, in quibus contra Pontificem vel Ecclesiam Romanam aliqua sinistra seu præjudicialia machinentur. Hæreticos, Schismaticos, & rebelles pro posse persecuturos & impugnaturos. Possessiones ad mensam suam pertinentes nullo modo alienaturos. *Atqui* consentiendo in Pacem Religionis, vel aliam similem

Permissio hæreticorum cum necessaria est Ecclesiæ conservandæ, contra Ecclesiam non est.

Omnia hæc sunt ab Ernesto somniata.

milem ad contraria se obligant. Qualia sunt, hæresi & hæreticis libertatem perpetuam & inconditionatam concedere; Iura Ecclesiæ & Religionis in bonis Ecclesiasticis & secularibus, quæ hæreticis conceduntur, suffragio suo suspendere, imò abolere. Prætereà, (quod iis Episcopis peculiare est, quorum Diœcesis partem, aut aliqua bona Ecclesiastica ibi sita, hæretici occuparunt) jurisdictionem Episcopalem jure divino sibi competentem, erga errantes oves, & jus erepta repetendi, in perpetuum abdicare. *Denique* se unà cum Cæsare obligare ad hæresis introductionem, & Catholicorum expulsionem, vel seductionem, adjuvandam. Quod multò atrocius est, si Episcopi cogitent, se etiam ad Diœcesanorum & ovium à Deo commissarum depravationem promovendam, easque à se abigendas obligari; si contingat Principem sæcularem, in cujus ditionem Diœcesis porrigitur, à fide deficere, & per Regulam alti scil. meri Imperii, Confessionem Augustanam subditis invitis introducere. Hæc verò in Pace Religionis contineri, evidens est ex dictis, eaque extremè juramento Episcopali adversari fatebitur, quisquis lucem à tenebris, nigrum ab albo dissidere non negat.

Hæc hypothesis injuriosa & calumnosa est, & sæpe ab Ernesto repetitur.

CCCXLI.

Permittendi necessitas.

Sed deberet Ernestus exponere, quid fieri debuerit Episcopis & Episcopatibus, si Pax Religionis non fuisset. Si necessarium erat aut illa mala tantum, aut illa & cum ipsis mala majora pati & tolerare, non potuerunt modò, sed & debuerunt se ad minoris mali permissionem & tolerantiam obligare, ut vel sic mala majora averterent. Sanè Episcopi residere & erga errantes oves jus exercere divino jure tenentur, quando aut residentia aut juris exercitium utilia sunt; non quando perniciosa. Et quidem Anno 1555. tota periret Ecclesia in Germaniâ, si Episcopi noluissent hæreticos Deo judicandos committere, & ab illorum directione abstinere. Cæterùm obligatio illa, quæ ordinatur ad hæreseos in animas introductionem, Catholicorum expulsionem aut seductionem, ficta est: non enim alti imperii Regula illa monstra permittit, quæ Ernestus tot vicibus repetit.

Residentia & cura potest esse nociva.

Alti Imperii regula non intelligitur ab Ernesto.

Videnum.

QUÆ-

QVÆSTIO XVII.

Anne Pax Religionis sit frustratoria, & periculosior ipso bello?

NEgativè respondeo. Licita enim est, & juramentum in materiâ licitâ securitatem parit, & pericula bellorum tollit. At contrà Ernestus, Paci huic non confidit; & contra nos argumentatur.

CCCXLII. Omnia quæ sequuntur in margine sunt huius obiectionis solutio.

OBIECTIO I.

ESse frustratoriam, sive fallacem inde patet, quia ex neutrâ parte obligationem inducit; defectu tùm materiæ, tum potestatis se obligandi. Defectus materiæ apparet ex cooperatione cum hæresi, injuriâ Creatoris & veræ Religionis: violatione denique Officii, quæ in ejusmodi Pace contineri demonstravimus, Rat. 1. 2. 3. 5. cùm enim hæc secundum se sint illicita, nemo ad ea obligari validè potest. Defectum potestatis explicavimus Rat. 4.

Esse eamdem hanc pacem bello periculosiorem persuadet hæreticorum perfidia; à quâ pacem præ se ferente, majus periculum Catholicis inermibus imminere, quàm ab eâdem apertè belligerante armatis, sapientes non negabunt. Argumenta perfidiæ hæc sunt non vana.

Falsò hic asseritur inutilitas fallacia, & obligationis impotentia. Falsò cooperatio, iniuria, violatio. Nihil est in tota Pace illicitum. Hæc pax est periculosa, hoc est, humana; non tamen bello periculosior.

Experientia. Ab initio enim hæresis in Germaniâ, Protestantes nulla unquam Pacta, nec Pacem quidem Religionis, constanter & integrè servaverunt. Detinent contra illam partim ante, partim pòst occupatos viginti ferè Episcopatus, sive Principatus Ecclesiasticos, cum innumeris Monasteriis. Neque de illis restituendis, uti deberent, sed perpetuò retinendis cogitant. Non desunt exempla eorum, qui recens in gratiam recepti, fidem heri datam hodie violant; Ante Pacẽ Religionis non adeò multa occuparunt; posteà cordatiores tantũ rapuerunt, ut nunc duas fere tertias partes Imperii Germanici

Pacta franguntur tandem, sed saltem aliquãdiu servantur. Et quidem, si credimus historiis, non semper à solis hæreticis fracta.

 obri-

obtineant. Utinam Pax nova non tantum illis animi addat, quantum ad reliqua Catholicis eripienda sit satis! Experientiam domesticam confirmat externa totius Orbis Catholici, innumeris hæreticæ perfidiæ exemplis.

Omnis hæresis temporaria est. Siquidem hoc est verum, quâ fronte arguit Cæsarem noster Theologus, quòd hæresim perpetuam fecerit? Vide num. 137. Animorum aversio pacem fore temporaneam persuadet.

Hæresis natura. Est enim ea dissensionis partus & mater. Dissensio autem contrarios affectus inducit, animosque exacerbat. Eâ igitur vigente, præsertim in re gravi, qualis est Religio, Pax stabilis sperari non potest. Consonat illud Christi, Omne regnum in se divisum desolabitur. Luc. 11. vers. 17. Neque credibile est hæreticos, qui fidem Deo debitam irritam faciunt, eam hominibus præstituros.

Hæreticorum sensus. Detestantur enim Religionem Catholicam, ut falsam, Deo & saluti animarum adversam, eâque opinione ad eam opprimendam continuò incitantur. Sic quondam Oratori Cæsareo opponere non dubitarunt, non posse se absque læsione conscientiæ Religiosos vel Catholicorum instituta tolerare, uti refert Hortlederus l. 7. c. 4. nu. 23. ex quibus aliisque scriptis, præcipuè quæ ante tredecim ferè annos titulo veredarii vulgârunt, apparet, quàm malè ad Pacem Religionis, & quamvis aliam cum Catholicis servandam sint animati, si doctrinæ suæ principiis constanter insistant.

CCCXLIII.

Malè hic se excusat Ernestus.

Sed prudentia carnis hanc hæreticorum perfidiam, in patrocinium ejusmodi pacis, & excusandas excusationes in peccatis detorquet. Ajunt Cæsarem & Status Catholicos sic paciscentes, in paxi excusari posse; quòd sciant hæreticos Pacem mox violaturos; ideoque nec ipsis Conditiones illicitæ servandæ sint, nec animum eas servandi habere debeant, juxta Regulam DD. quam colligunt *ex cap. 3. de Iurejur.* & *gloss. ibidem.* & *l. cum proponat. 21. c. de pactis.* quod fidem frangenti, fides servanda non sit.

Hic rem non capit. Hic obludit quoniam, quo-

Atqui mysterium hoc non minus Pseudo-Theologicum, quàm pseudo-politicum manifestè refellitur.

Primò, pactum ex se illicitum non ideò extra culpam est, quia paciscens

paciſcens novit effectum per accidens non ſecuturum; ſic homicidii reus eſt, qui promittit alteri cædem innocentis, etſi prævideat ſe propter abitum illius, vel diligentem cuſtodiam, id effectui dari non poſſe. Etſi ergo conſtet, conditiones illicitas ob alterius partis perfidiam non fore ſervandas, non ideò extra culpam ſunt paciſcentes. Trahit enim pactum malitiam ex objecto per ſe malo, eaque quoad ſubſtantiam completur in voluntate & actu paciſcendi. Eſſe verò ex ſe malum objectum pacis, quam deſiderant Proteſtantes, agnoſcunt Theologi, qui illam *azylum hæreticæ perfidiæ* eam ob cauſam appellant.

...niam pactu Pacis licitum, & fortè obligatorium eſt.

Qui ſic loquuntur, aut Pacem non legerunt, aut non poſſunt Theologi.

Deinde Cæſar & Status Catholici ſeriò paciſcuntur cum hæreticis, intendunt ergo ſe obligare ad ſervandas conditiones Paci inſertas, licet illicitas. Nullum enim pactum eſt ſerium abſque intentione implendi. Antecedens probatur.

Seriò paciſcuntur, quia conditiones ſunt licitæ.

Cæſar & Status Catholici non mentiuntur, nec perfidè agunt ut hæretici; habent ergò in animo quod promittunt. Neque enim dicas illos excuſari à mendacio, quia hæretici mentiuntur; ſicut excuſantur ab obſervatione Pacis, quia hæretici eam violant. Nam violatio pacis per hæreticos, tollit obligationem ejus obſervandæ à Catholicis, juxta Naturam pacti & Reg. 1. c. Mendacium autem hæreticorum non habentium in animo quod promittunt, non tollit falſitatem à verbis Catholicorum, ſi ipſorum quoque mens à verbis diſcordet.

Et ideò volunt eas omninò ſervare.

Hæc de mendacio doctrina non eſt ad rem, ſed vera eſt.

CCCXLIV.

Cæſar & Status Catholici ejuſmodi pacem cum omnibus conditionibus, ſub Imperialis, Regiæ & Principalis dignitatis atteſtatione, & in verbo veritatis ac fidelitatis confirmant. Hæc autem vim juramenti habent: Ergo vel pejerant, quod nemo dicet; vel in animo habent, quod promittunt.

Habent in animo, quod promittunt.

Quid inde.

Catholici pacem promulgatam ejuſque conditiones religioſè implere ſolent, etiam quas illicitas eſſe demonſtravimus. Sic ſi Amniſtia, de quâ agitur, ad reſtituenda Proteſtantibus, quæ Catholici legitimè recuperarunt, extendatur: mox mandata emanabunt, quibus Catholici ejuſmodi bonis

Nulla conditio pacis eſt illicita.

Et obſervantia religio Catholicorum fidelitatem commendat.

bonis & juribus cedere jubeantur, & recusantes Cæsaris autoritate, imò & armis expellantur. (N.B. Imò hoc ipsum apertè in recenti decreto Amnistiæ continetur.) Quod in Pace Pragensi primum decretum, anteà inauditum erat.

Expedit aliquando, ut frangenti fidem, non statim fides frangatur.

Etsi Protestantes fidem frangant, Catholici tamen constanter eam observant: quod perpetuâ experientia à Pace Religionis hucusque confirmat. Nam post eam novis spoliationibus & frequenti rebellione multipliciter licet violatam ab Hæreticis, Catholici semper fidem servarunt. Paciscuntur ergo seriò sive cum intentione implendi, non solùm ex naturâ pacti secundum se, verum etiam contra illius naturam: cum hæreticis fidem frangentibus fidem servant, quam nec dare potuerunt, nec si dare potuissent, ad alterius partis perfidiam, eâ tenerentur.

CCCXLV.

Omnia ista vera sunt ex hypothesi; sed nemo illam admittit.

Denique, si semel concedimus posse pactum ex se illicitum excusari, quod paciscentes sciant, ob perfidiam alterius partis id non fore observandum: licebit quantumvis impias conditiones Pacis causâ sancire, cum quibusvis hostibus, quos constet ob notam perfidiam mox fore fœdifragos. Fas ergo erit Turcis v. g. aut Ethnicis, si pacem aliter non admittant, spondere nos Mahometum vel Idola culturos, & pro Religione Christianâ Alcoranum observaturos; modò constet, Pace mox ab illis violandâ, condiciones tam impias non fore implendas. Vel enim omnes conditiones, illicita sic purgantur; vel nullæ. Hæc scilicet praxis est novæ Theologiæ fœdera cum hæreticis sanciendi, Ecclesiæ Dei, omnibusque retro Orthodoxis Theologis ignota, & præcepto profitendæ fidei adversa. Quam si in praxin recipimus, in eo sumus, ut Pacis studio à fide deficiamus.

RESPONSIO.

CCCXLVI.

Defenditur pacem obligatoriam esse.

HÆc omnia congerit Ernestus. Et nego hanc Pacem esse frustratoriam seu fallacem, & assero ex utrâq; parte obligationem inducere; nullus enim defectus in materiâ, sicut nec in formâ obligandi. Non esse in materiâ defectum constat, quia

quia nulla datur cooperatio cum hæresi; nulla in eâ fit injuria creatori aut veræ religioni; nec violatur Imperatoris officium. Nego etiam pacem hanc esse bello periculosiorem, tametsi esse temporariam concedam & perpetua dicatur; nec aliud exempla probant, quàm hanc pacem aliquando rumpendam. Monasteriorum usurpatio nostram impotentiam arguit, & adauget timorem, ut nisi consulamus Patriæ etiam reliqua perdenda sint. Ratio illa quæ ab experientia desumitur & quæ ab Hæreseos naturâ. Et quæ ab Hæreticorum sensu pacem hanc tametsi dicatur perpetua, esse temporariam demonstrat: ut mirum sit Ernestum eumdem, qui tam citò finiédam præsagit, tam severè alibi ejusdem Pacis perpetuitatem incuset. Sed hoc ipsum animadverit ipse, adeoque conatur satisfacere num. 355. Et dicit, pactum ex se illicitum, non ideò iniri posse, quod paciscens sciat effectũ per accidens non sequuturum; quod admitto; nec urgeor, Pax enim Religionis est pactum licitum: adeoque quidquid Ernestus dicat Cæsar & Status Catholici possunt seriò pacisci; & in meâ hypothesi tenentur. Quam ob rem sine mendacio procedent contra numer. 355. & omnes conditiones & articulos suo poterunt juramento firmare; non obstantibus quæ ab Ernesto dicuntur num. 356. ea, quæ sunt in ultimo parragrapho, non urgent; non enim admittimus hypothesin.

Pactum illicitum etsi effectus sequuturus non sit, iniri non potest.

QUÆSTIO XVIII.

Verùm Pax Religionis sit magis inordinata mendacio?

SUpponit titulus esse extra controversiam positam Catholicam sententiam, quæ docet omnia & singula mendacia, etiam officiosa esse peccata. Et inquirit, An in Pace hac major inordinatio quàm in mendacio reperiatur? Respondeo in Pace nullam omninò inordinationem reperiri: & contra me Ernestus sic arguit.

Omne mendacium peccaminosum est.

OBIE-

OBIECTIO I.

CCCXLVII. Inordinatio mendacii.

Mendacium ex genere ſuo, unâ ſolùm inordinatione laborat, quod aliquis voce ſignificet id, quod non habet in mente, ut ait S. Th. 2.2. *q.* 110. *a.* 3. Ob hunc verborum abuſum, naturali eorum inſtitutioni repugnantem, Ariſtoteles 4. *Ethic. cap.* 7. naturâ magiſtrâ pronunciat, mendacium eſſe per ſe pravum & fugiendum. Omneſque hodie Catholici cum S. Auguſt. lib. contra mendacium, & de mendacio, juxta cap. ſuper eo de uſuris, conſentiunt illud ex genere ſuo eſſe peccatum, neque ullius boni intenti , aut mali vitandi causâ, licere mentiri, contra Caſſianum ui *Collat.* 17. *cap.* 17. 18. 19. 20. uſum mendacii, perinde ut ellebori probat, & alios quoſdam veteres, quorum error licet in levibus mendaciis fuiſſet tolerabilis, ad gravia tamen pernitioſa & blaſphemâ ſalvâ fide extendi non poſſet. Nunc multiplicem pacis, quam deſiderant Proteſtantes inordinationem, cum unicâ mendacii inordinatione componamus.

Añ aliquando mentiri liceat?

In levibus mẽdaciis affirmativam partem iudicat Erneſtus tolerabilem; hæc eſt ut exiſtimo, probabilem.

Pax ejuſmodi repugnat Ordini luminis naturalis; quod non ſolum monſtrat malum non eſſe faciendum, ſed neque eidem cooperandum, ſuffragante Apoſtolo. 1. *Rom. verſ. ult.* Multiplicem autem cooperationem cum hæreſi malorum peſſimo, in tali Pace contineri, demonſtravimus.

Solutio.

Reſpondeo admittendo omnia, quæ contra mendacia dicuntur; nego tamen Pacis & luminis naturalis repugnantiam; & ſub nego aliquam cooperationem ad malum in totâ Pace reperiri. Vide num. 256. & 277.

OBIECTIO II.

CCCXLVIII. De ordine charitatis divinæ.

Violat Ordinem Caritatis divinæ & Religionis non ſolum in utriuſque injuriam hæreſi cooperando, verùm etiam veræ Religioni falſam exæquando, in dignitate illæſæ famæ, libertate eam profitendi, defenſione, perpetuitate, & deniq; juris publici authoritate, ut oſtenſum eſt *Ratione ſecundâ.*

Solutio.

Reſpondeo verbo, violationem charitatis & religionis, nec nõ coope-

cooperationem negando. Vide numer. 256. 277. De exæquatione egi num. de illæsâ famâ numer. 174. 283. de libertate eam profitendi num. 173. de defensione, num. 183. de perpetuitate, num. 170. 183. de Iuris publici authoritate num. 145.

OBIECTIO III.

CCCXLIX. *De charitate erga proximum*

EUertit Ordinem Caritatis proximi; non solùm per hæresin cooperando perditioni animarum, sed etiam velut ex officio, ad hæresin vel iniustam emigrationem, si hæretico Principi placeat, compellendo. Catholicam denique Religionem & Catholicos ex bonis & locis legitimè recuperatis expellendo, ut ostensum est Rat. 3.

Solutio.

Omnia ego nego; Pax enim non cooperatur perditioni animarum; vide num. 256. 277. nec ad hæresin nec ad iniustam emigrationem compellit. Vide num. 176.

OBIECTIO IV.

CCCL. *De ordine iustitiæ.*

EXcedit Ordinem Iustitiæ; usurpando Iurisdictionem non competentem in causas Religionis, Personas Ecclesiasticas, & bona ac iura Ecclesiarum, ut declaravimus Rat. 4.

Solutio.

Respondeo negando omnia iuxta ea, quæ habemus superiùs.

OBIECTIO V.

CCCLI. *De fidelitate.*

PEccat infidelitate; contra officium & obligationem Cæsaris Statuumque Catholicorum, maximè Episcoporum, ut liquet ex Ratione 5.

Solutio.

Immò si contrarium faceret, infidelitate peccaret. Vide quæ diximus num. 43.

OBIECTIO VI.

CCCLII. *De veracitate.*

DEnique Veritatis quoque Ordinẽ perturbat; est enim frustratoria

 sive

ſive fallax: adeoque grande mendacium formale quidem apud intelligentes, materiale apud eos, qui defectum materiæ & poteſtatis ignorant, ut manifeſtum eſt ex Rat. 6.

Erneſti Concluſio.

Sic Erneſtus & ſupponens omnia eſſe iam conceſſa, concludit: [Deus, inquit, unicam leviſſimamque iocoſi vel officioſi mendacii inordinationem, publicis Eccleſiæ aut Reipublicæ neceſſitatibus non condonat; ſed neutram vult mentiendo conſervari; ergo multò minùs alterutram, vel utramque vult conſeruari hâc inordinatiſſimâ Pace, quæ Ordinem Naturæ, Religionis, Caritatis Dei & proximi, Fidelitatis, & ipſius denique Veritatis graviſſimè violat. Neque verò ratio reddi poteſt, cur in ſumâ licet neceſſitate; inordinatum, adeoque peccatum ſit, aliud verbis ſignificare, aliud in mente habere: non ſit eutem inordinatum ſeu peccatum; cooperari malo contra lumen naturæ; veræ Religioni falſam æquare; proximum in ruinam ſpiritualem impellere; uſurpare poteſtatem non competentem; in perpetuum ſpondere, quæ officio repugnant; pactum denique fruſtratorium & fallax inire. Tam enim intrinſecè laborat Pax eiuſmodi, ſextuplici hâc inordinatione, quàm mendacium unâ ſimplici. Aut ergo licitum eſt mentiri Reipublicæ & Religionis causâ, aut illicitum eſt ſic paciſci.

Quomodo ergo eiuſmodi mendacium dicebat Erneſtus tolerabile? Vide num. 359.

Solutio.

Et reſpondeo omnia hæc ab Erneſto Paci Religionis adfingi, illamque eſſe piam & neceſſariam; & ſi ſtat hypotheſis, etiã obligatoriam.

QUÆSTIO XIX.

Vtrùm Pax Religionis ſummorum Pontificum, ſanctorum Patrum teſtimoniis & exemplis damnetur?

CCCLIII. De authoritate & efficaciâ Hiſtoriæ.

SCio inter Theologos, quando doctrinæ ſerveritati ſtudetur, non habere tantum pondus humanæ authoritatis ſuffragia, aut Illuſtrium virorum exempla, quantam deſiderant, qui ſyllogiſmis carent. Et quidem in exemplis ſanctorum, quærendum primò eſt, quid verè fecerint? ſunt enim tot Authorum ſentẽtiæ & æquivocationes, ut pauca ſciri poſſint certò. Nec enim ſufficit, ut ſciatur veritas eſſe virũ notiſſimũ qui ſcribitur; nec qui ſcribit. Non primũ; quia notiſſimus eſt S. Hieronymus, & mirabiliter ſcribitur; non ſecundum, quia notiſſimus eſt S. Gregorius Nazianzenus & mirabi-

Summa difficultas in omni controverſia de facto.

rabi-

rabilia scribit. Uterque doctus, uterque sanctus fuit, sed nec eorum scriptis, nec & eis scriptis, audemus sine temeritate confidere. Bisciola ex Baronio anno 420. [Plura extant de vitâ & gestis S. Hieronymi, sub Virorum quidē clarorum nomine, Eusebii, Cyrilli Ierosolymitani Episcopi, quem ante triginta annos ipsius assertione Hieronymi constat esse defunctum: Augustini; &c. Impudenter & mendaciter conficta, quæ certis demonstrationibus confutantur; ut quod quinque linguarum peritiam, Græcæ, Latinæ, Hebraicæ, Persarum, atque Medorum illi tribuunt, cùm ipse non agnoscat nisi trium: quod virginitatis illi coronam adscribunt, quam ipsemet epist. 50. ad Pamachium se habere negat: quod denique dum laudare volunt, hæreticum faciunt, qui dicant scripsisse contra Sabinianum quemdam hæresiarcham, duas in Christo asserentem voluntates; & alia huiusmodi falsa confingunt. Alia sunt mendacia & ineptiæ in eius vitâ, incerto authore; ut quod Hieronymus fuerit Presbyter Romanus, cùm ipse asserat se Antiochenum; ex quo illud vulgare excluditur, quod fuerit Cardinalis; nam si non Presbyter Romanus, nec Cardinalis. Quod ad Hieronymum transtulit, id quod de Gerasimo Abbate narrat Sophronius, de curato Leone Pratum spirituale cap. 107. Nam quod Hieronymo antiquitas Leonem adpinxit, hieroglyphico significavit, vehementem eius quasi Leonis rugitum in hæreticos. Sunt alia plura in eâ vitâ explodenda, &c.] & anno 361. post mortem Constantii Imperatoris Ariani: postquam multa flagitia huius Imperatoris recensuisset sic ait; [Quæ cùm omnium confessione ita se habuerint, perquam mira videri possunt, quæ de eius laudibus prædicat S. Gregorius Nazianzenus in Oratione ad Iulianum, &c.] Et Mattheus Raderus in suæ Bavariæ Sanctæ Volumine II. pag. 102. [Neq; hoc, quod fere caput est rei, non monendus es, in acta, vitamq; Hildegardis prodigiosa fabularum monstra, qualia nec Phryx olim fabulator cogitavit, nec Phædro in mentem fuerunt, nec in Parnasso Ascræus somniavit, irrepsisse, & à quibusdam in historiam tanquam certa legitimaq; recepta, &c.] Fuit hæc S. Hildegardis, Regina, & Cœnobii Campidonensis Conditrix, alia à meâ Disenbergensi, imò & antiquior, ut potè ad cœlos translata ann. 783. ex quibus omninò constat illustrissimarum personarum historias non semper scribi veraciter; & illustrissimos etiam fuisse homines, & habuisse suas restrictiones menta-

 les,

les, quibus nos in errores inducerent. Quam ob rem non debere me culpari, si vel unam probabilem rationem centuriatis historiis præponendam assererem non & exempla jubere in eos scribi, qui rationē capiunt. *Secundò*, posita veracitate historiæ, quærendum omnino est.

Non omnia, quæ à Patribus sunt facta licent: sed quæ sanctè.

An ipsi bene fecerint? Non enim est bona consequentia [S. Petrus Christum negavit ex mortis timore & animi pusillanimitate: ergo & ego potero tutâ conscientiâ id ipsum facere.] Et sanè negationem Petri fuisse malam & ratio evincit & Pagina sacra testatur. *Tertiò*, An nos illos possimus imitari? Quoniam mutatis circumstantiis universa mutantur. Abrahamus filium sacrificare voluit, tu non potes; illum enim excusat divinum præceptum, quod impositum tibi non est.

Resolutio.

His positis sit nostra CONCLUSIO, *Nihil est in summis Pontificibus, Ecclesiæ Patribus, quod verè & sanctè acciderit, & tamen Pacem Religionis impugnet.*

OBIECIO GENERALIS.

CCCLIV. Ernesti prodromus.

Contra hanc nostram Resolutionem armatus multa congerit & inturbat Ernestus *sect.* 4. *rat.* 8. & antequàm in singulari testimonia & exempla producat, hanc præmittit rationem, quæ citandis viris Illustribus iter aperiat. Sic ait.

[Nullum exemplum, aut suffragium SS. Patrum, veterum DD. Summorumque præcipuè Pontificum pro hâc pace allegari potest, etsi tot hæresium, hæreticorumque procellis Ecclesia Dei iactata fuerit, ut dubium non sit, tale remedium Spiritu S. suggerente sæpius quæsituros fuisse Antistites & Doctores, si legitimum esset. Non solùm autem eo nunquam usi sunt, sed etiam oblatum constantissimè reiecerunt, expeditumque damnarunt. Cuius rei exempla rariora extant, quod eiusmodi pacta legibus divinis tàm manifeste repugnare Veteres crederent, ut nec hæretici quidem ea postulare auderent, de pace autem perpetuâ, absolutâ & inconditionatâ impetrandâ ne quidem somniarent.]

Solutio.

Sic loquitur; sed respondeo universa esse falsa; quoniam ex exemplis innumeris (satis multa produco num.) constat contrarium.

Vide-

Videat igitur prudens Lector, quo Iure Ernestus nullum extare exemplum asserat.

S. AMBROSIVS.

CCCLV. *Non postulabat Valentinianus sed sub capitis pœnâ iubebat, non iam unam Ecclesiam sed omnes cedi Arianis, & earum sacerdotes eiici velocidi. Baronius ann. 387.*

IPsismet Hæreticis in honore est, & ex illo primum sumit argumentum Ernestus: quoniam Valentiniano Imperatori Ecclesiam Mediolani pro Arrianis postulanti, intrepidè id negavit, nullâ periculi sui habitâ ratione. Responsum suum ipse commemorat ep. 33. ad Marcellinam. *Allegatur*, ait, *Imperatori licere omnia; ipsius esse universa. Respondeo, Noli te gravare Imperator; ut putes te in ea, quæ divina sunt, Imperiale aliquod Ius habere.* Sed hanc prolixè Baronius anno Christi 300. Nobis licet sciscitari, si Imperator tempore S. Ambrosii nullum in divino Ius Imperiale habuit, quo posteà anno , quo privilegio, quo Pontifice illud acquisivit?

Ecclesiæ non sunt Imperatoris, sed Dei.

Responsio facillima est: Dico enim *primò* Ecclesias tempore Ambrosii non fuisse imperatoris sed Dei, qui medio suo Vicario illas possidet. Quoniam præter dominii infiniti rationem generalem, in rebus sibi sacratis habet dominium Deus speciali ratione: & in huiusmodi rebus administrandis Dei vicarius & Pontifex. *Secundò*, eodem omninò modo de nostris Cæsaribus ac de antiquis in hac materiâ esse philosophandum. *Tertiò*, Ambrosium Valentiniano male postulanti meritò Ecclesiam negavisse; non enim Imperatoris est Ecclesias prodigere & hæreticis tradere, sed illas potiùs ab hostium iniquâ potestate defendere. Porrò Valentinianus illam Ecclesiam male petiit, si sine necessitate: iustè, si aut illa perdenda solùm erat, aut illa perdenda etiam cum aliis; quoniam in tali hypothesi eiusmodi Ecclesiæ perditio foret necessaria, & libertas in excessu consisteret; quam ob rem illam dando Imperator, non erat dicendus illius traditor (ponitur enim necessariò ad heterodoxorum manus deventura) sed defensor aliarum, quæ perderentur etiam, si prioris Ecclesiæ non fuisset intermissa defensio. Quod si in nostrâ hypothesi illa Imperator negasset, non esset dicendus (nota bene) illius Ecclesiæ defensor (ponitur enim etiam sic necessariò perdenda) sed reliquarum traditor; has enim hæresi traderet vana & intempesta prioris Ecclesiæ defen-

An Deus habeat speciale dominium?

An Valentinianus Ecclesiam male postularit?

ſio; ira enim ſine viribus vana eſt, & nociva ſupra vires tentata defenſio.

CCCVI. Imperator occiſus fuit per fidè à Gallus Ann. 392. ætat. 21. Baronius.

Sed uter defendendus eſt? Vter exceſſiſſe dicendus; Ambroſius Valentinianus-ve? Non eſt cur multa commemorem ad Cæſaris invadentis laudem; puer enim erat, & qui anno 387. decimum quintum ætatis attingebat; cuius nulla eſſe potuit prudentia aut experientia. *Rem enarro.* Iuſtina Auguſta, Ambroſio ſemper quidem infenſa, ut Ariana; Auxentium ab Arianis ad Mediolanenſem Pontificatum promotum, incitat contra Ambroſium. Auxentius (aliàs Mercurinus) Pſeudoepiſcopus Mediolanenſis Auguſtæ favore ſubnixus Ambroſium provocat ad diſputationem de fide ſub Iudicibus Ethnicis & Iudæis; anno 386. & ſequente extorquet ab Imperatore decretum, quod ipſe præſcripſit, quo iuberentur Catholici ſacerdotes eiici Eccleſiis, & qui renuiſſent occidi. Huic edicto Ambroſius tenebatur reſiſtere ſub peccato mortali; non enim Eccleſiæ Deo ſacræ tradi poſſunt hæreſi, ſi poſſint non tradi; & ibi tradendi nulla fuerat neceſſitas, ſed ſola Iuſtinæ Auguſtæ, Arianæ, Imperatoris Matris, & Auxentii ab illâ promoti, impotunitas. Unde, quia ad Ambroſii authoritatem conducit, illius Epiſtolæ, cuius Erneſtus meminit, ſequutus Becanum in Theol. part. 2. cap. 16. quæſt. 4. n. 8. præcipuas periodos exſcribo. Sic ipſe ad Marcellianam ſororem Epiſt. XXXIII. *Poſtridie, quàm accepi tuas literas, quibus ſignificaveras, quod te exagitarent ſomnia tua, moles inquietudinum gravium cæpit moveri. Nec iam Prociana hoc eſt, extramurana Baſilica petebatur, ſed baſilica nova, hoc eſt intra murana, quæ maior eſt. Convenerunt me primò principes virtutum, viri Comites conſiſtoriani ut baſilicam traderem & procurarem ne quid populus turbarum moveret. Reſpondi, quod erat ordinis, templum Dei tradi à ſacerdote non poſſe:* & infra. *Convenior ipſe, à Comitib. & tribunis, ut Baſilicæ fieret matura traditio, dicentibus Imperatorem iure ſuo uti, eo quod in poteſtate eius eſſent omnia. Reſpondi, ſi à me peteret, quod meum eſſet, id eſt fundum meum, argentum meum, me non refragaturum, verum ea, quæ divina, Imperatoriæ poteſtati non eſſe ſubiecta.* Et iterum: *Mandatur denique, trade baſilicam. Reſpondeo, nec mihi fas eſt tradere, nec tibi accipere, Imperator expedit. Domum privati nullo potes iure temerare, Domum Dei exiſtimas auferendam? Allegatur, Imperatori licere omnia, ipſius eſſe univerſa. Reſpondeo: Noli te gravare Imperator, ut putes te in ea, quæ divina ſunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere: Sed ſi vis diutius imperare, eſto Deo ſubditus. Scriptum eſt,*

Vide Ambroſium in Auxentium.

quæ

quæ Dei, Deo: quæ Cæsaris, Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ, publicorũ tibi mœnium, ius commissum est, non sacrorum. Iterum dicitur mandasse: Debeo & ego unam basilicam habere: Respondi: Non tibi licet illam habere. Quid tibi cum adulterâ? adultera est enim quæ non est legitimo Christi conjugio copulata. Et in fine Epistolæ. *Denique etiam speciali expreßione Galligonus Præpositus cubiculi, mandare mihi ausus est: Me vivo, tu contemnis Valentinianum? caput tibi tollo. Respondi. Deus permittat tibi; ut impleas quod minaris. Ego enim patiar, quod Episcopi, tu facies quod spadonis.* Ecce ab Ambrosio postulabatur Ecclesia ut daretur Hæreticis, non ut permittendo minus malum, majus impediretur; sed solum ut satisfieret Augustæ, & voluntati Imperatoris.

Inter Valentinianum & Ferdinandum differentia.

Hinc est Valentiniani & Ferdinandi I. Edicta esse omnino diversa, hic enim in tales temporum angustias redactus, ut vel deberet omnia templa perdere vel aliqua, voluit ab aliquorum defensione abstinere, ne alias extremo discrimini totum exponeret orbem Christianum; & ex duobus malis, simul inevitabilibus, minus permisit, ne succederet utrumque vel majus. At Valentinianus ab Augustâ suâ Parente deceptus, ne illam lachrymantem videret, iussit Ambrosium episcopatu excedere, sacerdotes eiici vel occidi; Auxentium subrigi, sectam Arianam exaltari.

Videat igitur Pius Lector, quo delectu & prudentiâ meus Ernestus historias in suæ opinationis defensionem inducit. Triumpho; video. Sed cur non? est clarissima veritas, quam propugno; & Ernesti sententiæ est clarissima falsitas.

S. IOANNES CHYSOSTOMVS.

CCCLVII. Gaynæ resistit Arcadius jussu S. Chrysostomi.

HIc animo constantissimo præditus Gaynæ sum̃o exercitûs Cæsarei (Sozomeno l.8.c.4. referente) Duci Arriano Ecclesiã Constantinopoli concedere noluit, etsi Arcadius Imp. ob Gaynæ rebellionem, in extremâ Imperii, imò & Religionis necessitate, id impensissimè flagitaret. Respondit verò S. Chrysostomus: *Satius esse Imperio cedere, quàm prodere domum Dei & à Religione deficere.* Hanc historiam adsumit Ernestus; & Chrysostomi interpres importunus & infidelis, illa verba esse dicta pronuntiat, Non quòd Arcadius à fide Catholicâ deficere co-

re cogitaret, sed quòd Religionis quædam violatio S. Chrysostomi iudicio foret, si Imperator quidquam iuris sibi in Ecclesias usurparet.

Solutio.

Omnia confundi ab Ernesto respondeo, & assero me non scribere Historiam Gallicam, cogi tamen illorum meminisse cùm casus propositos urgeo, & semper Gallos interfuisse reperio. Valentinianus Imperator ab Arbogaste Franco per insidias interemptus fuit, & cadaveris infamatus suspendio; anno 392. Paulinus, Ambrosius *in orat. funebr.* Valentin. Epiphan. *de pondere & mens.* Rufinus, Socrates, Sozomenus, Sosimus, Marcellinus, Hieronymus *epist.* 3. & ex ipsis Baronius *anno* 392. Imperii habenas tenuerat cum Valentiniano Theodosius; & post huius obitum, ut ait Besoldus in synopsi historiæ universalis, anno 395. Arcadius ad Orientem Constantinopoli imperitabat, Honorius autem Romæ. Ruffinus, qui natione Gallus erat, ut Imperium ad se transferret, Gothorum Regem clam hortabatur, ut Arcadio bellum faceret, sed intellectâ eius perfidiâ hic Gallus à militibus trucidatus fuit. Socrates *libr.* 6. *cap.* I. Sozomenus 8. *cap.* I. Sosimus *libr.* 5. *Diacon.* 13. *cap.* I. Claudianus *in Rufinum*, Baronius *anno* 395. *num.* 4. Arcadius Eutropium animâ & mente Paganum, tametsi Eunuchum ad consulatum promovet; quod loco prodigii habitum in causâ fuit, ut tota regio deliraret. Principis exemplo totus componitur orbis, & Eutropii exemplo adeo crevit Eunuchorum genus, ut multi barbati eunuchi fierent, & ex ipsis non nulli vi adulatorii vulneris extincti sint. Potentiæ addidit sævitiam Eutropius & totum Orientem pessumdedit. Gaynas ab Eutropio cum aliis lacessitus, odio & invidiâ accensus, Ruffini Galli vestigia premens, militum animos & Barbaros, contra quos missus, sibi devinciens, hostem se declarat potiùs Eutropii & Arcadii quàm Imperii. Sozomenus. 8. *c.* 4. Socrates *libr.* 6. *cap.* 6. Sosimus *libr.* 5. quod vel ex eo constat, quòd postquam totam Asiam exercitu & ductu barbarico depopulaverat, ad conditiones durissimas Imperatorem coëgit, & inter ipsas sibi tradi voluit Eutropium. Demum nondum satiatus tot innocentium sangvine, Asiæ strage, Eutropii Consulis nece, exercitu potens, oratur ut pacis conditiones admittat. Has proponit. I. Aurelianum Consulem, Saturninum Consularem, Ioannem à secretis sibi dedi. II. Arcadium aut im-

Arbogastes Gallus.

Ruffinus Gallus.

Eutropius Eunuchus.

Pacis inter Gaynam & Arcadium Articuli.

imperio cedere, aut Arianam religionem imbuere & templa concedere Arianis. De primâ nemo dubitat, & secundam fuisse positam insinuat Chrysostomus, cum suadet non admissum iri. Prima concessa fuit, negata altera, utpote, quæ non poterat salvâ fide concedi. Sosimus. *libr.5.* Socrates *libr. 6. cap. 6.* Sozomenus *libr. 8. cap. 4.* & Theodoretus *cap.32.* Dediritiorum esse exilio contentus voluit Gaynas: at pace non conclusâ Constantinopolim invadit, sed visis Angelorum copiis, sub militum specie, Urbem custodientibus miraculosè repulsus est. In Thraciam sævit, Chrysostomus ad eum Legatus mittitur; & nescitur quid egerit. Et Gaynas post varios casus & rerum discrimina, cæsis in terrâ, absorptis in mari magnâ militum parte, tandem aliquando interimitur. Sub idem tempus Gallia etiam devastatur. Besoldus in synopsi. Non sine evidente causâ hæc omnia evenerunt; nam quam soluta esset in Galliis magna ex parte Ecclesiastica disciplina, exundantibus ubique vitiis, eædem provintiæ meruerunt tradi Barbaris devastandæ.]

Angeli militare visi.

Gallia vastatio.

Et Quis non videat casus adaptari dissimiles, nec esse cur Suecus aut Gallus cum Gaynâ, & noster Cæsar com poni debeat cum Arcadio? Ait Chrysostomus, *Satius est Imperio cedere, quàm prodere domum Dei & à religione deficere.* Aio & Ego. Et pronuntio nostrum Catholicum Imperatorem, si ad tales redigatur angustias ut debeat aut Imperio exui, aut Augustanam Confessionem admittere, debere cedere Imperio potiùs, quàm ad Lutheranismum declinare.

Non subsistit Cæsarum instituta ab Ernesto collatio.

Instat Ernestus [Non dixit hæc Chrysostomus, quòd Arcadius de defectione deliberaret; sed quod violatio quædam Religionis iudicio Chrysostomi esset, si Imperator quidquam sibi iuris in Ecclesias & sacra arrogaret.] Sed hæc ipsa expositio casum mutat, nec verbis Chrysostomi est consona. Si in historiis liceat mutare significationes vocabulorum & hypotheses, omnia dici, omnia negari poterunt. Ego sto Chrysostomi verbis, quæ allegavit. Et inde Gaynam Arcadio necessitatem imposuisse aut cedendi imperio, aut Arianismum amplexandi, evidenter demonstro.

CCCLVIII. Ernesti instantia proponitur.

Præcluditur.

Nec mirum subditos necessitatem Religionis Principibus supremis imponere. Primò enim Iuliano necessitas fuit, aut non veniendi ad Imperium, aut amplectendi Religionem catholicam. Ex Baronio Bisciola *anno* 361. [Iulianus Augustus ad stabiliendum Imperium

CCCLIX. Subditi solent suis Regibus necessitatem mutandi Religionem imponere.

rium Christianum se simulat. Ammianus *libr.* 21. mox impietatem detegit. Idem *ad Maximum.*] & paginâ sequente. [Iulianus viginti annos Christianam fidem professus, decem ob metum Constantii eam simulat atque hoc primum adeptus Imperium, metu solutus Christianam Religionem solenniter abnegat; unde Apostata dictus.] Et quidem eum ob timorem Constantii nostram habuisse Religionem non credo, nam teste Athanasio de synodis Constantius hæreticus fuit; nec Ariani minus Catholicos quam Ethnicos persequebantur. Hieronymus *Epist.* 3. *ad Heliod.* [Constantius Arianæ fautor hæreseos, dum contra inimicum paratur, & concitus fertur ad pugnam in Mopsi viculo, moriens magno dolore, hosti reliquit Imperiũ.] Simulavit igitur Christianam Religionem Iulianus, quia aliter esse Cæsar non potuit. In Galliâ etiam multa reperiuntur exempla. Recentissima dabo. Henricus IV. Calvinianam Religionem professus summâ potentiâ Catholicas provintias devastavit, cui constanter restitit invincibilis Catholicorum Pietas, indicens aut eum iure omni cedere, aut veram Religionem admittere. Mutavit Religionem ille, ne regnum perderet; varia fuerunt prudentum de hac ipsâ mutatione iudicia; quorum veritas Deo relinquitur examinandá. Huius Regis conversionem sic depingit Mariana; *Henricus Vindomensis, Rex Navarra dictus, & Gallica sceptra petens, Romæ, ut solveretur anathemate more majorum curabat. Agitata ea res diligenter; & quamvis multi contrà sentirent* (opinantes nimirumù ab illo pietatem simulari, dissimulari hæresin) *Pontifex tandem adnuere petitioni constituit. Sic anathemate liberum, regno illum idoneum reddidit, die sept. 17. ann. 1595. Gallica mox urbes libenter se eius imperio subdiderunt.* Et ejus mortem anno 1610. sic describit. *Franciscus Ravaylacus..... Henricum IV. Gallia Regem pugione in viscera adacto Parisiis, pridie Idus Maij peremit. Tenui ex filo mortalis vita pendet, quid in eo* (*Regem intelligo*) *sit secutum clam est.* Dubitat Mariana de Rege, non de homicidâ; quoniam quid in Ravaylaco publicè damnato acciderat, ignorare non potuit. Sententiæ tenor legi poterit apud Bartholomæum Gramondum anno 1610. pag. 7. ubi Ravaylacus se asserit in ecstasin raptum, & vidisse Henricum esse hæreseos fautorem; remque totam Albinio Iesuitæ communicasse, hoc responso, *Pellendis his prastigiis profutura non parum, frigidorum graminum iura, per qua cerebrum quailibrio suo restitui*

An Henricus IV Gallorum Rex fuerit Catholicus Calviniani in Galliâ eum pro Deo tutelari habent, afferente Gramondo libr. Hist. 7. anno 1621. pag. 358.

restitui amat. (& utinam omnes Confessarii sint Albinii, & in somnia revelationesque distinguant; ne illa torics sub harum nomine circumferantur. *cecidit*, ait Gramondus, *Henricus, tetrâ melancholici hominis rabie: causa Parricidij superstitio, quâ Calvinistis favere creditus*, &c. Ergo simulasse Catholicam Religionem visus, eam tenere decreditus.

CCCLX.

Condaeo coronæ promittitur, si hæresim imbuat.

Successit Parenti suo Ludovicus, qui Gallis inter alia debet, quòd ante diem cœperit gubernare. Latebat Mediolani Condæus, & morte Henrici auditâ Gallias advenit. A Bulionio Calviniscanistarum Capite, *Ostendebatur Principi Adolescenti Gallia vacua Rectore, plena discordiis civilibus. Si haberent fautorem ex sangvine regio Principem, Reformatis in Galliâ vires esse, quantum satis eligendo à quo regerentur* (nota singula) *Proponebantur Patris & Avi exempla: hæreditariam esse Condaeorum familia Religionem reformatam, quam si ipse induerit, Reformatos omnes statim in ipsius verba iuraturos, regnique regimen injuriâ ereptum, legitimo Administratori restituendum Majora postmodum sperari posse in tempore, ut juvat audaces fortuna, & mutabilis est.* Sic habet Bartholomæus Gramondus *anno* 1610. *pag.* 11. Ecce Condæum eo favore amicorum ad actum, ut debuerit ius & spem regni intercipiendi deponere, ne à Catholicâ Religione deficeret. Cui certè dixisset in terminis consultus Chrysostomus, *satius esse prætenso imperio cedere, quàm prodere domum Dei & à Religione deficere.*

Item Emanoëli de Portugal Antonij filio.

Ad proximiora venio. Emanoël Antonii à Lusitanis contra Philippum II. ad Regiam Majestatem evecti, & ab Albano victi & expulsi filius, apud Hollandos degens Æmiliam Auriaci Principis sororem duxit, & post difficultates nimias, consensum Mauririi & Statuum confœderatorum congratulationem obtinuit. Favor illi promissus, & seriò de Portugalliâ invadendâ tractatum, & hoc si unum demas, sub amicis articulis. Ille, quem demi volui, postulabat, ut ambitiosus adolescens Religionem orthodoxam relinqueret. Hæret in bivio, & hinc inde concutitur tener animus. Catholici illum persequebantur; alebant Calviniani cultu & impensis debitis. Si retineret veterem religionem, odium statuum à quibus pendebat, uxoris quam amabat, Auriacorum Principum, quibus indigebat incurreret nec à Catholicis vel frustum panis speraret, Hispani

Regis hostis, & à potentissimis amicis Hispani proscriptus. Si fidem antiquam desereret, haberetur ab statibus magnificentiùs, confidentiùs à populo, chariùs à conjuge, & ab amicis familiariùs, Promittebatur recuperatio Regni, & multa alia quæ adlicere etiam seniorem possent. Sed prævaluit ambitioni fides; aitque Emanoël, *Satius esse imperio Lusitanico, quod prætendebat, cedere; quam Domum Lusitanicam, tot sanctis illustratam, ut possit verè dici, Domus Dei, suâ maculare perfidiâ; quàm deficiendo à fide, Calvino prodere Portugalliam, quæ ob puritatem doctrinæ, & sinceritatem Religionis meritò diceretur Dei domus.* Habeo ex ore eiusdem Principis, mei amici optimi dum Bruxellæ essem.

CCCLXI.

Ut igitur clariùs appareat Ernestum truncam historiæ partem producere, & contra Authorum fidem explicare, Theodoretum Cyrensem Episcopum libr. 5. cap. 33. produco, & Becanum, qui eius verba transcripsit Theolog. part. 2. cap. 16. quæst. 4. num. 9. *Gaynas*, ait ille *Scytha, genere & animo, barbaro, insolentiâ planè tyrannicâ per id temporis Dux fuit; Quem quidem non solùm alij omnes, sed etiam Imperator ipse magnopere extimuit. Iste labe aspersus Arianâ, postulabat ab Imperatore unum ex sacris templis sibi dari: Imperator autem respondit, se de ea re capturum consilium, & unum ei curaturum promittit. Itaque divino illo Ioanne accersito, ei postulatum Gaynæ exponit: Commemorat eius potentiam: moliri tyrannidem indicat. Orat, ut templo donato, furentem eius animum placet. Cui nobilis ille vir: Ne inquit, istud tibi pollicear, neque sanctum dare canibus mandes. Nam nunquam equidem patiar, ut qui Deum verum sanctè & augustè laudibus, & hymnis celebrant, expellantur è sacro templo, idemque tribuatur his, qui contra eum loquuntur blasphemias. Atque ne barbarum illum omnino metuas, Imperator, sed me, & illum in unum locum convoca, tuque silentio, utriusque nostrum sermoni ausculta. Ego certè me hominis linguam refrenaturum spero, persuasurumque, ne postulet, quod ei concedi non debeat. Quibus auditis, Imperator vehementer lætatur, & postridie eius diei utrumque accersit. Gaynas quidem promissum exposcit, magnus autem Ioannes respondet ex adverso: Non licere Imperatori qui pietatem colere instituat, aliquid contra res sacras temerè moliri. Cui quidem dicenti, Templum sibi dare oportere, respondet Ioannes, Templum sacrum apertum esse, neminemque eum prohibere, quo minus in eo, si libeat, Deo preces fundat. Tum*

Ecce Imperatoris personalem metum, quem asserui.

Chrysostomus sanctitate & eloquentia Gaynam aggreditur.

Gaynas:

Gaynas. At ego, inquit alterius, secta sum, & cum hominib. ejus secta unum sanctũ templum habere postulo. Atqui istud quidem non immerito postulo, quippe, qui multa bellica certamina pro Romanis confecerim, At præmia inquit Ioannes, tibi propterea tributa, labores tuos longè superant. Nam dux es, honore consulari donatus. Quin etiam debes tecum considerare, quis fueris olim, & quis jam sis: Quæ etiam præterita sua inopia, & in qua jam abundantia vitam degas, quibus quoque vestibus prius indutus esses, quam Istrum traieceris, & quibus jam opertus. Complectere igitur animo, quam pauci sunt labores, & quam ampla præmia: atque noli erga eos, qui tibi honorem hunc detulerunt ingratus esse. Hac ratione habita, Ioannes celebris totius orbis terrarum Doctor, os obturavit Gaynæ, atque adeò obmutescere coëgit. Hac ergo historia positâ, *dico Primò*, Imperatorem, si vel debeat Imperium vitamque perdere aut esse Lutheranus, debere mori potiùs, aut Imperio cedere, quàm falsam religionem amplecti. *Dico secundò*, non posse vel unam Ecclesiam relinquere Hæreticis, si Ernestus tam efficax sit, qui possit verbis satisfacere, Protestantium refrænare linguam, obturare ora, & ad meliorem illos mentem reducere. Cur enim daret templa Gaynæ Imperator, Chrysostomi linguâ & pietate defensus? *Dico tertiò* Arcadium, si audiisset Chrysostomum dicentem, *Ergo te liberare non valeo; necessarium est ut vel unum templum vel centena tradantur Arrianis, quorum hæresin Dux Gayna promovet,* debuisse sub mortali unum potiùs templum, quàm multa perdere. At Ferdinandus id audit ab Ernesto: Ergo.

Quem armis Arcadius vincere non posset, verbo vicit.

Sed quia Gaynas, tametsi repressus à Chrysostomo, iterum erupit, & Ecclesiam opprimere conatus est, eumdem Theodoretum audiamus. *Temporis intervallo interjecto, ait, tyrannidem, quam molitus fuerat, manifestè patefecit: atque collecto in Thraciâ exercitu prædas agere & multa loca vastare cœpit, quibus rebus cognitis, omnes, tum Magistratus, tum subjecti, metu exhorrescere. Atque nemo erat, qui vel cum eo in acie confligere animum induxerit, vel legationem apud eum obire se tutò posse existimarit. Nam barbarum eius & crudelem animum, quisque suspectum habuit. Tum ab aliis timidis cunctis ad hunc fortissimum virum deventum est; qui nihil moratus, neque prioris refragationis, neque nata ex illa discordiæ memoriam, animo prompto hanc legationem in Thracia obiit. Quare indicata Gayna, recordatus ille, qua libertate quondam pietatem defendisset, occurrit Ioannes*

Irruptio altera Gaynæ.

 longo

Et iterum à Chrysostomo repressa. Hypothesis pro doctrinâ contrariâ.

longo sane itinere, & manum ipsius applicuit oculis suis. Qui etiam liberos suos, sanctis illius genibus ad movit. Ita solet virtus percellere & pudore suffundere etiam immitissimos. Pono igitur generales hostilium armorum esse Gaynas, & Ernestum Chrysostomum; illos ab hoc frænari, confundi ad bonam mentem reduci, & cogi ne templa petant aut bona ecclesiastica retineant: quod si dictamen mutent, Ernestum posse vel verbo illos ad suos pedes provolvere, & convertere; & hac hypothesi stante ne unam quidem Lutheranis Ecclesiam posse concedi affirmo.

EPISOEPI AFRICANI.

CCCLXII. Constantia & liberalitas Episcoporum Africa.

TRanseamus cum Ernesto ad Africam, & quid ibi observaverit ille, subaudiamus. [Hunericus, ait noster Theologus, convocatis universæ Africæ & vicinarum insularum Episcopis, ablatas Ecclesias se redditurum promisit; si iurarent, se desiderare, ut filius Hunericus ei in regno succedat, & ad Regiones transmarinas Epistolas non directuros: sed præter aliquot simpliciores, qui verebantur ne populus Dei imposterum diceret, quòd vitio sacerdotum non fuerint Ecclesiæ restitutæ, reliqui sanctitate, doctrinâ & martirio deinde illustres, teste Victore Vticensi *lib 3. de persecut. VVandalorum*, sentientes dolum fraudis iurare noluerunt: & si eo iuramento Religionem, Ecclesias, Exilium, mortem famamque Episcoporum redimi non solum potuisse, verum etiam debuisse hesterni hodiernique Theologi & Politici iudicabant.

Ernestus nostram doctrinam probat, suam non intelligit. Clerici in exilium adacti 4966.

Hanc instantiam Ernesti admirabandus lego; ipsa enim pro nobis militat contra illum. Invaserat Hunericus Ecclesias; multasne? [Dira & immanis persecutio, ait Bisciola ex Victore *libr. 2.* Baronio *anno* 483. ab Hunerico Wandalorum Rege in Africâ movetur; in quâ præter alias immanitates, quater mille nongentos sexaginta sex Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & alios Ecclesiæ Clericos, in exilium eremi raptari iussit. Sed demum expertus est divinam vindictam, & ebullientibus toto corpore vermibus extinctus est; anno regn. m. 7. 10. hoc est Christi 484. victor citatus.

Gre-

Gregorius Turonensis hist. 2. cap. 3. Successit Gundabundus (al. Godagisus) fratris Gentonis (al. Cenzonis) filius, qui duodecim annis regnavit, & Isidoro in Historia Wandalorum teste pacem Ecclesiæ statim donavit,& Catholicos ab exilio protinus revocavit. [Scio Procopium variare, sed Isidorum sequor]

His prælibatis relucet clarè status Catholicorum sub Hunerico Rege. Habebat ille Hunericum filium sibi similem, nepotem ex fratre Gundabundum, comem, benevolum, & amantem Catholicos. Et præsagiens Rex sibi mortuo nepotem successurum, non filium, Pontifices Africanos convocat, illosque miseros ad hoc dilemma adigit, nimirùm. *Aut vobis in exilio moriendum; & omnes Ecclesiæ amittendæ; aut iurandum ut meum successorem habeam meum filium.* At maluerunt illi carere ecclesiis omnibus, remitti in exilium exercitio religionis orthodoxæ interdici. Ergo licet hæreticis Ecclesias relinquere, cùm nociva est Religioni Catholicæ earum recuperaratio. Et in Hunerici exemplo patet clarè; quoniam eius filius ex fratre nepos putabatur Catholicus futurus aut saltem Catholicorum fautor.

Casus proponitur.

Ecclesiæ relinquuntur hæreticis.

Hinc est, quod si horum Pontificum premamus vestigia, debemus potiùs omnes Ecclesias perdere, & non solum emigrationem sed exilium omnium Ecclesiasticorum permittere, quàm maiori discrimini exponere religionem Catholicam. Et specialius discerendo. Præstare multas Ecclesias (episcopales, Monachales) Hæreticis relinquere, quàm Palatinatum restituere, plus enim Religioni Catholicæ nocere poterit in Imperio hæretici Electoris authoritas, quàm multarum divitiarum carentia.

An debeat Palatinus restitui?

ALII PATRES.

CCCLXIII. Ernesti inductio.

His exemplis confidens, ac si aliquid dixisset meus Ernestus progreditur, & quasi inductioné præmiserit, sic ait, [De aliis sanctis Patribus & Doctoribus, qui ante Pacem Religionis scripserunt, id universim dixisse sufficiat; nullius Orthodoxi Scriptoris Theologi suffragium pro tali Pace posse produci. Cuius præcipuos articulos decem ferè annis antequam Pax Religionis conderetur, confutavit libris sex aduersus hæreticos, Conradus Brunus, Ottonis Cardinalis Truchsesij, & Episcopi Augustani Cancellarius,

Dissolutio.

Omnia nego. Et constanter affirmo, ne unum quidem Patrem dari posse, qui Ernesti opinionem tenuerit. Prudentes omnes sunt; nec qui velint supra vires hominem obligare, adeoque in hoc universi conveniunt, *Quod ex duob. malis, si necessariò debeat minus evenire vel majus (alterum vel utrumque) non solùm posse, sed & debere permitti minus, ne utrumque aut majus permittatur.* Hæc ita clara sunt, ut, ut condoleam calamo iusso satisfacere argumentis tam levibus.

Conclusio omnibus Patribus & Ecclesiæ Doctoribus communis.

SUMMI PONTIFICES.

CCCLIV Pontifices in rebus quæ fidem non tangunt, tam operando, quàm loquendo, possunt errare.

QUI Sanctorum & Doctissimorum virorum authoritates non reperiit, quæ urgerent, ad Pontifices venit; & ego in genere sic arguo. [Summorum Pontificũ exempla dictaque, quæ Ernestus congerit, vel pro nostrâ sententiâ militant vel contrà. Si favent non est cur contra nos citentur, quia & nos Decalogi lege contenti, an ipsis consonent non investigamus. Quodsi non faveant (favent tamen nostræ decisioni universa) esset omninò mirum, si vir Theologus ideò negandum à nobis Christum diceret, quòd fuerit à Petro primo post Christum Ecclesiæ Romanæ Pontifice etiam negatum. Exempla ad Theologiæ limam examinanda sunt; & siquis Pontifex, quod non puto, contra rationem & veritatem egit, erravit.] Placet Bartholomæi Gramondi in sacro Christianissimi Regis Consistorio senatoris, & in Parlamento Tolosano Præsidis, sinceritas & dicendi libertas, apud quem summus Pontifex in materiâ, quæ non sit secundum leges à Christo præscriptas articulos fidei pronuntiare, non est Angelus, sed purus Homo, qui suas passiones habeat ad agonem relictas, quas superare debeat, à quibus & superari soleat. Sic eloquebantur anno 1615. tertii Ordinis Legati ad Clerum; qui inter alia dicebant, [summis Pontificibus inesse Hominum affectus, neque hodie supra nimbum positum adeò fastigium Apostolicæ Sedis, ut velut in Olympi cacumine maneant indeleta, post annos mille sexcentos, quæ Christus

Gramondus anno 165. pag. 66.

ſtus in Petrâ exaravit; æquanimitas, ovium cura ſolers & innocens, iudicia procul à privatis rebus æqua in omnes. Poſſe ſpectari Principum geſta ab infensâ Româ, velut cùm medio vitri colore inſpicitur cœlum, fuluum, albeſcens, nigrum, aut viride, prout vitro infuſus color. Sic poſſe illudi Romano Pontifici, pervulgatos in majus Regum errores, aut explicatâ in deterius vitâ ipſorum. Et ſummis Pontificibus ſuos eſſe aulicos, qui ſummam Rei Romanæ tenent; collata Regum iura in arbitrium privati hominis, quandoque ſuſpecti. Ipſos Pontifices Romanos ut homines ſunt, poſſe nullâ in apertũ causâ, per naturæ impetum gratiâ impelli, aut odio, in hoc vel illud regnum, in hunc vel illum Regem: quâ propenſione, ſoluto ſtateræ æquilibrio, plerumq; minas intentabit Principibus, aut fulmina vibrabit, parum omnicâ manu: quæ ſi iniuriâ fient, ut ferunt perſæpè rerum humanarum vices, quid juris erit? Summos Pontifices ſæpè hominum induiſſe fragilia, & in ipſos Reges peccaſſe, privatæ rei ſtudio, docemur pluribus exemplis; præcipuè Alexandri III. huic cùm eſſet quod de Imperatore Friderico quereretur, habuit ſupplicem & iras humiliter deprecantem: inſultaſſe ferunt jacenti ad pedes, ſuperimpoſito per hæc verba in jacentis caput veſtigio; *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Zelum pro Domo Dei ob temeratam ab Imperatore Petri dignitatem dixiſſes; *Niſi ſibi, & Petro debitum obſequium reſpondiſſet.* Cùm privatas res miſcuit rebus Petri per hæc verba, *Et mihi & Petro,* prodidit ſe hominem eſſe, naturâ in pravos affectus pronum; quem iracundiæ calorem, aut arrogantiæ Lubricum, in ſucceſſorum aliquem tranſmitti poſſe nemo negaverit. In iis quæ de fide non ſunt, poſſe quandoque decipi ſummos Pontifices.] Sic Ordinis Tertii Legati.

Lectori ut hanc Gramon tii hiſtoriam editam Toloſa apud Arnaldum Colomerium anno 1643. ſibi compararet: continet eam Annales quæſtionibus theologicis, iuridicis, & politicis dilucidatos. Nec mirandum, quod partialis ſit, unuſquiſque enim tenetur amare ſuam patriam.

Mirabile Alexandri exemplum.

Et quidem illa Alexandri III. in Imperatorem Fridericum vehementia, neſcio an immortali Deo, aut ulli mortali placuerit; ſcio tamen Urbanum V. cui hæc actio ſemel ab aliquo Magno Monarchâ objecta, illam hiſtoriam eſſe verâ negaſſe; unde colligo prudentis & eruditi ſenis iudicio, facilius creditũ mentiri millenos ſcriptores (Catholicos, Heterodoxos) quàm inſolitam hanc arrogantiam bonam eſſe. Et quidem hoc exemplum tam ægrè tuliſſe hunc Pôtificem, ut ſe contrarium omnino monſtraturum promiſerit, ſufferit-

An verum illud ſit.

Negat Vrbanus VIII.

Dubitat Baronius.

Affirmat Hieronymus Bardi, & omnes Authores communiter.

quę à viris etiam doctissimis examinari, narravit mihi D. Francisci de Mello, Marchionis de Tordelaguna Confessarius, sub illud tempus de ejusmodi rebus consulto: at apologiam pro Alexandro III. nondum vidimus Besoldus in synopsi Historiæ universalis sic inquit [Hæc quidem à Baronio anno Christi 1177. in dubium vocantur, sed prolixo Italico scripto defenduntur da Gyrolamo Bardi, *Della vittoria navale, ottenuta della Republica Venetiana contra Othone figliolo di Federigo primo Imperatore.*] Rem in medio relinquo: pono tamen aliud esse dubitare, & aliud negare: ratio enim ad negandum requiritur, & ad dubitandum mera nonnunquam sufficit ignorantia.

S. IOANNES PAPA I.

CCCLXV. Summus Pontifex erga Imperatorem Catholicum Ariani Regis Legatum agit.

ANno à Christo nato DXXVI. Ioannes, huius nominis Primus, qui posteà Martyrii laureâ coronatus fuit à Theodorico Rege Italiæ Arriano, Constantinopolim ad Iustinum Imp. ire compulsus cum eo inter alia mandato: *Vt Imperatorem permoveret ad reddendas Arrianis Ecclesias in partibus Orientis, id nisi faceret, se totam Italiam gladio perditurum.* Hanc historiam contra nostram doctrinam Ernestus trahit: asseritque impiis mandatis non solum non paruisse Pontificem, verùm etiam suffragante sibi Iustino, piissimo Imperatore, quascumque illis in partibus Arianorum Ecclesias reperire potuit, Catholicas consecravisse. Ita ipsum testari *in Epist. ad Episcopos Italiæ*, quâ post reditum in carcerem à Theodorico conjectus, eosdem hortatus est, ne periculi, aut necessitatis causâ Tyranno cederent. *Et quanquam*, ait, *prædictus Theodoricus Rex, eorum* (Arrianorum) *peste tactus intrinsecùs, nos & omnem Regionem perdere, & gladio & igne consumere minetur, nolite tamen propterea deficere, sed viriliter in agro dominico elaborare studete. Et juxta veritatis vocem Nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c.* Quibus positis progreditur Ernestus, & pronuntiat hæc verba in Pacis, quam hodie desiderant Protestantes, condemnationem, paulò post gloriosum Martyrem suo sanguine obsignasse: ut ruborem inde mutuentur, qui adversus authoritatem & rationem frontem perfricuerunt. [De S. Ioanne prolixè Baronius. *anno Christi 525. & 523.*

De

CCCLXVI.

Contra Ioannis legationem objectio.

De Ioanne egi num. 224. & ex ibi dictis colligo primò, certum esse eum Constantinopolim missum. Michaël Ritius Neapolitanus ex fide veterum in summorũ Pontificum Catalogo. [Anno 523. Ioannes I. natione Hetruscus, legatione functus est Constantinopolim ad Iustinum Imperatorem, coactus à Theodorico Gothorum Rege Arianâ hæresi infecto.] Ergo sic discurrendum est. Vel legatio erat iusta vel non. Si iusta, non debet Ioannes allegari: si iniusta, debuit mori priusquam adquiesceret; & si mori debuit, & tamen finxit se facturum quod iniustum erat, ne occideretur, timori cessit & peccavit,

Verba non semper significant, quantum sonant.

At ego generosiùs de Ioanne sensi, & sentio. Audiit Rex Theodoricus Religionem suam proscriptam fuisse à Græciâ; iræ furore accenditur, & totam Italiam Catholicam extinguere gladio minatur. Sed furibundi verba minus significant quàm sonant, Sedandus erat Regis turbatus animus, & temporis moræ interponendæ. Experientia enim docet iræ & fluviorum inundationes repentinas non durare. Ioannes pollicitus Ariano Regi se procuraturum apud Cæsarem ne exponeret periculo Italiam, potuit probabilem sententiam fortè sequi, & aliquâ restrictione (si & ipsæ tunc notæ) probabiliter excusari à mendacio. Si existens Constantinopoli paucos in periculo viderit, non potuit, Ecclesias Arianis procurare; quoniam maioris facienda est Ecclesiarum libera frequentatio vitâ multorum hominum. Et ut ex Anastasio Bibliothecario constat; non in totam Italiam Theodoricus sed, tantùm in nobilissimos senatores extrinxit gladium.

Defensio Ioannis.

De restrictionibus mentalibus.

Hypothesis nostro stati respondens.

Quid si totam Italiam esset demoliturus? Hic est casus diversus ab historiâ Ioannis I. & similis nostræ tragœdiæ. Respondeo igitur aut Iustinum fuisse Principem solius Græciæ, aut Græciæ simul & Italiæ. Si Græciæ solus; non tenebatur Italos cum tantâ iacturâ protegere; non enim tenetur Hispanus Calvinistas Madriti permittere, ne ab ipsis vexetur Rex Galliæ. Quod si Græcia & Italia, Oriens & Occidens erat uuum corpus mysticum, examinandum erat quantum violentia prævaleret, & si Theodoricus vinci posset, audiri non posset. Quod si censeretur invincibilis, in prudentiæ libram omnia ponenda erant, & ex duobus malis minus recognoscendum, maius vitandum. Et si fortè peius fuisset Arianos in Oriente permittere, quàm non defendere in Occidente Catholicos, id ipsum debebat præstari.

PAVLVS III.

CCCLXVII. Carolum V. reprehendit Paulus III.

FUit Vir Prudentissimus, & tamen ut affirmat Ernestus, Carolum V. graviter reprehendit, ob eosdem ferè articulos, qui posteà Paci Religionis inserti sunt, ad tempus hæreticis concessos in Comitiis Spirensibus anno Christi 1544. Qui idem jam ante, cum ex sententiâ statuum in Comitiis Ratisponensibus anno Chr. 1541. quorundam articulorum ab Ecclesiâ dissentientium quod per Oecumenicum Concilium declarentur, tolerantia ab eo peteretur, id facere recusavit: quod neque Christiana, & Catholica veritas, neque sua & Apostolicæ Sedis dignitas id permitterent, ut ait in [Bullâ indictionis Concilii Tridentini.] sic ille.

Militem & pecunias contra heterodoxos transmittit.

Et quidem Ego libentissimè huius Optimi Pontificis mentionem audio, lego enim illum non verbis solum sed pecuniis etiam & milite Cæsarem adiuvisse. Henricus Spondanus anno 1542. num. 2. describit Cæsarianos exercitus obiectos Turco Ungariam occupanti, & ait. [In quibus etiam fuerunt tria millia delectorum Peditum, à Paulo Pontifice ex Italiâ missorũ, duce Alexandro Vitellio, qui pugnacis & egregii Ducis famam virtute & præclarè rebus gestis iam anteà promeritus.] & anno 1546. num. 18. [Ad Idus autem Augusti advenerunt Pontificiæ copiæ, decem vel ut quidam habent duodecim millium peditum equitum levis armaturæ quingentorum, quibus præfecerat Pontifex Octavium Farnesium Camerini Ducem nepotem suum, ipsiusque Cæsaris generum.] Quæ addidi, ut esset objectio efficacior. Pontifex enim, qui tam liberaliter copias militares transmittit, non est dicendus derelinquere bona Ecclesiastica.

CCCLXVIII. Pontifex Imperator & Christianissimus Rex Niceæ conveniunt.

Examinabo omnia, quæ non solùm ab Ernesto, sed ab aliis etiam de Paulo III. & Carolo V. dicuntur. Spondanus igitur postquam Româ Pontificem, ex Hipaniâ Imperatorem navibus curribus Christianissimum ex Galliâ Nicæam invexerat, sic inquit. [Uterque ineunte Iunio separatim Pontificem veneratus est. Nunquam tamen ipse impetrare potuit, ut illi in mutuum conspectum & colloquium simul devenirent. Quod à plurimis ut Iovius *libr.* 37. & Onuphrius *in Paul. III.*) referunt, non tam mutuo ipsorum odio, quàm

quàm invidiæ in Pontificem parùm clementer attribuerunt, quasi existimarent, eum nequaquam studio Religionis aut Reipublicæ, sed privatorum spe commodorum, ipsorum colloquium expetiisse: quippe qui, Margarethæ filiæ nothæ Cæsaris, quæ Alexandri Medicis uxor fuerat, nuptias iam sibi à Cæsare oblatas pro Nepote Octavio (quod & factum est) firmare; & Victoriam neptem, quæ Guidobaldum Vrbinatium Principem postea maritum habuit, cognationi regiæ, conjectis in Vindocinensem oculis, inserere percupere videretur.] Ecce vides propter nepotes negotia totiùs Europæ retardari. Sed nec hoc prudentissimum Pontificem latuit, qui ut idem scriptor Anno 1549, num. 12, recenset; [Dicitur moriens suorum ingratitudinem sæpius incusasse, ac se fœlicem dictitasse, si nunquam genuisset; subinde illud Davidicum *Psalm.* 18. ingeminans, *si mei non fuissent dominati tunc immaculatus essem, & emendarer à delicto maximo:* eâ quidem re maximè culpatus, quod ad domesticam amplificandam atque evehendam fortunam se totum conferens, eò usque sæpe prolapsus fuerit, ut existimationis suæ ac Reipublicæ periculum, dum voti compos fieret, parvi fecerit. Cæterà vir summæ prudentiæ ac moderationis; in humanitate atque affabilitate præcipuus; litterisque ut erant illa tempora, in quæ iuventus illius incidit, apprimè excultus: mathematicis etiam deditus, sed non parva in hoc nominis sui traductione, quod Astrologiam, quam Iudiciariam vocant, quæq; de occultis ac futuris fallaci ac incertissimâ vanitate inquirit, estq; alioqui sacratis potissimùm viris valde indigna, operam dare, apud plurimos diffamatus fuerit; eò etiam subditis minùs gratus, quòd eos gravioribus vectigalibus vexasset; qui pridie quam obiit, ea abolevit, tardiore beneficio, quàm ut ex eo gratiam sperare potuerit. Insequentium tamen temporũ infælici eventu maximè à bonis omnibus & ab infimâ etiam multitudine desideratus. Quod autem præterea hæretici & Apostatæ, Ochinus, Vergerius, Baleus, Sleidanus, aliiq; eiusmodi impuri & perversi homines, plura de eius gestis & moribus confinxerunt, atque in publicum ediderunt, ea cum suis auctoribus, in infernum unde processerunt retrudimus.] Hæc Spondanus, qui si bene Pontificem vindicat, malè Vestalem ille accusat qui dixit, *Non est satis casta, de quâ quæritur*: male, qui obiecit, *Vt sint falsò omnia imposita, sufficit fuisse talem, cui eiusmodi potuerint imponi.* Verba illius exscripsi, nil resolvi.

An Paulus III præposuerit privata publicis?

Pauli III. virtutes, vitioque

An fuerit Astrologus?

Vectigalia aucta & imminuta.

Mordetur ab hæreticis.

CCCLXIX.

Ex his constat Paulum III. licèt summum Pontificem, fuisse hominem, & suis privatis commoditatibus invigilantem, adeoque talem, cuius dicta & gesta elimari debeant potiùs, quàm Theologiæ doctrinam sinceram elimare. Spirensia illi Comitia displicuisse asseruntur; an- ne iustè? Iudex erit candidus Lector, si idem Spondanus nationis Hispanæ & Caroli præcipuè invidus reproducatur. Eius premam vestigia, & rem ab initio deducens illustrabo.

Imperium à Turco & Gallo invaditur.

Anno igitur MDXLIV. Indictione II. mense Ianuario frequentissima habita sunt Comitia Imperii, quibus interfuerunt Carolus Imperator, Rex Ferdinandus eius frater, & Electores omnes, cunctique ferme Principes tam Catholici, quàm Protestantes. Sleidanus *libr.* 15. Pontanus *lib.* 4. Belicar. *libr.* 23. At quæ etiam Pontifex, quod in his de Religione tractendum fore existimaret, ad finẽ anni superioris destinaverat Franciscum Sfrondatum Mediolanensem, tunc Episcopum Amalphitanum, posteà Cardinalem. *Acta Concil. Archiepisc. Aquens.* Decimo Calendas Martii orationem habuit Imperator, quâ ex receptâ consuetudine causas conventûs huius explicans, studium suum adversus Turcos, obstacula Regis Galliæ diligenter exposuit, eaque propter bellum necessariò communibus viribus contra Gallum suscipiendum esse, ut domestico hoste sublato commodiùs Turcus impeteretur. Spondanus *anno* 1544. *num.* 2. Accedebat, quod Gallus confœderatus Turco, in se deberet vinci priùs, quòd in Turco non posset.

Gallorum & Turcorum fœdus. Et quidem hoc fœdus confiteri videtur Gramondus, qui anno 1618. pag. 207. fœderis Gallo-Turcici centesimum annum enumerat.

An-ne Gallus & Turca vincti fœdere? res est, cuius mera & in dubium vocata opinio hominem, ne dicam nationem macularet. Fœderis sacrilegi subaudita suspicio Christiernum III. Daniæ Regem turbavit, & à Gallis excisum, Cæsaris amicitiæ cooptavit. *Spond. ibid. n.* 6. Negat Rex fœdus, habet tamen; hæc est miseria humana, ut confiteri pudeat, quod fonte serenâ committitur. Labio, calamo, typo excusatinem edit, Gallorum Germanorumque amicitiam & necessitudinem exponit, nullam cum Turco communicationem sibi esse, nisi qualem à plerisque aliis Principibus Christianis commercii causâ haberi solet. Sed quia hæc non sufficiebat mutandæ sententiæ hominum contrarium intuentium, clariùs progreditur & subdit, Gallorum Turcorumque fœdus, si aliquod intervenisset, non utique omnino impium videri

deri debere: cum & Abraham, David, Machabæi, & alij in veteri testamento, & in novo Constantinus, Theodosius, Honorius, alii, cum Infidelibus, multique cum ipsismet Turcis factitassent, &c. Spond. *ibid. num.* 2. qui tamen *n.* 6. culpam sincerè fatetur & sic ait, *Vt seriò loquar, quis negare possit, sicut Rex Franciscus titulum* CHRISTIANISSIMI *cum Turcis paciscendo fœdè maculavit; ita & Carolum Imperatorem nomen Catholici hæreticos in societatem adsciscendo turpiùs conspurcasse.* Quis possit, Spondane? Possim Ego; & primò delere illud *turpiùs*, quoniam cæteris paribus ferire fœdus cum Turco turpius est. Sed hîc non sunt paria momenta. Gallo pactum cum Turco liberum fuit, & pactum cum Hæreticis fuit Imperatori necessarium; Turcus enim armatus illo Gallrum fœdere inundasset & devastasset Germaniam, nisi retunderetur; & Cæsar, cùm videret Gallos non solùm sibi deesse, sed adesse Infideli, debuit ex duobus malis quæ simul à se superari non poterant, dare manus minori, ut majori obviam iret. Cùm igitur Cæsar Turcos Hæreticosque simul debellare non posset, debuit his connivere & hæresim ipsam permittere, ne à Saraceno opprimeretur. Sanè si utrosque potuisset delere Cæsar, debuisset sub peccato mortali; solà enim impotentiâ excusatur. At non excusatur impotentiæ hujus causâ, Christianissimus Rex; ipsi enim soli permissio hæreseos, & confœderatio cum hæreticis, quæ Carolo necessaria fuit, libera erat, poterat enim, si Germanis favere nollet, no nocere; & si in suâ Galliâ quiesceret, nec auxilio esset Turcis, non indiguissent Catholici Hæreticorum opere ut Turcorum insolentiam retunderent. Hæc, si benè ponderentur, satis.

An sit turpius fœdus inire cum Luthera-no, quàm cum Turco?

De Rege Galliæ.

CCCLXX.
Spondani error

Progreditur ulteriùs Spondanus, & ego etiam cum ipso. Utor Clarissimi & Magnifici D. Mannagetæ, exemplari; quod ideò magnifacio, quia ab initio ad finem notis marginalibus manu eruditissim â scriptis illustratur: & quidem paulò inferiùs hanc notam lego in margine. *Carolus Saxoni Ducatum Cliviensem promittit? Mentitur Spondanus.* Rem non examino, non enim concernit Religionem quam explicare velim; sed quia mihi D. Mannagettæ eruditio & in examinandis Historiis diligentia est notissima, timere incipio ne Spondanus, qui in clarioribus rebus deludi asseritur, in obscurioribus illudat.

Sub-

CCCLXIX.

Ex his constat Paulum III. licèt summum Pontificem, fuisse hominem, & suis privatis commoditatibus invigilantem, adeoque talem, cuius dicta & gesta elimari debeant potiùs, quàm Theologiæ doctrinam sinceram elimare. Spirensia illi Comitia displicuisse asseruntur; an- ne iustè? Iudex erit candidus Lector, si idem Spondanus nationis Hispanæ & Caroli præcipuè invidus reproducatur. Eius premam vestigia, & rem ab initio deducens illustrabo.

Imperium à Turco & Gallo invaditur.

Anno igitur MDXLIV. Indictione II. mense Ianuario frequentissima habita sunt Comitia Imperii, quibus interfuerunt Carolus Imperator, Rex Ferdinandus eius frater, & Electores omnes, cunctique ferme Principes tam Catholici, quàm Protestantes. Slejdanus *libr.* 15. Pontanus *lib.* 4. Belicar. *libr.* 23. At quæ etiam Pontifex, quod in his de Religione tractendum fore existimaret, ad finē anni superioris destinaverat Franciscum Sfrondatum Mediolanensem, tunc Episcopum Amalphitanum, posteà Cardinalem. *Acta Concil. Archiepisc. Aquens.* Decimo Calendas Martii orationem habuit Imperator, quâ ex receptâ consuetudine causas conventûs huius explicans, studium suum adversus Turcos, obstacula Regis Galliæ diligenter exposuit, eaque propter bellum necessariò communibus viribus contra Gallum suscipiendum esse, ut domestico hoste sublato commodiùs Turcus impeteretur. Spondanus *anno* 1544. *num.* 2. Accedebat, quod Gallus confœderatus Turco, in se deberet vinci priùs, quòd in Turco non posset.

Gallorum & Turcorum fœdu. Et quidem hoc fœdus confiteri videtur Gramondus, qui anno 1618. pag. 207. fœderis Gallo-Turcici centesimum annum enumerat.

An-ne Gallus & Turca vincti fœdere? res est, cuius mera & in dubium vocata opinio hominem, ne dicam nationem macularet. Fœderis sacrilegi subaudita suspicio Christiernum III. Daniæ Regem turbavit, & à Gallis excisum, Cæsaris amicitiæ cooptavit. *Spond. ibid. n.* 6. Negat Rex fœdus, habet tamen; hæc est miseria humana, ut confiteri pudeat, quod fonte serenâ committitur. Labio, calamo, typo excusatinem edit, Gallorum Germanorumque amicitiam & necessitudinem exponit, nullam cum Turco communicationem sibi esse, nisi qualem à plerisque aliis Principibus Christianis commercii causâ haberi solet. Sed quia hæc non sufficiebat mutandæ sententiæ hominum contrarium intuentium, clariùs progreditur & subdit, Gallorum Turcorumque fœdus, si aliquod intervenisset, non utique omnino impium videri

deri debere: cum & Abraham, David, Machabæi, & alij in veteri testamento, & in novo Constantinus, Theodosius, Honorius, alii, cum Infidelibus, multique cum ipsismet Turcis factitassent, &c. Spond. *ibid. num.* 2. qui tamen *n.* 6. culpam sincerè fatetur & sic ait, *Vt seriò loquar, quis negare possit, sicut Rex Franciscus titulum CHRISTIANISSIMI cum Turcis paciscendo fœdè maculavit; ita & Carolum Imperatorem nomen Catholici hæreticos in societatem adsciscendo turpiùs conspurcasse.* Quis possit, Spondane? Possim Ego; & primò delere illud *turpiùs*, quoniam cæteris paribus ferire fœdus cum Turco turpius est. Sed hîc non sunt paria momenta. Gallo pactum cum Turco liberum fuit, & pactum cum Hæreticis fuit Imperatori necessarium; Turcus enim armatus illo Gallrum fœdere inundasset & devastasset Germaniam, nisi retunderetur; & Cæsar, cùm videret Gallos non solùm sibi deesse, sed adesse Infideli, debuit ex duobus malis quæ simul à se superari non poterant, dare manus minori, ut majori obviam iret. Cùm igitur Cæsar Turcos Hæreticosque simul debellare non posset, debuit his connivere & hæresim ipsam permittere, ne à Saraceno opprimeretur. Sanè si utrosque potuisset delere Cæsar, debuisset sub peccato mortali; solâ enim impotentiâ excusatur. At non excusatur impotentiæ hujus causâ, Christianissimus Rex; ipsi enim soli permissio hæreseos, & confœderatio cum hæreticis, quæ Carolo necessaria fuit, libera erat, poterat enim, si Germanis favere nollet, no nocere; & si in suâ Galliâ quiesceret, nec auxilio esset Turcis, non indiguissent Catholici Hæreticorum opere ut Turcorum insolentiam retunderent. Hæc, si bene ponderentur, satis.

An sit turpius fœdus inire cum Luthera-no, quàm cum Turco?

De Rege Galliæ

Progreditur ulteriùs Spondanus, & ego etiam cum ipso. Utor Clarissimi & Magnifici D. Mannagetæ, exemplari; quod ideò magnifacio, quia ab initio ad finem notis marginalibus manu eruditissim â scriptis illustratur: & quidem paulò inferiùs hanc notam lego in margine. *Carolus Saxoni Ducatum Cliviensem promittit? Mentitur Spondanus.* Rem non examino, non enim concernit Religionem quam explicare velim; sed quia mihi D. Mannagettæ eruditio & in examinandis Historiis diligentia est notissima, timere incipio ne Spondanus, qui in clarioribus rebus deludi asseritur, in obscurioribus illudat.

CCCLXX. *Spondani error*

Sub-

CCCLXIX.

Ex his constat Paulum III. licèt summum Pontificem, fuisse hominem, & suis privatis commoditatibus invigilantem, adeoque talem, cuius dicta & gesta elimari debeant potiùs, quàm Theologiæ doctrinam sinceram elimare. Spirensia illi Comitia displicuisse asseruntur; an- ne iustè? Iudex erit candidus Lector, si idem Spondanus nationis Hispanæ & Caroli præcipuè invidus reproducatur. Eius premam vestigia, & rem ab initio deducens illustrabo.

Imperium à Turco & Gallo invaditur.

Anno igitur MDXLIV. Indictione II. mense Ianuario frequentissima habita sunt Comitia Imperii, quibus interfuerunt Carolus Imperator, Rex Ferdinandus eius frater, & Electores omnes, cunctique ferme Principes tam Catholici, quàm Protestantes. Slejdanus *libr.* 15. Pontanus *lib.* 4. Belicar. *libr.* 23. At quæ etiam Pontifex, quod in his de Religione tractendum fore existimaret, ad finē anni superioris destinaverat Franciscum Sfrondatum Mediolanensem, tunc Episcopum Amalphitanum, posteà Cardinalem. *Acta Concil. Archiepisc. Aquens.* Decimo Calendas Martii orationem habuit Imperator, quâ ex receptâ consuetudine causas conventûs huius explicans, studium suum adversus Turcos, obstacula Regis Galliæ diligenter exposuit, eaque propter bellum necessariò communibus viribus contra Gallum suscipiendum esse, ut domestico hoste sublato commodiùs Turcus impeteretur. Spondanus *anno* 1544. *num.* 2. Accedebat, quod Gallus confœderatus Turco, in se deberet vinci priùs, quòd in Turco non posset.

Gallorum & Turcorum fœdus. Et quidem hoc fœdus confiteri videtur Gramondus, qui anno 1618. pag. 207. fœderis Gallo-Turcici centesimum annum annumerat.

An-ne Gallus & Turca vincti fœdere? res est, cuius mera & in dubium vocata opinio hominem, ne dicam nationem macularet. Fœderis sacrilegi subaudita suspicio Christiernum III. Daniæ Regem turbavit, & à Gallis excisum, Cæsaris amicitiæ cooptavit. *Spond. ibid. n.* 6. Negat Rex fœdus, habet tamen; hæc est miseria humana, ut confiteri pudeat, quod fonte serenâ committitur. Labio, calamo, typo excusatinem edit, Gallorum Germanorumque amicitiam & necessitudinem exponit, nullam cum Turco communicationem sibi esse, nisi qualem à plerisque aliis Principibus Christianis commercii causâ haberi solet. Sed quia hæc non sufficiebat mutandæ sententiæ hominum contrarium intuentium, clariùs progreditur & subdit, Gallorum Turcorumque fœdus, si aliquod intervenisset, non utique omnino impium videri

deri debere: cum & Abraham, David, Machabæi, & alij in veteri testamento, & in novo Constantinus, Theodosius, Honorius, alii, cum Infidelibus, multique cum ipsismet Turcis factitassent, &c. Spond. *ibid. num.* 2. qui tamen *n.* 6. culpam sincerè fatetur & sic ait, *Vt seriò loquar, quis negare possit, sicut Rex Franciscus titulum CHRISTIANISSIMI cum Turcis paciscendo fœdè maculavit; ita & Carolum Imperatorem nomen Catholici hæreticos in societatem adsciscendo turpiùs conspurcasse.* Quis possit, Spondane? Possim Ego; & primò delere illud *turpiùs*, quoniam cæteris paribus ferire fœdus cum Turco turpius est. Sed hîc non sunt paria momenta. Gallo pactum cum Turco liberum fuit, & pactum cum Hæreticis fuit Imperatori necessarium; Turcus enim armatus illo Gallrum fœdere inundasset & devastasset Germaniam, nisi retunderetur; & Cæsar, cùm videret Gallos non solùm sibi deesse, sed adesse Infideli, debuit ex duobus malis quæ simul à se superari non poterant, dare manus minori, ut majori obviam iret. Cùm igitur Cæsar Turcos Hæreticosque simul, debellare non posset, debuit his connivere & hæresim ipsam permittere, ne à Saraceno opprimeretur. Sanè si utrosque potuisset delere Cæsar, debuisset sub peccato mortali; solâ enim impotentiâ excusatur. At non excusatur impotentiæ hujus causâ, Christianissimus Rex; ipsi enim soli permissio hæreseos, & confœderatio cum hæreticis, quæ Carolo necessaria fuit, libera erat, poterat enim, si Germanis favere nollet, no nocere; & si in suâ Galliâ quiesceret, nec auxilio esset Turcis, non indiguissent Catholici Hæreticorum opere ut Turcorum insolentiam retunderent. Hæc, si benè ponderentur, satis.

An sit turpius fœdus inire cum Luthera-no, quàm cum Turco?

De Rege Galliæ

CCCLXX.
Spondani error

Progreditur ulteriùs Spondanus, & ego etiam cum ipso. Utor Clarissimi & Magnifici D. Mannagetæ, exemplari; quod ideò magnifacio, quia ab initio ad finem notis marginalibus manu eruditissim â scriptis illustratur: & quidem paulò inferiùs hanc notam lego in margine. *Carolus Saxoni Ducatum Cliviensem promittit? Mentitur Spondanus.* Rem non examino, non enim concernit Religionem quam explicare velim; sed quia mihi D. Mannagettæ eruditio & in examinandis Historiis diligentia est notissima, timere incipio ne Spondanus, qui in clarioribus rebus deludi asseritur, in obscurioribus illudat.

Sub-

CCCLXIX.

Ex his constat Paulum III. licèt summum Pontificem, fuisse hominem, & suis privatis commoditatibus invigilantem, adeoque talem, cuius dicta & gesta elimari debeant potiùs, quàm Theologiæ doctrinam sinceram elimare. Spirensia illi Comitia displicuisse asseruntur; an- ne iustè? Iudex erit candidus Lector, si idem Spondanus nationis Hispanæ & Caroli præcipuè invidus reproducatur. Eius premam vestigia, & rem ab initio deducens illustrabo.

Imperium à Turco & Gallo invaditur.

Anno igitur MDXLIV. Indictione II. mense Ianuario frequentissima habita sunt Comitia Imperii, quibus interfuerunt Carolus Imperator, Rex Ferdinandus eius frater, & Electores omnes, cunctique ferme Principes tam Catholici, quàm Protestantes. Slejdanus *libr.* 15. Pontanus *lib.* 4. Belicar. *libr.* 23. At quæ etiam Pontifex, quod in his de Religione tractandum fore existimaret, ad finē anni superioris destinaverat Franciscum Sfrondatum Mediolanensem, tunc Episcopum Amalphitanum, posteà Cardinalem. *Acta Concil. Archiepisc. Aquens.* Decimo Calendas Martii orationem habuit Imperator, quâ ex receptâ consuetudine causas conventûs huius explicans, studium suum adversus Turcos, obstacula Regis Galliæ diligenter exposuit, eaque propter bellum necessariò communibus viribus contra Gallum suscipiendum esse, ut domestico hoste sublato commodiùs Turcus impeteretur. Spondanus *anno* 1544. *num.* 2. Accedebat, quod Gallus confœderatus Turco, in se deberet vinci priùs, quòd in Turco non posset.

Gallorum & Turcorum fœdu. Et quidem hoc fœdus confiteri videtur Gramondus, qui anno 1618. pag. 207. fœderis Gallo-Turcici centesimum annum anumerat.

An-ne Gallus & Turca vincti fœdere? res est, cuius mera & in dubium vocata opinio hominem, ne dicam nationem macularet. Fœderis sacrilegi subaudita suspicio Christiernum III. Daniæ Regem turbavit, & à Gallis excisum, Cæsaris amicitiæ cooptavit. *Spond. ibid. n.* 6. Negat Rex fœdus, habet tamen; hæc est miseria humana, ut confiteri pudeat, quod fonte serenâ committitur. Labio, calamo, typo excusationem edit, Gallorum Germanorumque amicitiam & necessitudinem exponit, nullam cum Turco communicationem sibi esse, nisi qualem à plerisque aliis Principibus Christianis commercii causâ haberi solet. Sed quia hæc non sufficiebat mutandæ sententiæ hominum contrarium intuentium, clariùs progreditur & subdit, Gallorum Turcorumque fœdus, si aliquod intervenisset, non utique omnino impium videri

deri debere: cum & Abraham, David, Machabæi, & alij in veteri testamento, & in novo Constantinus, Theodosius, Honorius, alii, cum Infidelibus, multique cum ipsismet Turcis factitassent, &c. Spond. *ibid. num.* 2. qui tamen *n.* 6. culpam sincerè fatetur & sic ait, *Vt seriò loquar, quis negare possit, sicut Rex Franciscus titulum CHRISTIANISSIMI cum Turcis paciscendo fœdè maculavit; ita & Carolum Imperatorem nomen Catholici hæreticos in societatem adsciscendo turpiùs conspurcasse.* Quis possit, Spondane? Possim Ego; & primò delere illud *turpiùs*, quoniam cæteris paribus ferire fœdus cum Turco turpius est. Sed hîc non sunt paria momenta. Gallo pactum cum Turco liberum fuit, & pactum cum Hæreticis fuit Imperatori necessarium; Turcus enim armatus illo Gallrum fœdere inundasset & devastasset Germaniam, nisi retunderetur; & Cæsar, cùm videret Gallos non solùm sibi deesse, sed adesse Infideli, debuit ex duobus malis quæ simul à se superari non poterant, dare manus minori, ut majori obviam iret. Cùm igitur Cæsar Turcos Hæreticosque simul debellare non posset, debuit his connivere & hæresim ipsam permittere, ne à Saraceno opprimeretur. Sanè si utrosque potuisset delere Cæsar, debuisset sub peccato mortali; solâ enim impotentiâ excusatur. At non excusatur impotentiæ hujus causâ, Christianissimus Rex; ipsi enim soli permissio hæreseos, & confœderatio cum hæreticis, quæ Carolo necessaria fuit, libera erat, poterat enim, si Germanis favere nollet, no nocere; & si in suâ Galliâ quiesceret, nec auxilio esset Turcis, non indiguissent Catholici Hæreticorum opere ut Turcorum insolentiam retunderent. Hæc, si bene ponderentur, satis.

An sit turpius fœdus inire cum Luthera-no, quàm cum Turco?

De Rege Galliæ

Progreditur ulteriùs Spondanus, & ego etiam cum ipso. Utor Clarissimi & Magnifici D. Mannagetæ, exemplari; quod ideò magnifacio, quia ab initio ad finem notis marginalibus manu eruditissimâ scriptis illustratur: & quidem paulò inferiùs hanc notam lego in margine. *Carolus Saxoni Ducatum Cliviensem promittit? Mentitur Spondanus.* Rem non examino, non enim concernit Religionem quam explicare velim; sed quia mihi D. Mannagettæ eruditio & in examinandis Historiis diligentia est notissima, timere incipio ne Spondanus, qui in clarioribus rebus deludi asseritur, in obscurioribus illudat.

CCCLXX. Spondani error

Sub-

deri debere: cum & Abraham, David, Machabæi, & alij in veteri testamento, & in novo Constantinus, Theodosius, Honorius, alii, cum Infidelibus, multique cum ipsismet Turcis factitassent, &c. Spond. *ibid. num.* 2. qui tamen *n.* 6. culpam sincerè fatetur & sic ait, *Vt seriò loquar, quis negare possit, sicut Rex Franciscus titulum* CHRISTIANISSIMI *cum Turcis paciscendo fœdè maculavit; ita & Carolum Imperatorem nomen Catholici hæreticos in societatem adsciscendo turpiùs conspurcasse.* Quis possit, Spondane? Possim Ego; & primò delere illud *turpiùs*, quoniam cæteris paribus ferire fœdus cum Turco turpius est. Sed hîc non sunt paria momenta. Gallo pactum cum Turco liberum fuit, & pactum cum Hæreticis fuit Imperatori necessarium; Turcus enim armatus illo Gallrum fœdere inundasset & devastasset Germaniam, nisi retunderetur; & Cæsar, cùm videret Gallos non solùm sibi deesse, sed adesse Infideli, debuit ex duobus malis quæ simul à se superari non poterant, dare manus minori, ut majori obviam iret. Cùm igitur Cæsar Turcos Hæreticosque simul, debellare non posset, debuit his connivere & hæresim ipsam permittere, ne à Saraceno opprimeretur. Sanè si utrosque potuisset delere Cæsar, debuisset sub peccato mortali; solâ enim impotentiâ excusatur. At non excusatur impotentiæ hujus causâ, Christianissimus Rex; ipsi enim soli permissio hæreseos, & confœderatio cum hæreticis, quæ Carolo necessaria fuit, libera erat, poterat enim, si Germanis favere nollet, no nocere; & si in suâ Galliâ quiesceret, nec auxilio esset Turcis, non indiguissent Catholici Hæreticorum opere ut Turcorum insolentiam retunderent. Hæc, si bene ponderentur, satis.

An sit turpius fœdus inire cum Luthera-no, quàm cum Turco?

De Rege Galliæ

CCCLXX.
Spondani error

Progreditur ulteriùs Spondanus, & ego etiam cum ipso. Utor Clarissimi & Magnifici D. Mannagetæ, exemplari; quod ideò magnifacio, quia ab initio ad finem notis marginalibus manu eruditissimâ scriptis illustratur: & quidem paulò inferiùs hanc notam lego in margine. *Carolus Saxoni Ducatum Cliviensem promittit? Mentitur Spondanus.* Rem non examino, non enim concernit Religionem quam explicare velim; sed quia mihi D. Mannagettæ eruditio & in examinandis Historiis diligentia est notissima, timere incipio ne Spondanus, qui in clarioribus rebus deludi asseritur, in obscurioribus illudat.

Sub-

Carolus V. ob contradictoria accusatur.

Subscribit statim hic Author; *Lites item omnes Religionis ergo mota* (nimirum, in Spirensibus comitiis) *suspensa sunt. Denique, quod parum tunc de Religione curaretur, Imperatore nihil quàm arma spirante.* Lego, relego, & quò vertam orationem ignoro. Accusatur ab Spondano, accusatur ab Ernesto Carolus. Ille, *quòd parum Religionem curaverit, quòd mera arma spirans, lites in materiâ Religionis motas noluerit in illis Comitiis definiri, sed maluerit suspendi.* Et contra Ernestus, & ante ipsum Gramondus anno 1618. pag. 205. accusat Carolum *quòd nimiùm Religionem curaverit; & qui deberet mera arma spirare, & lites in materiâ Religionis summo Pontifici relinquere; illa deposuerit, & pacem inierit cum Hæreticis, cùm bellare illos debuerit; & lites omnes Religionis causâ motas suspendere.* Vide Candide Lector, quam difficilem provinciam recipit, qui Cæsaream Lauream; à centenis observatur ille oculis & quidquid fecerit vel omiserit, debebit censuram incurrere. dixit olim Horatius, *Pro captu lectoris habent sua fata libelli*; addico ego, *Pro captu censoris habent sua fata Monarchæ.* Sed quia Spondanus sui oblitus etiam *num.* 7. videtur commendare Pontificem, arguere Cæsarem, ista non urgeo; venio ad Acta Spirensia; ipse sic. *Acta pleniùs referunt Sleidanus lib. 15. & Belcarius libr. 23. atingunt tantùm leviter Surius & Pontanus; fortè quia displicuerunt iis quemadmodum & Catholicis qui aderant, multa displicuisse idem Sleidanus scribit.* Sed cur non? Omnia mala displicent, etiam quæ vitari non possunt.

CCCLXX. *De articulis pacis à Farnesio propositis.*

Statim Spondanus. *Quinimò (quod iidem æquè tacent, toti in solas laudes Caroli delati dissimulatis peccatis (cùm ut scribit Panvinius in vitâ Pauli, Imperator in Germaniâ concedens Legatum Pontificis Alexandrum Farnesium Cardinalem audiisset, pro pace inter ipsum & Regem Galliæ missum, atque propositas ab eo æquissimas pacis conditiones recusasset; unde commotus paululùm Legatus, se existimare haud longè post Imperatorem eam occasionem desideraturum dixit.* Sed quando non esse dissimulanda Caroli peccata ait, sui Regis culpas Spondanus Orbi litterario proponit. Non erat cur Franciscus fœdus cum Mahometano iniret, non erat cur Germaniam turbaret, adeòque Cæsar volebat ut ille in Galliâ quiesceret, nec volebat hanc obligationem quiescendi conditionibus aut articulis

lis interpellari. Magna parvis compono, & do clarissimum exemplum. Invaderis à Roticellio, non obrueris; & tandem ille expertus vires tuas vult ab offensione cessare, & aliquas conditiones proponit; nimirùm, quòd debeas illi tradere pileum palliumque, aut aliàs se rediturum iterum & aliorum ope te occisurum. Diceret Alexander Farnesius, si esset præsens, conditiones æquissimas; æquius enim permittere vestes quàm vitam; & fore ut non longè post, si illum cum sociis redire contingat, eam te occasionem (nimirùm, dandi pallium, servandi vitam) esse desideraturum. Sed tu quid diceres? Nihil te debere Roticellio; cum esse invasorem iniquum; conditiones illas, quæ à Te sanctissimè concedi fortè possent, iniquissimè ab illo proponi; cùm teneatur omni instanti ab invasione desistere, nec pretio sed gratis id facere. Dictum puta. Id ipsum Caroli & Francisci causæ adcommoda. Invaserat enim injustè Cæsarem Christianissimus Rex; & tenebatur gratis, sine ullo lucro, sine ullo pretio, sine compensationis spe, ab invasione illâ cessare.

Illustrantur exemplo.

CCCLXXXIV.

Demum ad Pontificem venit, & sic ait. [Decretorum Spiræ de rebus ad Religionem spectantibus certior Pontifex factus, satis prolixas ad Carolum litteras mense Augusti dedit; quas Sleidanus libr. 16. putavit Regis Galliæ impulsu, fiduciâque scriptas, qui fœdus ab Imperatore cum Anglo ictum odiosè admodum exagitabat, ut Pontificem acueret. Iis autem benignè Pontifex Imperatorem monuit, Decreta Spirensia (tàm ad ipsius animæ periculum, quàm ad maximam Ecclesiæ perturbationem tendere. Minimè esse ab Ecclesiæ ordine & institutis discedendum; quibus præcipitur, ut quoties de his, quæ ad Religionem pertinent, disceptatur, ad Sedem Apostolicam omne judicium semper referatur, nihilque illâ inconsultâ statuatur. Ipsum tamen Imperatorem ita rem Spiræ egisse, ut nullâ habitâ ratione aut mentione Pontificis, cui divina & humana jura supremam cùm cogendi Concilia, tum statuendi de his, quæ ad Ecclesiæ unitatem utilitatemque spectant, auctoritatem dederunt, de Concilio generali, vel Nationali, seu etiam de futuro Imperiali Conventu, in quo de

Non erat Spiræ in quæstione, An mala essent mala? sed an possent ab Imperio impediri? Imperii vires non poterat cognoscere Pontifex.

Religione tractaretur, statuerit: idiotis & Hæreticis judicium de illa permiserit, de bonis sacris pronuntiârit, damnatos ab Ecclesiâ pristinis honoribus restituerit, non assentientibus iis qui veterem & religiosam observantiam præstarent. Existimare se, non ex ipsius hæc esse profecta sinu, sed malevolorum, cum quibus amicitiam iniit, consilio facta, ut aliquam abalienati animi significationum daret. In sacrâ Scripturâ plurima extare exempla vindictæ divinæ in eos qui summi Sacerdotis munera sibi vendicare ausi essent. In Ecclesiâ Christianâ Deum Principes ac populos Sedi Romanæ cæterarum Ecclesiarum Principi fideles summis beneficiis amplificasse; ejusdem verò hostes gravissimis pœnis afflixisse. Ideò magis esse ipsi Imperatori verendum, quòd originem duceret ab iis Imperatoribus, qui non plus honoris Ecclesiæ Romanæ detulissent, quàm ab eâ recepissent. Quòd Ecclesiæ emendationem cuperet, & controversiarum conciliationem, id esse imprimis laudandum, petereque se ut in eo suam operam sibi præberet, cui ministerium hoc atque curam Deus commisisset: Adiutorem ipsum posse ferre, rectorem atque caput non posse. Obtemperaret ergo suis monitis, & cum esset primogeniti filii loco, parentem salutaria consulentem amplecteretur, positis armis paci studeret; aut si pax coire non posset, controversiam omnem & belli causas Concilii à se jam indicti & rursum indicendi disceptationi submitteret. Postremò quæ Romanæ Ecclesiæ adversariis nimiâ quâdam lenitudine concessisset, ea penitùs rescinderet: alioqui namque futurum, ut severiùs agere cum ipso cogeretur, quàm vel consuetudo sua, vel natura, vel etiam voluntas ferret.] Hæc, & alia per multa in eumdem sensum Paulus ut citatus Spondanus, cujus verba transcripsi, persequitur.

Nota illud positis armis, Turca exercitu numeroso, Hæretici grassantur, Gallus utrisque favet, Ecclesia est in extremo periculo, & Cæsari ponere arma consulitur!

CCCLXXI. An hæ litteræ scriptæ à Pontifice fuerint?

Rei veritatem non examino; fortè enim aliter, fortè nihil Paulus III. scripsit; multa enim expediuntur Cæsaris nomine, quæ ille ignorat; atque ideò contingere potuit, ut hæc Epistola scripta à Pontificiis fuerit dictante & impellente Rege Galliæ: quod videtur insinuare Sleidanus. Sane S. Thomas Cantuariensis in Angliâ occiditur, & quod videbatur in gratiam factum Regis, ab ipsomet Rege negatur.

gatur. Condemnatur etiam in Angliâ Maria Regina Scotiæ, & Elisabetha se invitam & insciam testatur. (Spondanus. Anno 1587. num. 1.) unde constat aut Reges veraces non esse, aut multa eisdem insciis invitisque sub eorum nomine evulgari. Et ne Pontifices eximi credas dabo eumdem Spondanum, qui Anno 1433. num. 33. sic inquit. *Publicatæ quoque sunt prolixiores ejusdem Eugenii nomine litteræ* (exstant sess. 16. & in Actis Novar) *pro ipsius defensione ad universos fideles, quas tamen ipse posteà suas esse, aut de scitu suo emanasse negavit.* Et Magnificus Dominus Mannagetta in margine adscribit, *sicut & Vrbanus VIII. litteras ad Ferdinandum II. sub sigillo annuli piscatoris in causâ Monasteriorum scitu suo scriptas fuisse.* Quibus positis non videbitur mirum, si dubitemus has ad Carolum ab ipso Pontifice emanasse. Quod si illas non solum asserenti, sed expendenti Spondaneo credatur, non terreor hac epistolâ; potuit enim erravisse Carolus (quod non puto) aut immiscendo se rebus fidei, aut sine causâ aliquid permittendo, quod posteà vi hujus Epistolæ in pace Religionis editâ An. 1555. correctum sit. Porrò contra hanc Epistolam horrenda convitia scripsisse Lutherani dicuntur; & ut Cochlæus refert, germanicè, latineque. Etiam ipse Luthèrus libro integro: etiam alij.

Sensum hujus Epistolæ illustrat Bulla Indictionis Tridentini Concilii, cujus Ernestus meminit; ex quâ hæc periodus ab eo notata, à nobis maximè notanda est. *In Ratisponensi conventu egimus, cùm illis dilectus filius noster Gaspar, tit. S. Praxedis Cardinalis Contarenus, & summâ doctrinâ & integritate Legatum nostrum ageret, nam cùm id, quod ne accideret, anteà veriti eramus, ex ejus Conventûs sententiâ peteretur à nobis, ut ab Ecclesiâ dissentientium quosdam Articulos tolerandos declararemus, quoad per Oecumenicum Concilium illi excuterentur & deciderentur; idque nobis, ut concederemus, neque Christiana & Catholica veritas, neque nostra & sedis Apostolicæ dignitas permitteret, palam potiùs Concilium, ut quamprimùm fieret, proponi mandavimus,* &c. *Datum Romæ Ann. 1542. XI. Cal. Iun. Pontif. Ann.* 8. Hinc collige in Ratisponensibus Comitiis postulatum, ut aliqui Protestantium Articuli usque ad Concilium Generale tolerarentur ab Ecclesiâ; quod, cùm concedere noluisset Pontifex; tandem ipsos ab Imperio in Spirensibus Comitiis tolerandos fore usque ad Concilium, declaratum. De prima petitione agit Pontifex

Explicantur.

Iam erant illi excussi & decisi; nec indigebant novo examine.

in Bullâ Concilio Fridentino præfixâ; de secundâ declaratione idem Pontifex in literis scriptis ad Carolum. Ut igitur omnia liquidò constent, considera Conclusiones sequentes.

CCCLXXII. De foro interno.

PRIMA, Non potest Summus Pontifex definire aliquam Propositionem indubitato Fidei articulo oppositam, posse in foro interno tolerari; ita ut qui illam teneat non sit hæreticus. Declaratur exemplo. Esse tres in Divinis Personas de fide est; & hæreticus, qui unitatem induceret, trinitatem negaret. Quid si Sabellii nepos, aliquis errorem hunc revocaret ab inferis? Quid si summâ potentiâ & nationum adcursu Europam turbaret aut vexaret? Quid si protestaretur se velle stare futuræ Concilii Generalis sententiæ? An-ne in tali casu iustè posset postulari à Pontifice, ut indulgeret, ne essent hæretici qui Trinitatem neganret, modò parati subscribere futuro Concilo? Liberè dico. Multa potest Pontifex; id non potest. Adeoque à Paulo III. Ratisponensia Comitia, impossibilia postulasse pronuntio; Eumque quod non adnuerit nec adqueverit laudo; & hanc ipsam negationem in argumentum securitatis doctrinæ, quam habemus Orthodoxi, produco.

SECVNDA. Si Carolus V. aut Comitia Spirensia aliquam positionem Articulo manifesto Fidei certò & manifestò contrariam, posse pro tempore tutâ conscientiâ teneri declararunt, non usurparunt authoritatem Pontificiam, non Divinam, sed Divinâ maiorem; & debuerunt à Pontifice summo reprehendi. Patet ex antecedente. Quia Cæsar in Fidei articulis nullam authoritatem habet; & Pontifex Articulos, & non Hæreses definire potest: has enim nec Deus ipse revelatione adstruere potest, quia mentiri non potest.

CCCLXXIII. De foro externo

Iudæi, Vsurarij, Meretrices, Hæretici.

TERTIA, Iudæos, Usurarios, Meretrices, ac per consequens etiam Hæreticos in multis locis non jam quoad forum internum, sed quoad externum tolerari manifestum est; nec est qui hujusmodi tolerantiam, si intra leges, quas ratio Theologica præscribit, se contineat, condemnet. *Potuerunt igitur prudenter Comitia Ratisponensia postulare, ut ad evitanda maiora Hæretici à Pontifice ecclesiasticè tolerarentur; illoque dissentiente potuerunt*

Spirensi-

Spirensia fori externi hæreticis sæcularem tolerantiam promittere , si fuit hæc permissio aut etiam promissio necessaria. Omnia patent. Nam in naturæ jure nemo arbitrari, nemo esse impedimento potest. Pono exemplum; si à quattuor appetaris latronibus, & necessarium sit, ut te denudari aut occidi permittas, potes (imò debes) spoliationem non vitare, ut mortem imminentem evites. Hoc dictat naturalis ratio; hoc sine licentiâ hominis facere potes; id quocumque homine contradicente; non enim Pontifici, non Cæsari, non Regi, dedit authoritatem Deus ut validè tibi præcipiat vitam potiùs perdere, quàm pallium. Igitur si experientiâ docti sciebant Principes excidium imminere Imperio, ni rapinas & verba Hæreticorum dissimularent, rationis naturalis ductu debebant potiùs consulere toti, quàm sub partis corrigendæ prætextu totum perdere. Ad hoc tenebantur naturæ Iure; & ut naturali legi obedirent, licentiâ hominis non indiguerunt; qui si naturæ juri non obedirent, excusari non possent lege humanâ; silent enim omnes sanctiones Hominum, ubi Ius naturale rem aliquam præcipit esse faciendam. Quod ita clarum est, ut contrarium manifesta sit hæresis, quæ ad quæstionem revocari non possit.

CCCLXXIV.

Igitur inter multa certa, quæ aut tacta, aut recensita, hæc dubiæ fidei, hæc altiùs decidenda, nimirùm, An litteras acceperit Carolus Pauli nomine? Ut acceperit, an illo conscio scriptas, an potiùs eodem inscio à ministris & Gallo? Ut ab ipso, an reprehensione graves, quod putaverit Paulus definiri à Carolo, quod à se non potuerat juxta Concl. II. An fortè sicut belli socius, etiam voluerit pacis consors haberi, nec permittere Comitia juxta Conclusionem III. procedere se inconsulto. Omnia sunt dubia? nec video lineam authenticam, cui fides necessariò sit. Hoc unicum supra dubium pono; videlicet Paulum Carolumque fuisse homines, & in peccato originali natos, gloriæ avidos, nimiùm cognatis deferentes; adeoque dum hallucinor, dum exemplis dilucidor; inter lucem & tenebras ambiguus; veritatem firmatam rationibus teneo.

IULIUS III.

CCCLXXV.

IPsius Ernestus nullam mentionem facit; faciam Ego. Sic Michaël Ritius. [Iulius III. Anno 1550. *Ioannes Mecria, Aretinus, natus Romæ, Vincentii Fabiani Iurisconsulti filius.*] Et Spondanus ad Annum 1554. num. 4. Angliæ conversionem depingit, Poli Legati Apostolici vigilantiam commendat, aitque. [De bonis tamen ac fundis Ecclesiasticis impetrare non potuit, quantumvis & Regina in Comitiis anni sequentis operam suam in eo præstiterit, ut restituerentur Ecclesiis & Monasteriis, quæ ab Henrico Rege distracta fuerant, & nobilibus laicis distributa. Quinimo, ne novæ inde turmæ concitarentur, Ordinibus postulantibus & urgentibus adactus est publico instrumento Pontificis nomine & authoritate omnes de ejusmodi bonis ac possessionibus, quoad pœnas & censuras canonicas in perpetuum securos & absolutos declarare. Primitias verò & decimas fructuum, quæ Henrici & Eduardi sanctionibus ad fiscum pervenerant, Ecclesiasticis imposterum persolvi decretum est. Et cœnobia singulorum Ordinum Religiosorum reædificari cœperunt privatorum piâ liberalitate. Matrimonia in gradibus prohibitis contracta, unà cum prole suscepta legitima esse decrevit. Episcopos religione Catholicos, sed in schismate creatos, unà cum sex novis Episcopatibus ab Henrico erectis, confirmavit.] *Hæc notasse sufficiat*, quæ urgeri possent, sed quia ab Ernesti intermissa, non debent à nobis fusiùs tradi.

Bona Ecclesiastica usurpata, sæcularibus ob bonum Iulius publicum in perpetuum possidenda concedit.

De Iulii morte egimus num. 66. Cardinalium Truchsessii & Moroni (erat iste Pontificis Legatus, ille Augustanus Præsul) discessum à Comitiis urgentes. Possunt ibi legi; nihil addimus.

MARCELLUS II.

CCCLXXVI. Iulii III. mors.

OBjererat decimo Calendas Apriles Iulius III. & Nonis ejusdem mensis Cardinales, qui Romæ aderant, triginta septem numero, Conclave adeunt; & quinto Idus dant Ecclesiæ Caput,

Caput, Mundo Pontificem, Marcellum Cervinum, à Paulo III. ex electo Episcopo Neocastrensi Anno 1539. creatum Presbyterum Cardinalem, titulo S. Crucis in Hierusalem. De hoc nihil Ernestus, & tamen plura Ego, quàm de aliis, ejus enim brevis Pontificatus est morum Regula, quam sequi deberent homines ad summas dignitates evecti.

Marcelli electio.

Marcelli initia recenset Spondanus Anno 1555. in hæc verba: Nascitur honestis parentibus in agro Piceno in oppido Montisfani pridie Nonas Maij anno millesimo quingentesimo primo, patre Ricardo Etrusco de Monte Politiano, Piceni Provinciæ quæsturam tunc laudabiliter gerente, matre Cassandrâ Benciâ piâ valdè fœminâ. Fuit autem ab ipsâ Adolescentiâ adeò moribus compositus, tantâque modestiâ & continentiâ, ut cùm quid non seriò, sed per jocum inter amicos paulò liberiùs fortè ageretur aut diceretur, ad Marcelli adventum ilicò conticescerent. Eamque vivendi rationem semper servavit. Cujus præclaras virtutes cum eximiâ doctrinâ, & insigni pietate ac morum integritate, atque animi constantiâ conjunctas, ut paucis multa complectar, omnes quicumque de illo egerunt multis laudibus extollunt. Cujus modum electionis, resque toto conclavi intus gestas, speciatim per singulos dies, penè & horas atque momenta, descripsit unus aliquis qui aderat literis ad amicum datis, quæ leguntur inter Epistolas Principum, cum multâ Marcelli laude. Vitam verò ejusdem diligentiùs scripsit Pauvinius, qui familiaris ei exstitit. Laudationem post obitum Iulius Pogianus ad sacrum Collegium recitavit.] Sic ille.

Marcelli nativitas. Patria. Parentes.

Adolescentia.

Modestia.

Progreditur & multa enumerat ad commendationem modestiæ, quàm Præsules inferiores non curant. [Postridie electionis, infit, Episcopus consecratus, & sine pompâ coronatus.] Audite Abbates. Summus Ecclesiæ Antistes factu abstinet; & vos in profanitate convivii totam inaugurationis solennitatem constituitis? Quò vergit sub modesto capite tanta membrorum, imò & articulorum petulantia & superbia? quò tantus rhedarum strepitus, & famulorum apparatus? Quibus illos, obsecro, impensis tenetis & alitis? propriisne, an alienis? loquor sincerè; si alienis, fures estis; & si propriis, sacrilegi. Vos enim, sicut privatus quisque Monachus, voto paupertatis tenemini, arguendi de violatione voti si quidpiam vobis proprium esse asseratis. Bona hæc omnia

CCCLXXVII. Inauguratur sine pompâ.

Abbates voto paupertatis teneri.

omnia, quæ dilapidatis, Dei sunt, Cœnobij sunt; militum sangvinem, rusticorum sudorem, & fundatorem peccata devoratis. Bene administrandi habetis authoritatem summam: sed vacare conviviis, scandalizare populum, excitare invidiam sæcularium, piorum hominum liberalitatem retundere, non est Communitatis bona fideliter administrare. Sed subaudio. Ecclesiæ sunt divites dicitis, fruimur in Domino opibus cœlitùs datis. Itane? Quando tot algent pauperes, pereunt fame tot Sancti; periclitatur Ecclesia; Imperium titubat; & ipsemet Cæsar mediis caret, quibus Rempublicam manutenere possit; tunc vos divitias Ecclesiæ defensioni debitas decoquitis, & scelus in hypocrisin vertitis, & in Domino gloriari deliratis? Oculos aperite. Est Deus; sunt pauperes, sunt milites. Deus, qui rationem exiget; pauperes (& inter ipsos milites) qui actionem severam instituent; quod sibi debitas pecunias prodegeritis & dilapidaveritis. An-ne Abbatialis dignitas hunc luxum postulat? Minimè. Exemplo debet suis subditis præire Antistes; nec Abbas majores expensas facere quàm quisque privetur Religiosus. Sic sentio. sensit Marcellus summus Pontifex; sic dixit. Sic loquuntur Theologi; & qui vobis adulantur, desipiunt.

CCCLXXVIII An Pontifices mutare nomen debeant, & cur?

Sed redeo ad meum Pontificem, eumque nomen non mutasse reperio, Spondanus. [Proprium suum nomen Marcelli retinuit (ejus nuncupationis Secundi) eo testatum omnibus facere volens, se per hanc supremam dignitatem immutatum non iri. Cùm alioqui non desit sua gravis ratio mutationis nominis in cæteris, præter ordinarias quæ recensentur: nimirùm, quo detur intelligi, simul cum nomine privatos affectus in publici boni studium, & humanas cogitationes in sanctas & divinas esse commutandas.] Honores dicuntur mutare mores; id videmus. Sed in meliores raro. At in Marcello vitæ constantiam vidimus, & adamantinam perseverandi voluntatem. Discamus igitur ab isto summo Præsule, Ita promoveri ad honores, ut mores non dicantur efferri. Quantum enim prælatus Reipublicæ prodesse poteris; tantum poteris nocere elatus.

Adrianus etiam VI. Caroli V. præceptor nomen retinuit.

Et

Et quia in votis & juramentis commutandis satis magnam authoritatem summo Pontifici adtribuunt bonæ notæ Theologi; immensam alii, qui tempori scribunt, non personis. Ego sentio tantum asserendum Pontificem, ut & fide dignus evadat; & injurios toti Ecclesiæ pronuntio qui dextrorsum lævorsum, prudenter temerè, cum causâ sine causâ, posse etiam Rerumpublicarum in damnum tertii vota & Iuramenta commutare aut tollere adulantur. Ratio istius doctrinæ Athlas est; Marcellus Hercules, qui illam firmat. Rem edissero. Quædam Capitula in Conclavi ante electionem condita, & juramento singulorum Cardinalium sancita, ratificanda & Pontificali sponsione confirmanda adducentibus, *sese ante paucos dies eadem ipsa iuramento firmasse, sibique constitutum ea reipsâ præstare, nec verbis tantùm promittere*, respondit; & paucis verbis multa complexus est; quæ examinare possunt illi, qui ipsâmet promotionis vi Papam solutum votis & juramentis adulatoria quâdam devotione delirant.

CCCXCIII

Summus Pontifex summâ fide dignus. Vide num. 404.

Spondanus ibidem.

Papa tenetur votis & iuramentis ante electionem distinctis.

Reperio ab ipso aliam gravem controversiam decisam. Quoniam in votorum & promissionum materiâ multa scripta à Theologis, multa à Politicis; aliis faventibus parcitati & timori, aliis numero & animositati; aliis secretum, aliis affectantibus publicitatem. Spondanus.] Cardinali Matuano, sibi in sacris assistenti, aliquando dixit, *se procul dubio scire, optimum esse, pauca dicere, multa præstare: se autem eâ ratione multa polliceri, ut iis verbis fidem suam obligaret; quod si aliquando mali dæmonis impulsu ab rectè ceptis desistere vellet, memor promissionis erubesceret.*] Hæc de privatis ejus moribus; transeo ad Pontificios; nempe ad illos, quibus, si mali, in ipsam dignitatem peccatur.

CCCLXXIX.

An aliquis esse debeat in promittendo liberalis? Ibidem.

Germania, sicut impræsentiarum, etiam sub illud tempus afflicta hæresibus, grandi omninò egebat medicinâ; & quia Hominum ingenia varia, hæc variè adhibita. *Contrariis curantur contraria*, & me judice debuisset sub initium examinari morbi ingenium, & semel notæ origini contraria medicina apponi. An ne ante centum annos Germania incurabilis fuit? Respondeat Spondanus, qui gloriæ Hispanæ invidus Carolo, si peccavit, non parcet. [Ex his scintillis, ait, eruperunt ingentes illæ flammæ, quibus magna Orbis pars post modum conflagravit: quæq; potuissent fortassis, aut revationione ejusmodi pecuniarum exactionis (quæ nihil propter hæc cessavit, sed potiùs crevit) vel modicâ aquæ aspersione restingui; nisi acriorum succensorum

De remedio Germaniæ.

Spondanus ibidem.

sorum concursu vehementiores vires accepisset.] Ecce Pecuniæ citatus Appamiarum Episcopus culpam omnem Germanicæ miseriæ attribuit, Quod & paulò antè uberiùs exposuerat, cùm primos Lutheri ausus accuratè depingit. Promulgaverat enim Leo Pontifex, largissimas indulgentias, bello inferendo Turcis, temploque Vaticano S. Petri erigendo; ut quicumque aliquid in eos usus erogaret, veniam peccatorum amplissimam consequeretur. Et quidem quantâ devotione indulgentias populus recipit, tanto tædio exactionem fastidit. Bellum Turcicum fortè Christianis voluntarium queritur; retundendamque Barbari impotentiam, si suprema Orbis Christiani authoritas compesceret Christianos illos Principes, quorum fœdera Mahometanos armabant: ut contra Turcos contribuerit; Vaticana ædificia Germanorũ impensis erigenda miratur. Sed tolerat. Contribuitur igitur summa auri vis; & Collectores incipiũt liberalitate devotionis abuti; ludere, cõvivari, inebriari, triumphare, nugari. Turbatur plebs insolentiâ irritata; & Ioannes Staupitius Generalis Augustinianorum per Germaniam Vicarius, vir nobilis & eruditus; & Martinus Lutherus, Lector ordinarius Wittenbergæ, acti invidiâ contra Pontificem, contra Moguntinum Principem, contra Dominicanum, qui concesserat, qui evulgaverat, qui concionabatur, occasione sumptâ ex magnis abusibus, qui in his indulgentiis evulgandis & pecuniis colligendis, per imprudentiam & avaritiam committi soliti erant, in ejusmodi abusus invehi incipientes pro concione ad populum monuere, ne se Quæstorum suasionibus deludi sinerent.

Origo Germanarum hæreseon avaritia: quæ est idolorum servitus.

Ioannes Staupitius & Martinus Lutherus.

Ecce; ut Spondanus commemorat, duos Lutherus abusus mordere incepit, Indulgentiarum, & Eleemosynarum. Indulgentiarum quidem, cùm infœlicibus Germanis suadebatur, si pecuniis litteras indulgentiarum redimerent, eò illos ipsò securos de salute suâ, nec aliis operibus bonis egere. Eleemosynarum etiam, cùm devotè erogata à populò luxuriosè devorabant Quæstores. Et quidem multos etiam hodie esse milites, qui putent non obstantibus mortalibus peccatis posse indulgentiarum vi salvari; & eleemosynarum collectores non solum illas dilapidare, sed & erogantium sæpe pietatem irridere; testis sum. Unde illos instructione, istos coërctione egere, manifestum est.

Duo magni in publicatione indulgentiarum abusus.

CCCXCV. Fridericus Saxoniæ Dux.

Habenas Saxoniæ regebat Fridericus, Princeps Elector; Catholicus

ticus & peius sub illud tempus, cui utrumque displicebat omninò. Amor enim consortis est impatiens, & Principes pecuniarum sunt proci; nec in hoc genere rivales in suis provinciis tolerant. Convenitur ab Staupitio Princeps, circumvenitur à Luthero, monetur Ecclesiæ & Reipublicæ esse, Indulgentiarum ingruentia pericula tollere, & impedire suborientia discrimina. Decipi populum, & sub devotionis specie à veris pœnitentiæ fructibus & pietatis officiis avocari. Exspoliari provinciam; & multorum hominum sudorem, sanguinemve à malè moratis ministris cum summâ Apostolicæ sedis, sine cujus conscientiâ omnia perpetrabantur, ignominiâ, prodigi, dilapidari, devorari.

A Luthero & Staupitio monetur.

Favet Luthero grata monenti Princeps; favore Principis, populorum applausu, labii elegantiâ elatus ille, Theses quinque & nonaginta, ad Electorem missas, & clementer susceptas, valvis Wittenbergensium Scholarum Ecclesiarumque adfigit, & in ipsis non modò Prædicatorum & Collectorum abusus, & collectarum pecuniarum, quæ immensæ erant, in alios omninò usus, quàm quorum nomine exigebantur, decoctionem; verùm etiam cõmunem Indulgentiarum usum impugnat, in dubiumque ipsam illas concedendi potestatem vertit, aut evertit potiùs; dubitare enim in materiâ Fidei, ipsam Fidem tollere & evertere est. Cæterùm imprudentiùs effusa, animositati potiùs quàm pertinaciæ adscriberes, si Præfationem illam legeres, quam Leoni, Pontifici summo, libavit. Tantam in eâ animi demissionem præsetulit, ut nihil omninò ab eo, nisi summam obedientiam deinceps exspectandam insinuaret. *Quippe Theses non asserendi, sed tantùm disputandi animo in publicum emisisse, iamque earumdem declarationem adversariorum calumniis compulsum edere, offerreque sese pedibus ejus: Vivificaret, occideret; vocaret, revocaret; approbaret, reprobaret; ut ipsi videretur. Vocem ejus vocem Christi in ipso præsidentis & loquentis se agniturum. Si mortem meruisset, mori non recusare.*

Favet illis.

Cochlæus, Ulenb. Sur. Florimundus, Spondanus, & alii.

Rebus sic constitutis potuisse adhiberi remedium Cardinalis Sadoletus, pietate prudentiâque insignis agnovit, & 11. *epist.* 1. fassus est. Georgio enim Catholico Saxoniæ Duci sincerè dicit *multa in hac causâ à parte Catholicâ facta, parùm accommodata temporibus illis. Suppetiisse multa, quæ suborienti malo potuissent applicari remedia, nulla esse allata; nec vocem benemonentium & suadentium auditam. Quæ mansuetudine & à quibusdam*

CCCXCVI. Hæresis sub initium remedii capax.

busdam rebus temperantiâ vulnera sanari poterant, nec ferro excidi, nec asperioribus quasi medicamentis incrudescere vel sini vel cogi debuisse. Fluxerunt anni & anni; serpsit cancer; viximus in spe; & nescivimus aut noluimus adhibere remedium. Qui primus me judice rem tetigit, Marcellus fuit, qui unus potuit finem hæresi, si super vixisset, imponere. Ipse enim cum Cardinale Mantuano de Controversiis Religionis per Concilium componendis communicans, *id dicebat minus anteà successisse, quòd non priùs integræ reformationi intentum fuisset. Eam decessores suos non ursisse, quòd persuasum haberent ejus prosecutores Pontificia auctoritatis extenuationem solummodò spectasse: se verò contra existimare, nihil æquè facere ad eam auctoritatem vel conservandam, vel amplificandam, quàm si reformationi diligenter incumberetur: Eâ namque nihil solidum tolli, sed vana tantùm & sumptuosa & gravia.* Et quidem verissimè, si loqui velimus sincerè. Dixi aliquando, plus Catholicæ Ecclesiæ adulatores nocuisse, & Hæresiarchas minùs. Displicui meo Dianæ; sed rem teneo, & pace optimi amici oculis crediturus sum. Non detestantur Lutherani Clerum, sed Cleri superbiam, avaritiam & fastum: tollantur nummi, & hæresis sublata est. Hanc reformationem inire seriò voluit Marcellus; ante se à nullo cogitatam, post se vix tentatam ab ullo. Et quidem hanc ineumdam Reformationis viam, vel nunquam ad finem optatum deveniendum nemo prudens ignorat. Vaeræus, unus è præcipuis Regis Galliæ Ministris, obiit Anno 1621. & in mortis lectulo has legavit Posteritati veritates, *Vixisse se in illam diem, & quantum vita suppetet persiturum in Fide Catholicâ; doluisse tamen & dolere adhuc vehementer, quod Ecclesiæ Reformatio, eorum AVARITIA, & AMBITIONE tardatur, quorum præcipuè interest mutari in melius, quæ labantis miseria seculi in Ecclesia perniciosè invexit: Deum Optimum Maximum humiliter & enixè à se oratum sæpiùs, eorum animos, queis incumbit sacrorum cura, ut flecteret huic Reformationi procurandæ.* Habui ex Gramondo *Historia sua libr. 9. Anno* 1621. *pag:*425. Ejusdem opinionis fuit Tyllius; pientissimus & fortissimus miles; qui luxui & avaritiæ Ecclesiasticorum miserias Germaniæ attribuens, pro Ecclesia & Imperio vulneratus fuit ante Inglostadium, & post dies paucos obiit, ita contra hæreticos excitatus, *ut adhuc semel, & non ampliùs* audiri ab Angelorum Imperatrice petierit; sed ne ad castra rediret, nostra peccata præstiterunt. Hæc pura veritas. Non aliunde, quàm ab avaritiâ pauperum, publicæ suboriuntur miseriæ. Ad propria

Marcellus hæresin Germanam voluit curare non in Germaniâ sed Romæ, tollendo omnia vana & superflua, quibus hæretici Germani irritantur:

Adulatores multum nocent:

Sublatis nummis etiam aufertur hæresis in Germaniâ.

propria venio. Catholici Regis favore ad Disenbergensem promotus infulsam, habui plurimos Calvinianos subditos, imò etiam Prædicantes legè permissos publicâ, adeoque privatâ patientiâ tolerandos: quibus à Deo sublatis Orthodoxos substitui, quos & manutenerem hodie, nisi Christianissimus Rex illos fugasset, & Calvinistas reposuisset. Ut Pastor oves, ut Pater filios, ut Dominus vasallos hortatus, à quàm multis audivi, *se mecum Catholicos esse posse, sed cum aliis non posse.* Erant ex nostris aliqui, qui Ecclesiasticis bonis, à manu Calvinianâ ereptis abuterentur cum illorum scandalo qui perdiderant. Bernardinus, Comes de Rebolledo, Palatinatûs Gubernator, pius & sanctus miles, jubere debuit, ut ditione excederet Titius, cui aliquod monasterium commendatum, & ratio proscriptionis fuit, *satis malos esse Calvinianos, nec indigere homine, religionem professo, habitum regularem gestante, qui quotidianâ ebrietate & luxu scandalizaret universos.* Multa dicturus eram; multa ponderaturus; taceo tamen, non enim nostri libenter carpi volunt; & dum Lutheranos, aliàs satis malos, culpis onerant, se exonerari putant, & impossibilem concordiam vocant, quam ego facilem. Aperio oculos, & quod conspicio dico. Tota hæresis in Germaniâ, peccuniaria est, nummaria est; in auro & argento consistit. Tolle avaritiam, aut illorum, aut nostram, & statim hæreses & blasphemiæ cessabunt. Si Statuæ frangatur basis, corruet; & si Hæreseos, quæ hodie grassatur, tollatur fundamentum excidet. Uberiùs rem alibi discussurus & dilucidaturus, nunc perstringo: & in singulis abusum video, damnoque. Sed avaritia populi rerum abusum hodie, & cras ipsum usum condemnat. Et quia graviter me habet intolerabilis multorum Ecclesiasticorum avaritia, quid hodie viderim, interscripturus sum. Dies est Paschalem solennitatem sequens, Aprilis XXII. Anni hujus M. DC. XLVII. & è Carmelitanorum excalceatorum templo rediens ad ipsum Danubii pontem murmurantes Iudæos & ridentes Lutheranos reperio. Causam quæro; & ostenditur fœmina, quæ habebat filiolum mortuum, ad orbitarum margines, inter arenam sordesque, & eleemosynam, ut sepeliretur, petebat. Obstupui: nec judicavi posse dici sine omnium Ecclesiasticorum ignominiâ tantam in Parrocho avaritiam, ut deberet trimum cadaver illud pedibus transeuntium advolvi, ut congeretur pecunia, quæ sepulturi avaritiam satiaret. Video percellorque; & insolentia facinoris multa alia sugge-

Illi, quibus monasteria restituuntur, lautè vivunt, & scandalizant Calvinianos.

Hæresis pecuniaria.

An debeantur pecuniæ.

rit, quæ frequentiora. O nos miseros! A desiderio insatiabili pecuniarum invadimur; & quam putamus hæresin, plerumque avaritia pura est; plerumque monstrum ab avaritiâ merâ natum. Et quia inter Lutheranos degimus, præcipua Lutheranæ Hæreseos capita percurramus. Nascitur Infans; & ne aquam aut quærere debeat aut emere, quocumque liquore obvio utitur Beza Calvinista, (Spondanus Anno 1567. IX.) quòd si forte Parrochus jura sua postulet illum baptizaturus, nomine pecuniarum audito Lutheranus posse domi baptizari à quocumque aut à nullo respondet, quoniam baptismus non est necessarius, sed ad melius. Moritur senex; Parrochus ut cadaver introducat Ecclesiam, jura postulat, concessurus ut in loco digniore putrescat, si majora solvantur; & hæreticus, nec requiritur in funere præsentia cleri, nec locus sacer; illud in campum feram, & pompæ comites. Confessionem sacramentalem plurimus homo omittit in Germania, ne nummos contribuere cogatur. Petuntur orationes & missæ; respondet Parrochus, esse pro singulis legendis sacris tantam aut talem contribuendam pecuniam; & respondet Lutherana tenacitas, defunctos non egere nec juvari suffragiis, quos nô manet ignis purgatorius post vitam. Sublato purgatorio omnes fundationes tolluntur; videntur enim ideò esse erecta monasteria, ut oretur pro fundatorum animabus. Fugatis demum Religiosis, ne inutiliter reditus dicantur impendi, aliibus aliis applicantur. Hinc fortiter Indulgentiæ & Iubilæa; quæ aliunde etiam à collectis pecuniis arietantur. Si Episcopus contributiones, anatas Pontifex exquirat, superfluas dignitates Lutheranus exclamat; nec debere illis bona cedere, quæ possent venundari multo, & dari pauperibus. Vident in gradibus prohibitis dispensationes concedi, postulari pecunias; & ut eant obviam, gradus quos natura, eorum judicio, vult esse incompossibiles retinent, reliquos abrogant. Quò tendet tanta avaritia hominum? Vident Principes, boni publici incurios, lautè vivere, nec sanguine subditorum satiari; & ut retineant pecunias, omnem exosi monarchiam (Ecclesiasticam & sæcularem) Democratiam, aut si cautiùs Aristocratiam inducunt. Hinc Statuum confœderatorum, hinc Presbyterii exorta monstra; hinc Parlamentorum, quæ vocant, evecta in immensum authoritas: quæ inter Hæreticos à Religione nata, inter Catholicos imaginata cum summâ Religionis

Baptizanti. *Sepelienti.* *Sacramentaliter audienti, oranti, celebranti.* *De purgatorio & Monasteriis.* *De Indulgentiis.* *De Episcopis & summo Pontifice.* *De dispensationibus.* *Status confœderanti; Presbyterium Parlamentum.*

gionis jacturâ. Illa nimirùm, in Hollandiâ & Zelandiâ Regem expulit, in Scotiâ vendidit, in Angliâ captivum detinet, in Galliâ dirigit: in Cataloniâ Proregem ejusque Ministros occidit; in Lusitaniâ primo Regni Gubernatricisque interempto Rectore, illam in sanctimonialiũ Asceteriũ coëgit; Coloniæ Principem urbe proscripsit; Leodii cõstrinxit legibus; & ubilibet quà potest delet. Ergo qui Presbyteriũ (sic Democratiâ Ecclesiasticâ, Scoti nominant) aut confœderatos populos (sic Helvetii Democratiam sæcularem appellant) nolit in Germaniâ videre, exactionibus parcat; sit, si Episcopus decimis, & si Princeps communibus tributis contentus: quoniam teste experientiâ Ecclesiastica & sæcularia schismata in Imperio à pecuniis aborta, perennatura sunt, quamdiu exactiones perennabunt. Quod præter Marcellum II. etiam animadvertit Iulius III. qui ut lucraretur Deo & Fidei Anglos sub Mariâ & Philippo, omnia illis Ecclesiastica bona, tametsi per injuriam erepta, prudentiâ liberali donavit. Hæc dicta in genere; si videar acer, imputandum dolori est, quẽ à miseriâ illius insepulti cadaveris hodie concepi: At acer videri non possum, sed sincerus; non enim mea verba & sensa exprimo, sed Lutheranorum scommata & maledicentias exscribo, quas non approbo. Interim, quia hæc ipsa non ita ab illis ficta, ut non etiam repererint aliquam occasionem fingendi, meos Palimpsæstos (sic dictos, quod delere lectori lineam liceat, quam habere non placeat) ut puto, ad majorem Dei gloriam, reformationem Ecclesiæ, & excidiam hæreseos hinc inde grassantis scriptos, evulgabo.

Minuendas exactiones esse.

Iulius III. omnia bona Ecclesiastica ab Anglis erepta, illis concessit.

Authoris Palimpsæsti.

Sed quia magnam nostrarum miseriarum causam Pontificum cognatis multi referunt, quid in hac materiâ Marcellus præstiterit audiamus. [Carni & sanguini, adeò nihil tribuit, ut neminem propinquorum Romam venire voluerit. Immo nec fratrem quidem. Duos parvulos fratris filios, quos ipse in urbe educabat, à nemine salutari passus, quo tempore Pontifex fuit, nunquam viderit. Interpellatusque an in Palatatium ipsi ex privatis ædibus introducendi essent; *Quid*, inquit, *illis cum palatio? Eorum ne id patrimonium est?* c] Sic Marcellus, probè cognoscens totam Ecclesiæ ruinam à Pontificum cognatis esse: quod successores oblivioni mandarunt; Paulus enim Quartus Marcelli in summâ Petri dignitate successor, rogatus à Domûs suæ Præfecto, quânam

CCCXCVII. Pontificum cognati & fratres.

Spondanus ibidem.

De Paulo IV. & ejus fratre.

Spondanus ad annum 1555. num. 9.

nam ratione & ipse & nepotes ex fratre essent victuri, *Magnificè respondit, & ut Principes decet*; quod & re egregriè ipse; & alij post ipsum præstiterunt.

CCCXCVIII. De bello Hispano-Gallico.

Religionis concordiam, quam Marcellus conversationis suæ humilitate & modestiâ, & cognatorum suorum neglectu promovebat, bella Hispano-Gallica retardabant; sed ipse Oratores Imperatoris & Regis Galliæ ad se accitos gravissima oratione commonuit, *ut de his quæ iam Regibus scripserat, & ipsi eosdem certiores facerent; seque, ni in pace ineundâ consentirent, præter Nuntios Legat[o]sque ad illos esse profecturum.* Libenter lego. Quoniam Paulus III. ad Imperatorem & Galliæ Regem propter Lutheranos Nicêam venit: sic puto, tametsi alii ab eo ob promotionem matrimoniaque suorum nepotum hoc iter adsumptum calumnientur. S. Ioannes I. propter Arianos Constantinopolin ad Imperatorem Iustinum, Regis Theodorici Legatus: Marcellus in animo habebat Galliam & Hispaniam peragrare; & audîmus hodie Cardinales non posse esse Regum Legatos; imò retardari aliquando eorumdem negotia, si ejusmodi dignitatem adsumant.

Anne Pontifex & Cardinales esse legati possint?

CCCXCIX. *Marcelli æquitas justitiaque. Spondanus. Gramondus libr. 2. Anno 1616. pag. 107. Haucastellus damnatur capite.*

Sed quia Iustitia maximè necessaria est: sit Ludovico XIII. Christianissimo Regi exemplo Marcellus, cujus virtutes brevi stylo recenseo; Oratori enim Regis Hispaniarum, cùm pro quodam nobilissimo Romano veniam peteret, *Pontificatum se ab homicidii absolutione auspicari nolle*, respondit. Alia sunt; alia sunt; quæ apud Gramondum lego. [Ad Archiepiscopum Burdigalensem, Cardinalem Surdisium munus Sacri nuptialis spectabat in Metropoli suâ; obstitit crimen cui se incautus implicuit pridie festi, in hunc modum. Postquam Haucustello (is prosapia Nobilis erat) Parlamenti Burdigalensis judicio capitis pœna irrogata, vocari de more apparitores, & municipii magistratus dabant se in viam traducendo in patibulum reo: ipsa plebs altâ exspectatione circumfusa Gemonias latè impleverat, cùm Surdisius Cardinalis amico liberando in carcerem properat; præferebantur insignia Redemptionis humanæ, Crux Archiepiscopis præire solita: Crucem stipabant Satellites, violandæ si opus custodiæ; carcere extracto solvuntur, vincula, vindicatur in libertatem reus, & neci eximitur; inauditum in hanc diem, damnatum reum, dum patibulo imminet, presbyteri ausu vi armatâ tortori ereptum. In urbe Rex erat, eoque violatæ custodiæ atrocius crimen: nec satis effracto carcere, nisi & carceris custos caderet adverso

Cardinalis Carcerem init, Cruce abutitur. carcer effringitur, & liberatur reus. Custos occiditur.

Is dum officio strenuè defungitur, prohibendo privatam vim autoritate publicâ, occumbit infestâ manu, consultò cæsus, necne, incertum est: certè id constat violatam Archiepiscopi facto custodiam, ereptum patibulo reum, cæsum, dum obsistere audet, custodem. Excanduit cujus res præcipuè agebatur Burdigalensis Senatus, solennique ad Regem legatione, unà cùm reliquis Ordinibus juri in Urbe dicundo præpositis, palam questus est. *Violatum ius publicum, temeratam Regis autoritatem à Præsule, cæsam à Pastore ovem.* Quærelam subsequitur ejusdem Parlamenti decretum, quo in Archiepiscopum indicta manûs injectio, jamque præparandæ liti citatio triplex præcesserat damnando mox per contumaciam reo, cùm intercessit Rex causam ad se evocatam in suspenso habens, donec se Archiepiscopus judicio sisteret: nec multò pôst Regio rescripto absolvitur, ac si nefas foret festivâ in nuptias die de Cardinali quæstionem haberi; ita capitale crimen à Præsule patratum primùm fugâ, deinde Regis clementiâ elusum.] Rem non urgeo: nec à Cardinale civem posse occidi, aut Cardinalem à Rege puniri pronuntio; sed historias oppositas omninò ob eruditionem compono.

Senatus queritur.

An Cardinalis isque Archiepiscopus à Parlamento possit incarcerari?

Cardinalis absolvitur.

Anne inauspicata Imperii initia sint, quæ à sententiâ sanguinis?

CCCC.

Hæc occasione Marcelli dicta sunt. Plura de ipso, quia vixit brevius, conversatus humiliùs, rexit altiùs. Ad fatum venio: Appamiarum Episcopum audio; sic infit. [Cum autem sic esset totus in excogitandis modis, quibus Ecclesiam ab hæresibus & vitiis, Rempublicam à Bellis & dissensionibus, Romanam Curiam à superfluis sumptibus, & pompis inutilibus expurgaret: [illegible] Dei judicio factum est, ut &c.] Nota omnia & singula; Fuis [illegible] cum Marcello gloria Dei, hæresum exstirpatio: [illegible] proscriptio & bellorum cessatio: [illegible] Romanæ Curiæ à superfluis sumptibus & pompis [illegible]. [illegible] ctit sequentia. [Factum est, inquit, ut [illegible] tioe non satis firmis esset viribus, atque [illegible] bri laborasset, jamque conclavis incommo[illegible] ceptionibus; a[illegible] is m[illegible], [illegible] nibus Do[illegible] Por[illegible]

[illegible] Marcelli [illegible]

Reincidentia. Et mors.

repenti apoplexi correptus, sequenti nocte vitâ exutus sit vigesimo secundo electionis die, incredibili omnium bonorum dolore, quibus spes affulserat emendationis, & aurei sub illo sæculi. Sublatus fortè divinâ benignitate, ne malitia mutaret intellectum ejus. De cujus tam repentino obitu est inter Litteras Principum egregia Epistola Heronymi Seripandi Archiepiscopi Salernitani ad Episcopum Fesulanum: quâ dolens vehementissimè de hujusmodi Reipublicæ Christanæ afflictione - existimavit *voluisse Deum, tantam proximæ reformationis spem tollendo, ostendere non eam operâ humanâ exspectandã esse, sed divina manu, & modo hominibus incognito.* Non tamen defuêre, qui eum veneno sublatum suspicati sint, quod impius chirurgus occulto ulceri, quo Marcellus jam pridem infestabatur, à tantæ virtutis hostibus corruptus, illevisset. Cadaver autem publico funere elatum tenui pompâ, in Vaticanâ Ecclesiâ conditum est marmoreo monumento. Vixit annos quinquaginta quatuor minus quinque diebus.] Hæc de Marcelli obitu ille; nos lachrymas, non verba addimus.

Fuit in reformationis materiâ, spes altera Romæ.

Cur ante diem sublatus?

Videntur adhuc post mortem sancta illius exuviæ funeream superbiam detestata.

PAULUS IV.

CCCCI.

EDitâ Bullâ si Ernesto creditur, huic ipsi Paci Religionis (quæ ipso 23. Maij Anno 1555. ad Pontificatum evecto, quatuor post mensibus 25. Septembris, Augustæ in Comitiis conclusa fuit) contradixisse posteà fertur. Nam ipsis Comitiis Legatus Apostolicus non interfuit. Cardinalis enim Moronus ad ea missus, auditâ morte Iulii III. qui 23. Martij decesserat, mox in Urbem ad novi Pontificis Electionem, rediit, comite Ottone Cardinale Truchsesio, & Episcopo Augustano, sed ante eorum adventum 9. Aprilis electus est Marcellus II. ipsoque Pontificatûs initio 1. Maij vitâ functus. Quæ duorum Pontificum mors, & tertii electio recens peracta, causa fuit, quo minus Legatus Apostolicus ad Comitia denuò mitteretur, & nomine sedis Apostolicæ Paci Religionis se opponeret.

Debuisse Moronum potiùs mansisse Augustæ ostendi num. 66.

CCCCII.

Etsi verò Pauli IV. Bullam, seu litteras ad Carolum V. ait Ernestus,

ctus, nobis videre non contigit: ejus tamen de Pace Religionis sententiâ ex Epistolâ Antonii Possevini ad Regem Poloniæ, quæ habetur in fine Operum ipsius, manifesta est. Possevinus enim Regi Stephano, ne hæreticis Poloniæ libertatem hæresis Paci Religionis similem condederet, non aliis argumentis persuasit, quàm quæ Cardinalem Hosium à Paulo IV. de memoratâ Pace interrogatum, protulisse testatur. Præcipuè notanda sunt ea verba. *Non ignorat Sanctitas vestra, quod N. agnoverit, quam absurda, quamque multa impia decretum hoc in se contineret, quodque multum reslitans, multis priùs profusis Lachriimis invitus subscripserit*, Et paulò infrà: *Certè concedere, qualia fuerunt in illis Comitiis postulato, nihil aliud fuit, quàm Christum negare*, &c. Etsi verò Possevinus, neque Cæsaris Ferdinandi nomen, neque Pacem Religionis exprimat, evidens tamen est, tempore Pontificatûs Pauli IV. & mentione rerum Germanicarum, & quòd ea Libertas Confessioni Augustanæ in solo Imperio receptæ, concessa dicitur: quòd denique articuli ab Hosio producti, in Pace Religionis reperiuntur, eam ipsam ejusque autorem Ferdinandum condemnari.

Anne erit argumentatio alicujus ponderis, quæ per tot dubios circulos & ambages?

CCCCIII.

Mali permissio bona esse potest. An mala permittere sit negare Christum.

Et respondeo, posse & solere multa absurda prudenter, exorbitantia moderatè, impia piè, injusta justè, iniqua æquè permitti, cùm necessitas urget, aut illa permittere, aut majora. Cæterùm impia & hæretica permittere esse Christum negare; non concedo, non nego, sed distinguo. Fateor enim esse Christum negare, si permissio sit libera, nec majoris boni utilitate compensetur; si sit necessaria diffiteor. Cùm igitur illa permissio libera fuerit iisimet Principibus hæreticis, qui multitudine & violentiâ se tolerandos pronuntiarunt; Turcorum Imperatori summo, qui Ungariam invadendo, Cæsarem enervabat; Regi Galliæ, qui vel iuvando Turcos, vel Hæreticos in causâ erat, ut nec illi retundi, nec compesci isti possent: hos omnes ejusdem reos proclamo; non tamen Carolum, non Ferdinandum, non Catholicos reliquos qui Hæreticorum, Gallorum, & Turcorum potentiâ excissi & divisi ad tales sunt redacti miserias, ut debuerint necessariò permittere, hæresim in toto vel in parte. Qui igitur Turcos & Hæreticos, utrosque Galli favore armatos, simul superare non poterant, ne vincerentur ab utrisque, maluerunt

Rex Galliæ omnium malorum causa.

suâ tolerantiâ divincire Hæreticorum animos, ne hæresis ulteriùs serperet, ne Mahometanismus ingrueret, quàm omnia simul perdere; quod omninò contingeret, si Ungariam Turca, & Hæretici totam occuparent Germaniam.

CCCCIV.

Pontifex cum Gallia Rege contra Imperatorem conspirat.

Cæterùm tametsi meo pio Lectori ista viderétur sufficere; non enim urgeor ab Ernesto; quia scio potiora posse adduci, quæ ille nescit, volo hæreamus tantisper & aliqua consideremus. Anno M.DLV. Pax Religionis inita est. Eodem anno, num. 11. Spondanus. *Inter Paulum Pontificem & Henricum Regem* (Galliæ) *clanculum, Cardinalis Lotharingii operâ fœdus percussum est ad occupationem regni Neapolitani; quod in exitiosum & infaustum bellum erupit. Erat enim Pontifex alieno prorsus ab Imperatore animo, tum ob privatas ipsius, ac communes Familiæ Carafæ, male sæpe ab impotenti Hispanorum dominatu habitæ injurias; tum verò ob quasdam triremes in portu Centumcellarum captas; & maximè ob insidias in ipsum jam Pontificem, ejusque vitam & authoritatem ab Imperatoris fautoribus constructas* (*sive illæ omninò veræ fuerint, sive nonnihil in speciem conficta*) *quarum occasione multi repentè, interque eos nonnulli Cardinales in carcerem conjecti sunt.* Et anno sequente 1556. num. 1. hæc mirabilia scribit. *Inter Carolum Imperatorem, Henricum Galliæ Regem, & Philippum Hispaniæ induciæ quinquennales terrâ marique per omnes ipsorum ditiones pactæ fuere, & iurejurando utrimque firmatæ. Quas licet ægrè ferret Paulus Pontifex à Rege factas esse se inscio, qui priùs fœdus cum eo iterat, nihilominùs rem dissimulans etiam Legatos Cardinales Scipionem Rebibam Siculum, Pisanum ab Archiepiscopatu dictum, ad Imperatorem & Philippum, Carolum Carafam nepotem ad Regem destinavit, qui de induciis gratularetur & ad pacem sanciendam hortaretur, quo posset Concilium reassumi & concordia Ecclesiæ [illegible] restitui. Regi verò* (nota bene; & funde lachrymas, si hæc vera [illegible]) *præterea gladium & Pileum nocte Natalis Domini de more benedictos transmittens eum de bello* (ita ne?) *sollicitavit.* Progreditur; recenset, qualiter ipse summus Pontifex, neminem morans, nonnullos Cardinales & Proceres suspectos, ipsumque etiam Philippi Regis Oratorem, quòd cum aliis in se conspirasset, in carcerem conjecerit: & quòd lepidius est, qualiter Lotharingius Cardinalis Regem Galliæ à juramento Hispanis præstito absolverit, & contra fidem præstitam ad arma concitarit. Additque Anno 1558. num. 8. qualiter noluerit Ferdinandum post renuntiationem Caroli in Imperatorem suscipere.

Si hæc vera; ubi in mundo fidelitas? si hæc falsa, ubi historiæ veracitas?

Hæc

Hæc non scribo, sed exscribo. Pium subiectum humanis passionibus non facio, sed reperio: repono, qualis ab Spondano Gallo Authore & nobis non multum affecto depingitur; ut videat prudens lector, si fortè aliqua legat ab hoc Pontifice in Cæsarem dicta aut scripta, Religionem esse statum tendendi in perfectionem, Episcopatû esse hominum Perfectorum Ordinem; & tamen esse multos Religiosos non proficientes, & multos Episcopos non sanctos. Ejusmodi sunt omnia humana. Rationibus & non exemplis debent regi quoniam homines passionibus humanis obstringimur, & tametsi Pontifices aut Cæsares non debemus inconsideratè proponi in exemplar, quod sequi universi teneantur.

An injuramentis Rerum publicarum dispensatio habeat locum? & idem num. 393

PIUS V.

CCCCV.

Apostolicæ sedis protestatio.

HInc ad annum Christi M. D. LXVI. transit Ernestus, apud quem summus Pontifex Cardinalem Ioannem Franciscum Commendonem Augustam ad Comitia ablegavit, paulòque post per litteras ei mandavit, ut si quæ adversus Concilium Tridentinum decreta, fierent, eaque Cardinalis impedire non posset, nomine sedis Apostolicæ protestationem interponeret. Quod his præcipuè verbis fecit: *Itaque ut muneris mei partes hâc in re præstem, ac ut ejusdem S. D. N. jussa hâc in parte exequar, postquam S. C. M. Maximilianum II. Prælatos ac Principes Catholicos non modò semel, sed bis & pluries, ob D. N. IESV Christi viscera obtestatus sum, requisivi & admonui, ne permittant ac consentiant deveniri ad hanc tacitam vel expressam Confirmationem recessûs Anno 1555. (quatenus continet Pacem Religionis) obquam aliquâ ratione, vel modo minimâ etiam in parte, Concilii Tridentini decretis præsertim in ejus dogmatibus præjudicari possit. Et cùm mihi facultas non detur, hoc Officium præstare publicè in eorum Congregationibus & Conciliis, ob interventum nonnullorum Principum; qui Religioni nostræ adversantur, & ad evitanda scandala quæ oriri possunt; coram Notario & testibus protestor nomine S. Sedis Apostolicæ ac S. D. N. me nedum hisce eorum Ordinationibus & Statutis non consensisse, & consentire, verùm etiam expressè contradixisse, & contradicere; prout & nunc contradico ad perpetuam rei memoriam.* Ne verò quis de hâc protestatione ambigat, subdit Ernestus, noverit

ejus exemplum Authenticum in Archivo Episcopatus Augustani asservari, unde hæc exscripsimus.

CCCCVI. *Valde utilis hac protestatio asseritur.*

Respondeo me libenter legere Pontificem in Augustanis illis Comitiis contra Pacem Religionis aut similes quoscumque contractus protestatum; id enim debere fieri sentio, & num. 18.) persuadeo. Desiderarem tamen scire, an hæc protestatio fuerit solummodò concepta & scripta; an etiam solenniter tradita; quoniam solennitate deficiente, multum illam roboris amittere manifestum est. Debuit igitur Cardinalis publico & solenni scripto protestari, & per procuratores suos singulis Principibus, etiam Hæreticis, protestationem suam intimare. Quod si factum, ut puto, nihil contra me obiicit hîc Ernestus, sed Conclusionem X. (num. 18. à me positam) placuisse probat.

URBANUS VIII.

CCCCVII. *An Urbanus partialis.*

Laudit Pontificum seriem Ernestus Urbano VIII. quem fuisse partialem non dicam, quoniam dici non debent, quæ tam clara, ut non possint negari. Ipse à Deo judicatus, à nobis judicandus non est; tum quia potuit bono animo duci, & decipi aliorum consilio; tum quia nos potuimus erravisse, ubi sanctè processisse putamus. Grandia sunt & ambigua, quæ summorum Principum conscientias tangunt. Pios homines illos esse crediderо; quia homines, erravisse non miror; quia pios, sinceritatem & dictaminis ductum in ipsismet erroribus, si dantur, laudo. Ad rem venio. Urbanus igitur datis litteris, quas Nuntius Apostolicus Anno 1631. Francofurti Legato Cæsaris exhibuit; neque Cæsarem, neque alios Status, aut Episcopos potestatem habere, de Ecclesiæ bonis aut juribus quidquam hostibus Ecclesiæ in ejus præjudicium per pacta tradendi aut permittendi, apertè significavit. In eandem sententiam respondit Romæ Anno 1634. Legato Electoris Moguntini: nimirùm Catholicos non posse cum Hæreticis de bonis Ecclesiæ & Religione pacisci, imò nec Papam posse dare consensum aut potestatem. (NB. Ejusdem Pontificis nomine adversus Amnistiam nuper Ratisbonæ conclusam protestationem Cæsari obtulit Illustrissimus & Reverendissimus D. Dominus Caspar Archiepiscopus Athenarum,

ad S.

ad S.E.M. cum potestate Legati de Latere Nuntius, in hæc verba.

Cùm in præsentibus Imperialibus Comitiis, de mandato V. C. M. in hâc Ratisbonensi Civitate convocatis, conclusum fuerit super Amnistiâ infra scripti seu alterius tenoris, &c. ac diversa fuerint ab Hæreticis producta in Directoriis, ut vocant, gravamina, cumque hæc sint contra SS. Patrum Decreta, Concilia Oecumenica Generalia, & Constitutiones summorum Pontificum; Ideò Ego Gaspar Archiepiscopus Athenarum, S. D. N. Vrbani Papæ VIII. ac sedis Apostolicæ Nuntius, Sanctitatis suæ, ac S. Sedis nomine, sicuti sui Pastoralis Officij sollicitudo postulat, C. M. V. ut Catholicæ Romanæ Advocatum ac defensorem rogo, requiro & hortor: ut Majorum suorum vestigiis inhæreat, & ut pietatem M. V. decet, incolumitatem & integritatem Religionis Catholicæ, & Ecclesiasticorum ac piorum locorum, Personarumque Ecclesiasticorum indemnitatem tueatur & neque permittat, aut consentiat secùs quid fieri. Aliàs omni meliori modò ejusdem S. D. N. ac sedis Apostolicæ nomine repugno & resisto; meque semper repugnare & resistere velle profiteor, prout certus sum, quod idem S.D.N. ac ipsa sedes Apostolica repugnabit & resistet. Datum Ratisbonæ 18. Aprilis Anno 1641. Hæc Ernestus obiicit.

Archiepiscopi Atheniensis protestatio.

a. Fortè qui legit illud, omni meliore modo, prudenter dubitabit, An ex errore facta fuerit Ratisbonæ protestatio, quæ debebat Parisiis? An non potiùs Cæsar indigeret viribus, quàm verbis? An non oportuniùs milites & pecunias Germaniæ Orthodoxæ reciperet, quàm se recepisse legeret in Spondano Anno 1632. num. 2 ita ut debeat tota Europa credere, quod ipsa ignorat. Vide num. 410.

Et respondeo nihil contra nos & Comitiorum Acta in hac objectione reperiri: omnia enim quæ ponũtur, si debitè intelligantur sunt vera. Hæc propositio, *Nec Cæsar, nec Imperii Status etiam Episcopi, potestatem habent de Ecclesiæ bonis aut juribus quidquam hostibus Ecclesiæ in ejus præjudicium per pacta tradendi aut permittendi*, vera est; & Pontifice digna. Falsa hæc, *Debent potiùs permittere quòd pereat Ecclesia, quàm quòd aliqua ejusdem Ecclesiæ bona aut jura Heterodoxis permittantur*: Principes enim ex officio sunt Protectores & Advocati Ecclesiæ, tenenturque eam pro viribus defendere, nec permittere possunt quòd pereat, etiam si (quod absit, & moraliter impossibile est) hoc ipsum præciperet Pontifex. Protestationem Atheniensis Antistitis exosculor, & illâ Conclusionem meam decimam & numerum XVIII. firmo: & confirmo Brevi Apostolico, ad Illustrissimum Dominum Episcopum Augustanum transmisso, quo etiam Ernestus utitur, quod & ego hîc scribo.

CCCCVIII. Omnia esse vera ostenditur.

VRBANVS PAPA VIII. Propositam Francofurti de Ecclesiasticis bonis Hæreticorum potestati committendis sententiam ex Fraternitatis tuæ litteris, tum etiam ex supplici libello ad Nos transmisso non sine ingenti molestiâ

CCCCIX. Puto his similes fuisse litteras inscriptas Ferdi-

Spondanus ad annum 1555. num. 9.

CCCXCVIII. *De bello Hispano-Gallico.*

nam ratione & ipse & nepotes ex fratre essent victuri, *Magnificè respondit, & ut Principes decet*; quod & re egregriè ipse; & alij post ipsum præstiterunt.

Religionis concordiam, quam Marcellus conversationis suæ humilitate & modestiâ, & cognatorum suorum neglectu promovebat, bella Hispano-Gallica retardabant; sed ipse Oratores Imperatoris & Regis Galliæ ad se accitos gravissima oratione commonuit, *ut de his quæ iam Regibus scripserat, & ipsi eosdem certiores facerent; seque, ni in pace ineundâ consentirent, præter Nuntios Legatosque ad illos esse profecturum.* Libenter lego. Quoniam Paulus III. ad Imperatorem & Galliæ Regem propter Lutheranos Nicêam venit: sic puto, tametsi alii ab eo ob promotionem matrimoniaque suorum nepotum hoc iter adsumptum calumnientur. S. Ioannes I. propter Arianos Constantinopolin ad Imperatorem Iustinum, Regis Theodorici Legatus: Marcellus in animo habebat Galliam & Hispaniam peragrare; & audîmus hodie Cardinales non posse esse Regum Legatos; imò retardari aliquando eorumdem negotia, si ejusmodi dignitatem adsumant.

Anne Pontifex & Cardinales esse legati possint?

CCCXCIX. *Marcelli æquitas justitiaque. Spondanus. Gramondus libr. 2. Anno 1616. pag. 107. Haucastellus damnatur capite.*

Sed quia Iustitia maximè necessaria est: sit Ludovico XIII. Christianissimo Regi exemplo Marcellus, cujus virtutes brevi stylo recenseo; Oratori enim Regis Hispaniarum, cùm pro quodam nobilissimo Romano veniam peteret, *Pontificatum se ab homicidii absolutione auspicari nelle*, respondit. Alia sunt; alia sunt; quæ apud Gramondum lego. [Ad Archiepiscopum Burdigalensem, Cardinalem Surdisium munus Sacri nuptialis spectabat in Metropoli suâ; obstitit crimen cui se incautus implicuit pridie festi, in hunc modum. Postquam Haucustello (is prosapia Nobilis erat) Parlamenti Burdigalensis judicio capitis pœna irrogata, vocati de more apparitores, & municipii magistratûs dabant se in viam traducendo in patibulum reo: ipsa plebs altâ exspectatione circumfusa Gemonias latè impleverat, cùm Surdisius Cardinalis amico liberando in carcerem properat; præferebantur insignia Redemptionis humanæ, Crux Archiepiscopis præire solita: Crucem stipabant Satellites, violandæ si opus custodiæ; carcere extracto solvuntur, vincula, vindicatur in libertatem reus, & neci eximitur: inauditum in hanc diem, damnatum reum, dum patibulo imminet, presbyteri ausu vi armatâ tortori ereptum. In urbe Rex erat, eoque violatæ custodiæ atrocius crimen: nec satis effracto carcere, nisi & carceris custos caderet adverso telo.

Cardinalis Carcerem init, Cruce abutitur. carcer effringitur, & liberatur reus. Custos occiditur.

Is dum

Is dum officio strenuè defungitur, prohibendo privatam vim autoritate publicâ, occumbit infestâ manu, consultò cæsus, necne, incertum est: certè id constat violatam Archiepiscopi facto custodiam, ereptum patibulo reum, cæsum, dum obsistere audet, custodem. Excanduit cujus res præcipuè agebatur Burdigalensis Senatus, solennique ad Regem legatione, unà cùm reliquis Ordinibus juri in Urbe dicundo præpositis, palam questus est. *Violatum ius publicum, temeratam Regis autoritatem à Præsule, cæsam à Pastore ovem.* Quærelam subsequitur ejusdem Parlamenti decretum, quo in Archiepiscopum indicta manûs injectio, jamque præparandæ liti citatio triplex præcesserat damnando mox per contumaciam reo, cùm intercessit Rex causam ad se evocatam in suspenso habens, donec se Archiepiscopus judicio sisteret: nec multò pòst Regio rescripto absolvitur, ac si nefas foret festivâ in nuptias die de Cardinali quæstionem haberi; ita capitale crimen à Præsule patratum primùm fugâ, deinde Regis clementiâ elusum.] Rem non urgeo: nec à Cardinale civem posse occidi, aut Cardinalem à Rege puniri pronuntio; sed historias oppositas omninò ob eruditionem compono.

Senatus queritur.

An Cardinalis isque Archiepiscopus à Parlamento possit incarcerari?

Cardinalis absolvitur.

Anne inauspicata Imperii initia sint, quæ à sententiâ sanguinis?

CCCC.

Hæc occasione Marcelli dicta sunt. Plura de ipso, quia vixit brevius, conversatus humiliùs, rexit altiùs. Ad fatum venio: Appamiarum Episcopum audio; sic infit. [Cum autem sic esset totus in excogitandis modis, quibus Ecclesiam ab hæresibus & vitiis, Rempublicam à Bellis & dissensionibus, Romanam Curiam à superfluis sumptibus, & pompis inutilibus expurgaret; inscrutabili Dei judicio factum est, ut &c.] Nota omnia & singula; Finis ultimus erat Marcello gloria Dei, hæresum extirpatio: finis intermedius armorum proscriptio & bellorum cessatio: mediumque unicum? Romanæ Curiæ à superfluis sumptibus & pompis inutilibus expurgatio. Sed connectit sequentia. [Factum est, inquit, ut qui nativâ corporis compositioe non satis firmis esset viribus, atque anno superiori diu etiam febri laborasset, jamque conclavis incommodis & concursantium receptionibus; ac cum ceteris publicis muneribus, tùm maximè solemnibus Dominicæ Passionis & Resurrectionis cæremoniis, quæ per Pontifices fieri consueverunt, fatigatus fuisset, duodecimo Pontificatûs die ex pituitâ in febrim incidens emisso sanguine paulùm recreatus, cùm rursum negotiis intenderet, pridie Calendas Maij de

Spondanus. Marcelli studium publicum.

Valetudo.

Morbus, Restitutio,

Reincidentia. Et mors.

repenti apoplexi correptus, sequenti nocte vitâ exutus sit vigesimo secundo electionis die, incredibili omnium bonorum dolore, quibus spes affulserat emendationis, & aurei sub illo sæculi. Sublatus fortè divinâ benignitate, ne malitia mutaret intellectum ejus. De cujus tam repentino obitu est inter Litteras Principum egregia Epistola Heronymi Seripandi Archiepiscopi Salernitani ad Episcopum Fesulanum: quâ dolens vehementissimè de hujusmodi Reipublicæ Christanæ afflictione - existimavit *voluisse Deum, tantam proximæ reformationis spem tollendo, ostendere non eam operâ humanâ exspectandã esse, sed divina manu, & modo hominibus incognito.* Non tamen defuêre, qui eum veneno sublatum suspicati sint, quod impius chirurgus occulto ulceri, quo Marcellus jam pridem infestabatur, à tantæ virtutis hostibus corruptus, illevisset. Cadaver autem publico funere elatum tenui pompâ, in Vaticanâ Ecclesiâ conditum est marmoreo monumento. Vixit annos quinquaginta quatuor minus quinque diebus.] Hæc de Marcelli obitu ille; nos lachrymas, non verba addimus.

Fuit in reformationis materiá, spes altera Roma.

Cur ante diem sublatus?

Videntur adhuc post mortem sancta illius exuviæ funeream superbiam detestata.

PAULUS IV.

CCCCI.

EDitâ Bullâ si Ernesto creditur, huic ipsi Paci Religionis (quæ ipso 23. Maij Anno 1555. ad Pontificatum evecto, quatuor post mensibus 25. Septembris, Augustæ in Comitiis conclusa fuit) contradixisse posteà fertur. Nam ipsis Comitiis Legatus Apostolicus non interfuit. Cardinalis enim Moronus ad ea missus, auditâ morte Iulii III. qui 23. Martij decesserat, mox in Urbem ad novi Pontificis Electionem, rediit, comite Ottone Cardinale Truchsesio, & Episcopo Augustano, sed ante eorum adventum 9. Aprilis electus est Marcellus II. ipsoque Pontificatûs initio 1. Maij vitâ functus. Quæ duorum Pontificum mors, & tertii electio recens peracta, causa fuit, quo minus Legatus Apostolicus ad Comitia denuò mitteretur, & nomine sedis Apostolicæ Paci Religionis se opponeret.

Debuisse Moronum potiùs mansisse Augustæ ostendi num. 66.

CCCCII.

Etsi verò Pauli IV. Bullam, seu litteras ad Carolum V. ait Ernestus,

ctus, nobis videre non contigit: ejus tamen de Pace Religionis sententiâ ex Epistolâ Antonii Possevini ad Regem Poloniæ, quæ habetur in fine Operum ipsius, manifesta est. Possevinus enim Regi Stephano, ne hæreticis Poloniæ libertatem hæresis Paci Religionis similem condederet, non aliis argumentis persuasit, quàm quæ Cardinalem Hosium à Paulo IV. de memoratâ Pace interrogatum, protulisse testatur. Præcipuè notanda sunt ea verba. *Non ignorat Sanctitas vestra, quod N. agnoverit, quam absurda, quamque multa impia decretum hoc in se contineret, quodque multum restitans, multis priùs profusis Lachriimis invitus subscripserit*, Et paulò infrà: *Certè concedere, qualia fuerunt in illis Comitiis postulato, nihil aliud fuit, quàm Christum negare*, &c. Etsi verò Possevinus, neque Cæsaris Ferdinandi nomen, neque Pacem Religionis exprimat, evidens tamen est, tempore Pontificatûs Pauli IV. & mentione rerum Germanicarum, & quòd ea Libertas Confessioni Augustanæ in solo Imperio receptæ, concessa dicitur: quòd denique articuli ab Hosio producti, in Pace Religionis reperiuntur, eam ipsam ejusque autorem Ferdinandum condemnari.

Anne erit argumentatio alicujus ponderis, quæ per tot dubios circulos & ambages?

CCCCIII.

Mali permissio bona esse potest. An mala permittere sit negare Christum.

Et respondeo, posse & solere multa absurda prudenter, exorbitantia moderatè, impia piè, injusta justè, iniqua æquè permitti, cùm necessitas urget, aut illa permittere, aut majora. Cæterùm impia & hæretica permittere esse Christum negare; non concedo, non nego, sed distinguo. Fateor enim esse Christum negare, si permissio sit libera, nec majoris boni utilitate compensetur; si sit necessaria diffiteor. Cùm igitur illa permissio libera fuerit iisdmet Principibus hæreticis, qui multitudine & violentiâ se tolerandos pronuntiarunt; Turcorum Imperatori summo, qui Ungariam invadendo, Cæsarem enervabat; Regi Galliæ, qui vel iuvando Turcos, vel Hæreticos in causâ erat, ut nec illi retundi, nec compesci isti possent: hos omnes ejusdem reos proclamo; non tamen Carolum, non Ferdinandum, non Catholicos reliquos qui Hæreticorum, Gallorum, & Turcorum potentiâ excessi & divisi ad tales sunt redacti miserias, ut debuerint necessariò permittere, hæresim in toto vel in parte. Qui igitur Turcos & Hæreticos, utrosque Galli favore armatos, simul superare non poterant, ne vincerentur ab utrisque, maluerunt

Rex Galliæ omnium malorum causa.

suâ tolerantiâ divincire Hæreticorum animos, ne hæresis ulteriùs serperet, ne Mahometanismus ingrueret, quàm omnia simul perdere; quod omninò contingeret, si Ungariam Turca, & Hæretici totam occuparent Germaniam.

CCCCIV.

Pontifex cum Galliæ Rege contra Imperatorem conspirat.

Cæterùm tametsi meo pio Lectori ista viderêtur sufficere; non enim urgeor ab Ernesto; quia scio potiora posse adduci, quæ ille nescit, volo hæreamus tantisper & aliqua consideremus. Anno M.DLV. Pax Religionis inita est. Eodem anno, num. 11. Spondanus. *Inter Paulum Pontificem & Henricum Regem* (Galliæ) *clanculum, Cardinalis Lotharingii operâ fœdus percussum est ad occupationem regni Neapolitani; quod in exitiosum & infaustum bellum erupit. Erat enim Pontifex alieno prorsus ab Imperatore animo, tum ob privatas ipsius, ac communes Familiæ Carafæ, male sæpe ab impotenti Hispanorum dominatu habitæ injurias; tum verò ob quasdam triremes in portu Centumcellarum captas; & maximè ob insidias in ipsum jam Pontificem, ejusque vitam & authoritatem ab Imperatoris fautoribus constructas (sive illæ omninò veræ fuerint, sive nonnihil in speciem confictæ) quarum occasione multi repentè, interque eos nonnulli Cardinales in carcerem coniecti sunt.* Et anno sequente 1556. num. 1. hæc mirabilia scribit. *Inter Carolum Imperatorem, Henricum Galliæ Regem, & Philippum Hispaniæ induciæ quinquennales terrâ marique per omnes ipsorum ditiones pactæ fuere, & iurejurando utrimque firmatæ. Quas licet ægrè ferret Paulus Pontifex à Rege factas esse se inscio, qui priùs fœdus cum eo iterat, nihilominùs rem dissimulans etiam Legatos Cardinales Scipionem Rebibam Siculum, Pisanum ab Archiepiscopatu dictum, ad Imperatorem & Philippum, Carolum Carafam nepotem ad Regem destinavit, qui de induciis gratularetur & ad pacem sanciendam hortaretur, quo posset Concilium reassumi. & concordia Ecclesiæ & n[illegible]ni restitui. Regi verò* (nota bene; & funde lachrymas, si hæc vera cre[illegible]) *præterea gladium & Pileum nocte Natalis Domini de more benedictos transmittens eum de bello* (ita ne?) *sollicitavit.* Progreditur; recenset, qualiter ipse summus Pontifex, neminem morans, nonnullos Cardinales & Proceres suspectos, ipsumque etiam Philippi Regis Oratorem, quòd cum aliis in se conspirasset, in carcerem conjecerit: & quòd lepidius est, qualiter Lotharingius Cardinalis Regem Galliæ à juramento Hispanis præstito absolverit, & contra fidem præstitam ad arma concitarit. Additque Anno 1558. num. 8. qualiter noluerit Ferdinandum post renuntiationem Caroli in Imperatorem suscipere.

Si hæc vera; ubi in mundo fidelitas? si hæc falsa, ubi historiæ veracitas?

Hæc

Hæc non scribo, sed exscribo. Pium subjectum humanis passionibus non facio, sed reperio: repono, qualis ab Spondano Gallo Authore & nobis non multum affecto depingitur; ut videat prudens lector, si fortè aliqua legat ab hoc Pontifice in Cæsarem dicta aut scripta, Religionem esse statum tendendi in perfectionem, Episcopatū esse hominum Perfectorum Ordinem; & tamen esse multos Religiosos non proficientes, & multos Episcopos non sanctos. Ejusmodi sunt omnia humana. Rationibus & non exemplis debent regi quoniam homines passionibus humanis obstringimur, & tametsi Pontifices aut Cæsares non debemus inconsideratè proponi in exemplar, quod sequi universi teneantur.

An injuramentis Rerum publicarum dispensatio habeat locum? Vide num. 393

PIUS V.

CCCCV.

Apostolicæ sedis protestatio.

Hinc ad annum Christi M. D. LXVI. transit Ernestus, apud quem summus Pontifex Cardinalem Ioannem Franciscum Commendonem Augustam ad Comitia ablegavit, paulòque post per litteras ei mandavit, ut si quæ adversus Concilium Tridentinum decreta, fierent, eaque Cardinalis impedire non posset, nomine sedis Apostolicæ protestationem interponeret. Quod his præcipuè verbis fecit: *Itaque ut muneris mei partes hâc in re præstem, ac ut ejusdem S. D. N. jussa hâc in parte exequar, postquam S. C. M. Maximilianum II. Prælatos ac Principes Catholicos non modò semel, sed bis & pluries, ob D. N. IESU Christi viscera obtestatus sum, requisivi & admonui, ne permittant ac consentiant deveniri ad hanc tacitam vel expressam Confirmationem recessûs Anno 1555. (quatenus continet Pacem Religionis) ob quam aliquâ ratione, vel modo minimâ etiam in parte, Concilii Tridentini decretis præsertim in ejus dogmatibus præjudicari possit. Et cùm mihi facultas non detur, hoc Officium præstare publicè in eorum Congregationibus & Conciliis, ob interventum nonnullorum Principum; qui Religioni nostræ adversantur, & ad evitanda scandala quæ oriri possunt; coram Notario & testibus protestor nomine S. Sedis Apostolicæ ac S. D. N. me nedum hisce eorum Ordinationibus & Statutis non consensisse, & consentire, verùm etiam expreßè contradixisse, & contradicere; prout & nunc contradico ad perpetuam rei memoriam.* Ne verò quis de hâc protestatione ambigat, subdit Ernestus, noverit

ejus exemplum Authenticum in Archivo Episcopatus Augustani asservari, unde hæc exscripsimus.

CCCCVI. *Valde utilis hæc protestatio asseritur.*

Respondeo me libenter legere Pontificem in Augustanis illis Comitiis contra Pacem Religionis aut similes quoscumque contractus protestatum; id enim debere fieri sentio, & num. 18.| persuadeo. Desiderarem tamen scire, an hæc protestatio fuerit solummodò concepta & scripta; an etiam solenniter tradita; quoniam solennitate deficiente, multum illam roboris amittere manifestum est. Debuit igitur Cardinalis publico & solenni scripto protestari, & per procuratores suos singulis Principibus, etiam Hæreticis, protestationem suam intimare. Quod si factum, ut puto, nihil contra me obiicit hîc Ernestus, sed Conclusionem X. (num. 18. à me positam) placuisse probat.

URBANUS VIII.

CCCCVII. *An Urbanus partialis.*

Laudit Pontificum seriem Ernestus Urbano VIII. quem fuisse partialem non dicam, quoniam dici non debent, quæ tam clara, ut non possint negari. Ipse à Deo judicatus, à nobis judicandus non est; tum quia potuit bono animo duci, & decipi aliorum consilio; tum quia nos potuimus erravisse, ubi sanctè processisse putamus. Grandia sunt & ambigua, quæ summorum Principum conscientias tangunt. Pios homines illos esse crediderо; quia homines, erravisse non miror; quia pios, sinceritatem & dictaminis ductum in ipsismet erroribus, si dantur, laudo. Ad rem venio. Urbanus igitur datis litteris, quas Nuntius Apostolicus Anno 1631. Francofurti Legato Cæsaris exhibuit; neque Cæsarem, neque alios Status, aut Episcopos potestatem habere, de Ecclesiæ bonis aut juribus quidquam hostibus Ecclesiæ in ejus præjudicium per pacta tradendi aut permittendi, apertè significavit. In eandem sententiam respondit Romæ Anno 1634. Legato Electoris Moguntini: nimirùm Catholicos non posse cum Hæreticis de bonis Ecclesiæ & Religione pacisci, imò nec Papam posse dare consensum aut potestatem. (NB. Ejusdem Pontificis nomine adversus Amnistiam nuper Ratisbonæ conclusam protestationem Cæsari obtulit Illustrissimus & Reverendissimus D. Dominus Caspar Archiepiscopus Athenarum,

ad S.

ad S.E. M. cum potestate Legati de Latere Nuntius, in hæc verba.

Cùm in præsentibus Imperialibus Comitiis, de mandato V. C. M. in hâc Ratisbonensi Civitate convocatis, conclusum fuerit super Amnistiâ infra scripti seu alterius tenoris, &c. ac diversa fuerint ab Hæreticis producta in Directoriis, ut vocant, gravamina, cumque hæc sint contra SS. Patrum Decreta, Concilia Oecumenica Generalia, & Constitutiones summorum Pontificum; Ideò Ego Gaspar Archiepiscopus Athenarum, S. D. N. Vrbani Papæ VIII. ac sedis Apostolicæ Nuntius, Sanctitatis suæ, ac S. Sedis nomine, sicuti sui Pastoralis Officij sollicitudo postulat, C. M. V. ut Catholicæ Romanæ Advocatum ac defensorem rogo, requiro & hortor: ut Majorum suorum vestigiis inhæreat, & ut pietatem M. V. decet, incolumitatem & integritatem Religionis Catholicæ, & Ecclesiasticorum ac piorum locorum, Personarumque Ecclesiasticorum indemnitatem tueatur & neque permittat, aut consentiat secùs quid fieri. Aliàs omni meliori modo ejusdem S. D. N. ac sedis Apostolicæ nomine repugno & resisto; meque semper repugnare & resistere velle profiteor, prout certus sum, quod idem S.D.N. ac ipsa sedes Apostolica repugnabit & resistet. Datum Ratisbonæ 18. Aprilis Anno 1641.
Hæc Ernestus obiicit.

Archiepiscopi Atheniensis protestatio.

a. Fortè qui legit illud, omni meliore modo, prudenter dubitabit, An ex errore facta fuerit Ratisbonæ protestatio, quæ debebat Parisiis? An non potiùs Cæsar indigeret viribus, quàm verbis? An non opportuniùs milites & pecunias Germaniæ Orthodoxæ reciperet, quàm se recepisse legeret in Spondano Anno 1632. num. 2 ita ut debeat tota Europa credere, quod ipsa ignorat. Vide num. 410.

Et respondeo nihil contra nos & Comitiorum Acta in hac objectione reperiri: omnia enim quæ ponũtur, si debitè intelligantur sunt vera. Hæc propositio, *Nec Cæsar, nec Imperii Status etiam Episcopi, potestatem habent de Ecclesiæ bonis aut juribus quidquam hostibus Ecclesiæ in ejus præjudicium per pacta tradendi aut permittendi*, vera est; & Pontifice digna. Falsa hæc, *Debent potiùs permittere quòd pereat Ecclesia, quàm quòd aliqua ejusdem Ecclesiæ bona aut jura Heterodoxis permittantur*: Principes enim ex officio sunt Protectores & Advocati Ecclesiæ, tenenturque eam pro viribus defendere, nec permittere possunt quòd pereat, etiam si (quod absit, & moraliter impossibile est) hoc ipsum præciperet Pontifex. Protestationem Atheniensis Antistitis exosculor, & illâ Conclusionem meam decimam & numerum XVIII. firmo: & confirmo Brevi Apostolico, ad Illustrissimum Dominum Episcopum Augustanum transmisso, quo etiam Ernestus utitur, quod & ego hîc scribo.

CCCCVIII. Omnia esse vera ostenditur.

VRBANVS PAPA VIII. Propositam Francofurti de Ecclesiasticis bonis Hæreticorum potestati committendis sententiam ex Fraternitatis tuæ litteris, tum etiam ex supplici libello ad Nos transmisso non sine ingenti molestiâ

CCCCIX. Puto his similes fuisse litteras inscriptas Ferdi-

nando II. quas suo scitu emanasse negavit posteà Vrbanus VIII. Vide num. 385.

molestiâ audivimus. Nempè facile est coniicere quanam inde animarum pernicies & sacri cultûs imminutio exspectanda esset. Eâ tamen Imperator Electus pietate pollet, eam erga Ecclesiasticos gerit propensionem, ut minimè verendum arbitremur, ne improbum illud Consilium constanter simul & religiosè reiiciat. Nos quidem, ut Pontificii muneris partes impleamus, cuncta, quæ è re ore significasti, officia occuratè adhibuimus, Deumq; precamur, ut optatus exitus gravissimo negotio haudquaquam desit. Interim quâ par est laude prosequimur insignem Zelum Fraternitatis Tuæ, cui jugem à Divinâ Clementiâ felicitatem petimus, & Apostolicam Benedictionem ex animo impertimur. Datum Romæ die 17. Octobris 1643.

CCCCX. *Peroratio ad Vrbanum VIII.*

Sic Urbanus de Cæsare, cui ad genua provolutus Ego. Discrimina, damna, mala, infortunia, quæ Comitiis per centum annos celebratis, & demum Anno M. DC. XLIII. in Francofurtensi Conventu permittuntur, magna sunt, gravia sunt, nimia sunt; sed quid inde? necessaria ipsa sunt, & necessitas lege omni caret. Moneri jubes Cæsarem, Pater Optime, & videtur hæc monitio superflua; nam & multa Constantinopoli flagitia committuntur, multa damna Ecclesiæ Romanæ inferuntur, multa templa sacrilego cultu profanantur, nec tamen moneor, ne permittam; nec jubeor, ut Mahometanos abigam; remedium enim ponere in meâ potestate non est, nec homini impossibilia debent præcipi. Igitur, si hæc omnia Ecclesiæ damna obruunt Ecclesiam in Germaniâ, & ea Cæsar impedire potest; non ipse modus modò, sed etiam venit incusandus. Quòd si libera ea non sint, sed altori; ille unicus moneri debuit, ille incusari; & non Ferdinandus Cæsar, qui supra vires operatur. Sed quis ille, in cujus manu fuit remedium ponere? qui noluit facere? qui moneri debuit, tametsi admonitio non profuit? Magnâ Ego reverentiâ meos superiores veneror; & superiorem, Antistitum Caput, Pontificem totius Ecclesiæ summâ; adeoque amanuensem agam, & quid ob oculos ponitur scribam. Spondanus ad Annum 1632. num. 2. hæc habet. [*Anxiè has omnes turbas ferens Vrbanus Pontifex, nihil non agebat, litteris, hortationibus, legationibus, quo illa componerentur, & barbari* (sic Succos cultissimam & disciplinatissimam gentem appellat) *pellerentur; pecuniis etiam subministratis. Denique frequentibus Iubilæis iram divinam placare, & opem ejus implorare, tam per se, quàm per Christianos populos satagens. Et tamen quasi hæc nihili essent, quod non ipse patrimonium totum sedis Apostolicæ venderet, quòd non pedum*

Impossibilia non jubentur.

De Vrbani VIII. negligentiâ.

Pecuniis subministratis? Sed quibus? Cæsari & Catholico Imperio? Ne urgeamur

dum hastâ, non mitram galeâ, aut crucem gladio commutaret, protestatio ei facta fuit octavo Martii (in Hispaniâ hæc non *Protestatio*, sed *Correctio fraterna*, aut *paterna*, seu *Filii ad Patrem Monitio* dicebatur) *à Cardinale Borgiâ nomine Philippi Hispaniæ Regis; quidquid detrimenti Catholica Religio pateretur, aut passura esset, non ipsi Philippo, sed Pontifici adscribendum fore. Quod mirum omninò videri possit, tum multis aliis de causis, tum verò maximè, quod qui potentissimus totius Orbis Monarcha, cui resistendo non ferè sit omnis Europa, non Asia, non Africa; haberi appetat jam tam flaccæ virtutis, tam virium debilium, etiam cum Amplissimâ Domo Austriacâ, & toto Imperio Romano, se fateretur esse ut unius prædonis Gothi aut latronis VVandali (ut ipsi appellabant) impetum sustinere non posset, aut illum è Germaniâ pellere. Sanè vix est ut in prædictâ ad Pontificem importunâ denuntiatione, non prudentiam quis desideret, aut invidiam arguat.* Volui referre verba scriptoris Ecclesiastici & Galli; quia si alios Authores producerem, fortè in ipsis modestiam debitam desiderarem; omisi marginales notas, quas calamus Germanus adscripserat, ad illa verba *pecuniis subministratis*, ad omnia, ad singula; quia multa scribuntur prudenter, quæ typis imprudenter mandantur. Transeo ad alios; Te sanctissime Pater, non esse causam harum miseriarum suppono; cur ego Te etsi viderem, vel reum crederem, vel accusarem? pronuntio tamen neminem tam prudentem in mundo qui persuadere possit, Gallum non fuisse, non esse, non fore, omnium calamitatum causam. Si summa potentia illa militum, (quibus in Cataloniâ Lusitaniâ & Belgio gentes rebelles adjuvat; quibus fideles in Italiâ impetit; quibus Calvinismum in Germaniâ citeriore promovet, & in ulteriore fortificat Lutheranismum) adderetur exercitui Cæsariano-Bavaro, quis in Europâ vel mutiret hæreticus? quis non daret manus schismaticus? Omnia igitur, Pater sanctissime, Ecclesiæ infortunia sunt uni & soli Regi Christianissimo libera; sed judicando ab illo, quem colore rhetorico & excusationibus politicis nunquam decipient Spondanus.

obsecrò; sufficit quod taceamus. Filialis Regis Hispaniæ ad Vrbanum Papam correctio. Illam ferè memoriter retineo, sed quia non reperio ipsam copiam litteratenorem non addo.

Posset quidem & prædonis Gothi, & latronis VVandali arrogantiam retundere, ni esset illis auxilio Rex Galliæ.

Omnium Germanicarum calamitatum causa.

NOTA.

TEstimonia Pontificum, ab Ernesto producta examinavimus; tantâ pro dignitate reverentiâ, ut tametsi multa audivimus viderimusve, quæ digna calamo, noluerimus velli-

CCCCXI. Galli Authores gloria Hispanorum æmuli, &

Baronius contra Benedictinos partialis. Ideò lecti & electi.

neam scribere, quæ non sit apud alios. Ex Baronio & Spondano Gramondo aliisque Catholicissimis Authoribus periodos aliquas transscripsimus, maluimusque Authores nostræ nationis hostes sequi, ne affectibus obluderemur. Quibus positis discurro sic. [Pontifices ab Ernesto citati, vel stant à nostrâ opinione, ut demonstro; vel à contrariâ, ut noster adversarius affirmat. Neutrum nos urget: Ergo. Non primum; quia nostra opinio illorum suffragio roborari supponitur; non secundum, quia nostræ opinionis veritas demonstrata est, & hominum tametsi illustrium acta dictaque debent demonstratæ veritati ancillari: & ut ostendimus, Pontifices homines sunt, & in rebus quæ non tangunt fidem, suas etiam ipsi passiones & nonnunquam perturbationes habent.]

Extra materiam Fidei Pontifices errare posse.

Sed majoris eruditionis gratiâ, id quod verum non est; nimirùm citatos Pontifices pro eo stare, Ernesto ex merâ compassione, ne omnia semper negemus, ne eum semper errare dicamus, condonemus. Quid inde? Assumit audacter & ait. Lege attentè.

CCCCXII.

[Adversus tot Pontifices, inquit, Pacem talem, qualem desiderant Protestantes, seu suadere, seu probare, est viam sibi aliisque ad supremam in Ecclesiâ authoritatem enervandam aperire. Profectò ambigua foret Dei erga Ecclesiam providentia, si Christi Vicarium in tantis Religionis Catholicæ necessitatibus decipi pateretur in eâ Pace repudiandâ, quam Theologi & Politici hujus sæculi salvâ conscientiâ non solùm iniri posse, sed etiam illicitè recusari pronuntiant.] Sic ille.

Nota illud ambigua, quod mihi summopere displicet.

Ex his paucis lineis, aliquas ego Positiones excerpo. I. *Sententia, cui Ernestus opponitur, ab hujus sæculi Theologis & Politicis* habetur: Est vera; & infero. Ergo est solà tenenda; & contraria, siquidem in re tanti momenti contra hujus sæculi Theologos & Politicos est; etiam singularis, ac per consequens temeraria est. II. *Si sententia Ernesti falsa est, providentia Dei erga suam Ecclesiam ambigua est.* Hæc est falsa; & ut puto evidenter hæretica, Providentiam enim Dei erga Ecclesiam Catholicam non esse ambiguam de fide est; & si ego non decipior, hæreticus, qui in ejusmodi Dei providentiâ non majorem agnoscit certitudinem quàm in somniis Ernesti. Quam ob rem uno verbo pronuntio, non obstante Providentiæ erga Romanam Ecclesiam certitudine posse summos Pontifices errare & decipere (homines enim

Ernesti gravissimus error.

enim sunt) in rebus, quæ fidem non tangunt: quod tametsi semper sit verum, in quæstionibus facti, quæ ab aliorum veracitate pendent, homines etiam sanctos posse decipi manifestum est.

IMPERATORES.

PRævidit Ernestus Patres, Papasque nostram Conclusionem habituros; adeoque ut vincamur armis, qui rationibus urgeri non possumus, ad historias recurrit, & inter millenos casus, quos posset contra se adlegare, paucos inter legit, ut suam sententiam sub aliquâ specie veritatis protrudat. Noto tamen Constantinum & Theodosium, quos omittit, & Honorium, quem citat, sæpe à Gallis in exemplum produci, ut sibi licere fœdus ferire cum Turcis persuadeant. Vide Spondanum *ad Ann.* 1544. *num.* 2.

Constantinus, Theodosius, Honorius Cæsares.

HONORIUS IMPERATOR.

CCCCXIII. De libertate conscientiæ indultâ Donatistis.

PRiùs timore victus ut vult Ernestus, Attalo Tyranno Africam tentaturo Religionis libertatem rescripto Donatistis concesserat. Id cum teste Baronio A. C. 410. in magnum Religionis Christianæ dispendium redundaret, rogantibus Episcopis rescidit, postridie ejus diei, quo Roma capta est ab Alarico, ut constat ex l. 51. c. Theodos. de Hæreticis. Paulo pòst misso Marcellino Tribuno, eosdem Donatistas ad collationem illam celeberrimam cum Catholicis adegit. Præclarè verò expendit Orosius lib. 7. c. 24. Honorium, quod licet undique bellis obrutus, & à multis tyrannis oppressus, à Religionis Catholicæ adversus hæreticos tuendæ studio, se non passus sit absterreri mirifica à Deo beneficia, consecutum. Apparuit sanè quàm verissimum atque certissimum sit, tunc Deum curare ac tueri Principum Regna, cum ipsi Principes pro Religione laborant. Contrà verò cùm id negligitur, vel humanâ prudentiâ (quæ ex Apostoli sententiâ Deo inimica est) in Religionem peccatur, ipsa Imperia in deterius prolabi, penitusq; consumi, ait Baronius An. Christi 411. n. 38.

CCCCXIV. Omnia pro nobis esse ostenditur.

Respondeo me hîc non Ernesti, sed meam sententiam legere. Ait Ernestus, ***Honorius libertatem Donatistis concesserat; id cum in magnum***

Religionis Christianæ dispendium redundaret, rescidit. Bisciola in Indice ex Baronio, *Honorius permittit Donatistis liberam Religionem ob periculum ne hostibus jungerentur; cessante periculo revocat edictum.* Ego de Lutheranis, *Carolus & Ferdinandus permiserunt Protestantibus liberam Religionem; non jam ob periculum ne hostibus jungerentur; non quia timebatur ne hostes fierent; sed quia iam erant hostes facti: non poterit cessare inconveniens usque ad amicabilem Religionis concordiam, & ideò Anno 1555. voluerunt pro tempore periculi & inconvenientis transigere; cessante periculo, concordiâ Religionis habitâ, conditionatus hic contractus transit in nullum. excidit ut pote temporarius qui merâ conditionis positione finitur: ejus enim finis & terminus pendet ab istâ conditione.* Ego stat pro nobis Honorii exemplum, quod fuerat demonstrandum.

CCCCXV. Dum hæc scribo, multa lego, & Gallis doleo; quoniam passivè activè, nolentes volentes, progressum Catholicorum armorum impediunt, & hæresi (indirectè & per accidens: sic hodie dicunt) auxiliantur. Bisciola Anno 414. *Dum Honorius pro religione certans in Africâ expugnat hæreticos; Romanus exercitus in Galliis superat barbaros.* Qui si fuissent ab ipsis Gallis superati, non fuissent remora expeditionis Africanæ. Sed hîc Gallis condoleo, non insulto; permittente enim Deo satis fuerunt à barbaris vexati. [Sed non sine evidenti causâ hæc omnia evenerunt, ait Besoldus in Synopsi Historiæ universalis, nam cùm soluta esset in Galliis magnâ ex parte Ecclesiastica disciplina, exundantibus ubique vitiis, eædem Provinciæ meruerunt tradi barbaris devastandæ: ut Salvianus Massiliensis Episcopus pluribus docet, qui vivens his temporibus ob oculos habebat, quæ ab oculis excuterent jugiter lachrymas novus sanè sui temporis Hieremias, qui (quod deterius est) luget eosdem suos Gallos hisce flagellis haud moribus emendatos sed potiùs deteriores redditos.] Deus semper sibi similis, Gallias, quia erant quales pictæ à Salviano barbaris castigandas tradidit: nunc Germaniam iisdem vitiis infectam cras eamdem Galliam, nisi in Lusitano, Catalauno, Itlo, Batavo, Sueco, Hasso (ne dicam, Turco) desinant Religionem Iustitiamque arietare.

SIGIS-

SIGISMUNDUS IMPERATOR.

CUm marte adverso pugnans, ut testatur Ernestus, post magnas multasque clades ab Hussitis acceptas, nec inducias quidem ab iis impetrare posset, nisi Religionis libertatem, & utriusque speciei usum indulgeret, Ecclesiasticos præterea bonis externis ablatis, ad vitam scilicet Astolicam redigeret, &c. nihil horum concessit, in summâ licet difficultate constitutus. Nihilominùs Deo constantiam remunerante, iniquis postulatis maturioris deliberationis spe elusis, in Vrbem Pragensem receptus, & Rex Bohemiæ coronatus est, referente Bzovio 40. 15. Anno Chr. 1420. n. 9. Utinam sicut Protestantes, Pacis, quam desiderant, ideam ab Hissitis cum multis erroribus acceperunt; ita Sigismundi successores, negandæ ejusmodi Pacis exemplum ab eodem sumerent!

CCCCXVI. De communione sub utrâque specie.

Responsurus Ernesto, hujus historiæ ideam casu in Baronio quærito, sed frustra, quoniam hæc multò recentior est; at reperio ibi alterum Sigismundum, qui Anno 509. succedens Gundebaldo Burgundionum Regi, ab Arianâ hæresi transit ad Catholicam fidem. Delatum à noverca filium strangulat, pœnitentiâ ductus obtinet piis precibus, ut in hoc potiùs sæculo, quàm in altero puniatur; nec multò pôst à Francis bello victus, cum uxore & filiis captus & in puteum abjectus est, Anno 526. Et doceor omnes angelos administratorios esse spiritus in ministerium missos, omnes Reges esse Ministros Dei; & inter ipsos (honesto dicam nomine flagella, quibus utitur correpturus peccatores, Gallos. Id centies vidimus; id hodie in Germaniâ videmus. Hæc missa facio, sum enim extra rem; Regem Sigismundum omitto, ad Sigismundum Imperatorem transeo.

CCCCXVII. Sigismundus Burgundionum Rex.

Sic discurso. *Si potuit Hussitas subigere, & convertere, liberam illis Religionem concedere Sigismundus non potuit.* Parallelon. *Si Ferdinandus III. potest Lutheranos subigere & ad veterem Religionem convertere, liberam illis Religionem non potest in conscientiâ concedere.* Quid si viribus careat? Scire debet eum ad impossibilia non teneri.

Parallelon.

Sed quia Ernestus Sigismundum in exemplum proponit, paucas ego lineas ex Spondano, & eodem Anno 1420. eruditione gratiâ exscri-

CCCCXVIII. Historia veritas.

exscribam. *Rex* (Sigismundus) *congregatis undique immensis copiis* (nostræ immensæ non sunt, nec esse possunt) *eos* (Wickleffistas, Hussitas) *aggressus, pro levibus quibusdam illatis cladibus ingentes retulit, parùm consultè & fortiter rem agens; fugiensque aliquando nemine persequente, nec viso hoste.* (O egregium Imperatorum successorum exemplum!) *Eorum* (hæreticorum) *Dux Ziska, dum qui oculum unum amiserat in pueritiâ inter æquales ludens, alterum ante oppidum, cui Rabi nomen erat, sagittâ perdidit; nunquam tamen propтereà castrensem laborem omittens, cùm cæco populo cæcus placeret ductor.* (Et tamen nos oculatissimos hostes habuimus & habemus; & fortè cæci, qui nolumus finem bello imponere, & ex duobus malis, minus tandem eligere) Hæc ex Aventini libro VII. habuerat Spondanus, ex Dubravio libr. 24. in fin. subdit; *Cùm Sigismundus ad stipendia militibus exsolvenda magnam vim auri argentique de templis abstulisset, se obligans ad restituendum ablatum; Thaboritas eum insectari cœpisse, interrogantes. Quis major hæreticus censendus esset, illene qui pictas & ligneas, an qui aureas & argenteas imagines è templis exigeret & conflaret? Quasi verò illis ipsi parcerent in pernitiem templorum & totius Ecclesiæ.* Hæc lego, & fateor me Ernestum non omninò intelligere, imò nec multos alios. Facili ipsi negotio de alieno sanguine, de alieno auro & argento disponent; cùm tamen nullam incommoditatem pro Ecclesiâ velint pati, & si Cæsar subsidium postulet, paupertatem simulant, tyrannidem rapacem inclamant, & immunitatem obiiciunt. Experientia enim docet sæpe noluisse vel nummum contribuere, qui reliquos spoliandos pronuntiant.

Ecce qualem militem Ernestus in exemplum proponit.

Ecclesias Sigismundus exspoliat.

CAROLUS V. IMPERATOR.

CCCCXIX.

SUb initium Ernestus Carolum & Ferdinandum satis crudè & inconsideratè traducit; modò in scenam profert, & eorumdem testimonium requirit. Carolus enim Quintus, ut Ernesto videtur, annis primi Regiminis constantissimus fuit, sed quia caduca quæque humana, à constantiâ reprimendi hæreticos, in nimiam adversus eos indulgentiam deflexisse visus est, cùm Anno 1544. Spiræ in Comitiis, iisdem ferè conditionibus Pacem temporariam sanxit, quas posteà Pax Religionis æternitate donavit. Harum verò conditionum non solùm illum deinde pœnituit, verùm etiam

An Carolo V. varius animus, & erga Ecclesiastica inconstans?

etiam plærasque defectu maximè potestatis irritas declaravit in instructione, quàm Ottoni Cardinali & Episcopo Augustano suo ad Comitia Augustana Anno 1555. Legato Bruxellis misit 10. Aprilis Anno 1554. Anno deinde sequente, Comitiis jam cæptis, ad eundem Cardinalem, & Legationis socium Iurisconsultum Bruxellis 9. Iunij hæc scripsit, quæ ex Germanico reddimus.

Lege attentè. Hoc instrumentum non est Procuratorium, sed Procuratorii aliàs expediti revocatio: & evidenter contra Ernestum militans.

Cùm præterea nesciamus, quomodo tractatus, præsertim in causâ Religionis, in dictis Comitiis successuri sint; & tamen vereamur, nec ab aliquibus tam gravia puncta, proponantur, quibus si coram adessemus, nullâ ratione assentiri possemus, vel deberemus; ideoque præfatum Dilectum Fratrem nostrum Romanorum Regem (procul dubio contra Dilectionis suæ mentem & voluntatem, utpote quem semper pro Christiano Rege habuimus & habemus) aliqui Status vehementissimè urgeant; hanc ob causam neque Dilectio Tua, neque Tu ulli rei nostro nomine autoritatem præstabitis. Sed Dilectionem suam (cùm eidem omnem potestatem & facultatem absolutè tractandi & decernendi tribuimus, tanquam Romanorum Regi, & post Nos in Imperio supremo Capiti) non solùm quantum in istis efficere & obtinere poterit, verùm etiam in omnibus rebus occurrentibus, absolutè tractare, & decernere permittatis. Neque nostro nomine quidquam addetis, nisi ut Dilectioni suæ subjectissimam operam exhibeatis: & res omnes pro viribus ad optimum exitum deducere laboretis. Hæ litteræ unà cum Instructione extant in Archivio Episcopatus Augustani, & habentur in appendice Compositionis pacis lit. B. & D.

Ex quibus apparet, ait Ernestus, Carolum V. in summis illorum temporum necessitatibus Pacem Religionis illicitam judicasse: ideoque in eam consensurum non fuisse, si præsens fuisset. Imò neq; directè consensisse dici potest, cum per Commissarios, suo nomine ratam haberi noluerit; & Regi Ferdinando potestatem talis pacis sanciendæ minimè contulerit, quam sibi non competere in Instructione & litteris ad Cardinalem Ottonem, paulò antè pronuntiavit.

CCCCXX. Carolus procuratorium revocat; concessum Cardinali Truchsessio.

Et respondeo Ernestum fuisse valde festinum cùm Caroli literas legeret: illas pro nobis militare. Rem altiùs repeto. Sciebat Carolus Cardinalem Truchsessium Comitiorum cursum esse perturbaturum, adeoque ne contingeret illum Cæsaris nomine obicem poni, eum exauthorat; nec vult in Comitiorum causâ suo nomine vel mini-

mum

mum tractare vel facere, & Cæsaream suam authoritatem uni & soli fratri suo Ferdinando committit. Id nisi Ernestus Ziskæ similis sit, velitque cœcis nos oculis in oppositum cogere, clarissimè significant illæ periodi, *Hanc ob causam, neque Dilectio Tua* (Cardinalis Truchsessi) *neque tu* (Juris-Consulte Legationis socie) *ulli rei nostro nomine authoritatem præstabitis. Sed Dilectionem suam* (Regem Ferdinandum videlicet) *cum eidem omnem* (si omnem, soli) *potestatem & facultatem absolutè* (si absolutè, sine dependentiâ à Cardinale aut à Iureconsulto) *tractandi & decernendi tribuimus, non solùm ..... verùm etiam in ..... permittatis*, &c. Legantur obsecro iterum Caroli litteræ, & constabit earum vigore exauthorari à qualitate Cæsarei Procuratoris Cardinalem, totam curam authoritatemque uni & soli Ferdinando committi; & Cardinali præcipi, ne se negotiis ullis Cæsaris nomine intermisceat, sed potiùs obedientiam Regi & subjectissimam operam præstet. Unde miror omnino has litteras ab Ernesto produci.

FERDINANDUS I. IMPERATOR.

CCCCXXI. Pax Religionis sub Ferdinando initur Anno 1555.

Sub ipso & ipsius nomine, imperante adhuc Carolo, Pax Religionis inita est; & Ernestus contra eamdem Pacem Religionis eumdem Ferdinandum adlegat. Attendamus. Sic ait;

Rerum impiarum & absurdarum permissio aliquando sancta & apud Deum meritoria est.

Sed neque Ferdinando autori suo eam pacem probatam fuisse non ignoravit Paulus IV. quod nimirum agnoverit quàm absurda, quamque impia multa decretum hoc (Pacis Religionis) in se contineret; quodque multum restitans, multis priùs profusis lachrymis invitus subscripserit; cùm à nullâ re magis, quàm à tali subscriptione mens illius abhorreret; ut memorato Pontifici respondit Cardinalis Hosius, teste Possevino *in Epist. ad Stephanum Regem Poloniæ.* Cui ergo ejusmodi Pax arrideat, quam ipse conditor pœnitentis animi lachrymis deploravit.

CCCCXXII. An negotia Ecclesiastica prudenter Episcopis fuerint commissa?

Et respondeo hic Ernestum Permissionem ipsam, & Objectum permissionis confundere. Iudaismus malus absurdus impius est, nec tamen Romæ mala, absurda, aut impia creditur Iudæorum plurimorum permissio. Quam ob rem bene stat, quòd multa absurda & impia sint

sint in Pace Religionis permissa, & nihilominùs sit ipsa permissio laudanda. Nec contrarium lachrymæ Ferdinandi, Pientissimi Regis convincunt. Quis enim non lugeret. Si esset Imperii Caput, nec posset damnis adhibere remedium. Periclitantem aut vulneratum filium luget mater, nec ideò asseritur vulneris aut periculi causa.

CCCCXXII. An negotia ecclesiastica prudenter Episcopis fuerint commissa?

INSTANTIAM positam ab Ernesto diſſlavimus, nec Ernestus adquiescit; illam ipse his verbis roborare conatur. Ejusdem rei argumentum quoque est; ait, quod cùm Carolus V. Ann. 1544. absque consensu Statuum ex plenitudine prætensæ potestatis, eosdem Articulos de Religione & bonis Ecclesiasticis, quos posteà irritos declaravit, sanxisset; Ferdinandus sciens, ipso Carolo teste, tantam potestatem neque illi, neque sibi competere, absque Archiepiscoporum & Episcoporum consensu Pacem Religionis inire noluit. *Pro oneroso reputatur, quòd C. M. sicuti ante Ann. 44. factum est, quidquam in se suscipiat; Episcopis omnia agenda sunt*, ait, Conradus Brunus in Litteris ad Cardinalem Ottonem Anno 1555. die Pentecostes datis: sed cùm Episcopi neque dispensandi neque renuntiandi Jus habeant, ut ostendimus, hoc exonerandæ Conscientiæ consilium frustrà susceptum esse apparet.

Sed jam habemus Carolum & Ferdinandum nil temere statuisse; gubernasse sæcularia; Ecclesiastica commisisse Episcopis. At eos nullam habere potestatem concedendi, ut hæresis sit in foro interno licita, concedo, nego tamen non potuisse (imò debuisse) hæreticis impunitatem fori externi concedere. [Considera urgentes circumstantias; & videbis ex duobus malis, quando vel unum vel utrumque imminebat, toleratum minimum fuisse ne utrumque deberet tolerari; & vide num......] sed Ernestus progreditur.

CCCCXXIII. QUÆSTIO incidens. An Monasteriorum bona sint bona Cameræ?

UT MAGIS pateat; ait sensus Ferdinandi Primi circa potestatem Principum sæcularium in bona Dei & Ecclesiæ, simulque contra Goldasti pudendam calumniam vindicetur egregii Principis pietas & conscientiæ studium, licet subiicere extractum Testamenti ipsius è Germanico in Latinum versum, & eorum qui modò publicæ Pacificationis Consilia tractant, lectione ac imitatione dignissimum. Is talis est. *Caterùm ad animum nostrum Regium reduximus, qualiter status nostri Regni Bohemici opinentur usum ac consuetudinem obtinuisse, quod Fun-*

Nota illud pro libitu, ut scias hac bona non solum credita alto Regum imperio subiici, sed ad eosdem etiam proprietatis dominio pertinere; concesso Religiosis usu ad voluntatem revocabili.

Resolvit Imperator Ferdinandus illa bona Ecclesiarum non esse Cameralia hoc sensu.

Nota illud aquandi, illud pro libitu; non enim negat sibi altum imperii competere, vi cujus ex causâ aut necessitate illa bona possit onerare, ut ratio postulet & reliqua sacularium bona solent. Non dico qui possit; sed quod ipse non fateatur se non posse.

Sed cur non posset excusare prascriptio? nam contra saculares sape ab Ecclesiasticis prascribitur.

dationes, Monasteria & bona Ecclesiastica, inter Cameralia nostra bona recensenda sint, adeoque Nobis veluti Regi Bohemiæ jus competat, ejusmodi bona non tantum ad tempus, sed etiam hæreditariò & in perpetuum mutandi atque ad alios pro libitu transferendi. Quod insuper tempore nostri Regiminis in tabulas Regni publicas articulus irrepserit, quo Ecclesiastici prohibeantur bona Ecclesiastica à Nobis & Prædecessoribus aut successoribus nostris Bohemiæ ad alios translata aut transferenda, repetere.

Sed quando jam rem accuratius expendimus, deprehendimus sanè bona quidem Ecclesiasticca sub sæcularium Principum potestate constituta & in sustentationem famulorum Dei ad ipsius Omnipotentis honorem destinata, à sæculari potestate, non minus quàm ipsa propria Principum bona Cameralia protegi ac defendi debere. Sed quâ æquitate quove prætextu Nos cum Bohemicis nostris Statibus, aut quivis alius Magistratus sæcularis, potestatem nobis arrogemus bona Omnipotenti Deo in augmentum divini sui cultûs, & sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, & Deo dicatarum Personarum collata ac donata, Bonis nostris Cameralibus æquandi aut accensendi, adeò ut liberum nobis sit illa pro libitu mutare, alienare ac transferre, aut cuilibet alteri ea bonâ fide & securâ conscientiâ accipere, penitùs non dispicimus. Cùm potius omni juri & æquitati congruum sit, ut illa quæ semel Deo dicata, & in ejusdem cultum destinata sunt, nec Nos, nec ullus alius aliò transferat, multo minùs veluti sua attrectet, expendat aut dilapidet: Quapropter cum nemò non æquum æstimet, quod nullus proximo suo id quod ipsius est invito eripiat aut attrectet, meritò ac deliberatissimâ mente concludimus, neque Nobis neque successoribus, aut subditis nostris Statibus Bohemiæ licere Deo omnipotenti Creatori ac Redemptori nostro, aut ipsius Ecclesiæ, sive ipsi devotis personis Ecclesiasticis, quod ipsorum est eripere, attrectare, aut nostros Status Regni Bohemiæ posse nostrum aut ipsorum supra dictum Privilegium, Usus sive consuetudo, aut Tabula publica Regni, cum etiam in mere temporalibus ac profanis causis inferiori aut subdito non competat ullum jus circa bona superioris sive Magistratus disponendi, adeoque neque nobis, neque nostris liceat ullâ ratione bona Deo Domino nostro aut Iustitiæ ejus semel tradita, veluti nostra propria tractare, alienare aut mutare. Idcirco cum errorem suum fateri ac emendare nemini grave aut probrosum esse debeat, Nos pro nostrâ parte prædictam Libertatem consuetudinem & articulum Tabulis

Tabulis Regni insertum, nullarum virium aut valoris esse decernimus, quin imò ex animo dolemus, nos in illum articulum consensisse, & ejus vigore aliqua bona Ecclesiastica hæreditario aliis tradere animum induxisse, imò quantum est ex parte nostrâ datis litteris nostro Sigillo munitis aliqua de facto tradidisse. Hinc filios nostros charissimos paternè requirimus ac monemus, ut prudenter considerantes, quantis gratiis, opibus ac felicitate Dominus Deus eos auxerit, qui loca & bona Ipsi dicata favore, homines verò Ecclesiasticos amore & honore prosecuti fuerunt: è contra verò quam horrendis pœnis multati fuerint omnes illi, qui Ecclesias & Ecclesiasticos lacerârunt aut inhonorarunt, bonaque ipsorum ausu temerario attrectarunt, & in suos usus impenderunt, supradictam ordinationem Provincialem, quo ad illum articulum ne sequantur, sed dimittant, neque ulla bona Ecclesiastica hæreditariò vendere aut transferre præsumant, sed ejusmodi bona potius iis beneficiis ac Monasteriis, quibus dicata fuerunt conservent, neque ullâ ratione amplius obligent sed quantũ fieri ullo modo potest, jam distracta aut oppignorata redimant, & Monasteriis ac Regularibus Personis restituant, nostroque nomine status nostros Bohemicos moneant ac compellant, ut quantum est ex parte ipsorum, supradictam ex se ipsa invalidam libertatem, consuetudinem & articulum ultrò dimittant, Bonaq; Ecclesiastica, quæ nostrâ aut alterius traditione detinent, accepto justo pretio Ecclesiis restituant, eumque articulum (quem in rei veritate ex inadvertentiâ veluti licitum irrepere sivimus) ex renovatis Regni Tabulis expungant, & Ecclesiasticis non minus, quàm aliis ea, ad quæ jus habent, ordinariâ Iuris viâ quærere ac repetere permittatur.

Nota illud velut nostra propria, aliud enim bona esse subdita.

Nota illud, Ausu temerario.

Iubet bona pro libitu & ausu temerario ablata restitui.

Articulum è tabulis deleri.

Hactenus Ferdinandus Cæsar. Ex quibus constat, ait Ernestus, nullum sæcularibus Principibus circà bona Dei prostituenda, aut Protestantibus concedenda jus cõpetere. Et ego omnia verba considero. Nullum Ius ait Ernestus, cùm tamen Ferdinandus solum jus proprietatis excludat; quoniam qui se non posse illa bona habere tanquã propria fatetur, non asserit illa non esse subdita; quoniam & civium Viennensium bona Cæsaris propria non sunt, & tamen Cæsari subdita sunt. Et etiam, qui ait se non posse pro libitu & ausu temerario de talibus bonis disponere, non statim censendus est dixisse se carere supremo imperio, ut ex ratione & ob bonũ publicum disponere possit. Quantã authoritatẽ habeat Bohemię Rex in bonis Ecclesiarũ nõ definio; fortè nescio, assero tamẽ ex hoc diplomate cõstare eũ nõ habere dominium proprietatis in illis; utrùm verò altũ imperiũ habeat aut nõ habeat, nõ cõstare. Sed dicatur alterutrũ, nõ est ad rẽ Testamenti hoc

CCCCXXIV. Ernesti illatio.

 fragmen-

fragmentum, proderit tamen intelligendis illis, qui delirant bona Monasteriorum esse Cameræ, si aliquam proprietatem intendant [Quo distinguantur modo bona Ecclesiastica à bonis Ecclesiasticorum num..... Et quid nomine bonorum Cameræ intelligatur vide num....]

De Statuum authoritate erga Ecclesiastica.

IMPERATORIS authoritatem non esse tantam, quæ Iura Ecclesiæ attingat, intellexisse & cognovisse Status Catholicos in Spirensibus Comitiis ANNO M. D. XLIV. & in Wormatiensibus ANNO M. D. XLV. ait Ernestus. Cùm enim in prioribus Carolus V. articulos inauspicatos statueret; posterioribus autem colloquium ad disceptandas Religionis controversias indiceret: *Neque in dictos articulos, neque in colloquium se consensisse, aut consentire posse, sed cum S.C.M. ex plenitudine potestatis ita sanxerit, se id toleraturos, & neminem contra gravaturos*, per Parenthesin Recesui Comitiorum insertam professi sunt. A quâ sententiâ, cum plus intereà juris non acquisiverint, neque in Legibus divinis aut Ecclesiasticis deprehenderint, decennio post ANNO 1555. Pontifice nec quidem consulto, infeliciter recesserunt, sanciendo Pacem Religionis articulis Spirensibus longè deteriorem, utpote perpetuam, & quæ latissimam portam Apostasiæ Principum, omniúque Catholicorum & ultimo Religionis Catholicæ exterminio aperiret.

CCCCXXV. Solutio.

Omnia Ernestus confundit. Bene enim stat Articulos esse licitos, nec tamen acceptari à populo; bene stat illos posse acceptari coram Deo, & tamen ob alias circumstantias non posse; bene stat illos non fuisse acceptatos, & tamen de plenitudine potestatis injunctos, & à populo reverentiæ causâ toleratos. Quam ob rem cùm Ernesti ratio sit hæc, *Articuli positi in Comitiis Anno M.D.XLIV. & M. D. XLV. multò sunt benigniores illis quas continet Pax Religionis inita Anno M. D. LV. Atqui illi injusti ab ipsismet Catholicis Statibus crediti sunt: Ergo & isti.* Et respondeo mihi majorem esse dubiam, minorem dubiam, & consequentiam malam. Concessâ enim majore minoreque subsistere consequentia non potest, quoniam sine necessitate benigniores articuli peccaminosè admitterentur, & ex necessitate graviores deberent sub peccato acceptari. In permissione enim, non attenditur rei permissæ gravitas, sed ipsius permissionis necessitas.

Quod in permissione attendatur?

OTTO

OTTO TRUCHSESSIUS S.R.E. Cardinalis.

CCCCXXVI. *De Protestatione Præsulis Augustani.*

PAssus tandem Ernestus enumeratis actibus dictisque aliquorum Pontificum & Imperatorum, ad Othonem Truchsessium Episcopum Augustanum, sæpius nominatum revertitur, qui in suâ sententiâ ne ad latum quidem unguem ab opinione illâ, quam tuetur Ernestus, quam esse dicit Ecclesiæ veteris & Statuum Catholicorum in Imperio, discessit, sed gloriosâ Protestatione eidem Paci contradixit. *Se potius corpus, vitam, & quidquid in terris obtineret, abdicaturum professus, quam ut in illum Tractatum vel articulum juribus Religionis & Ecclesiæ adversantem consentiret.* Extat ea Protestatio in Compositione Pacis c. 11. 9. 7. 8. n. 2. quam in pluribus Comitiis sequentibus Anno 1557. Anno 1559. Anno 1566. Et denique Anno 1570. aut ipse repetivit, aut per Legatos suos repeti jussit, cùm in præjudicium Religionis & Ecclesiæ aliquid decerneretur.

Solutio remissiva.

Et quia Ego disputatione secundâ de hac solâ Protestatione disserui, non est cur multa repetam: fieri injuriam Truchsessio, cùm contra nostram Resolutionem adlegatur, nunc dixisse & à num..... demonstrasse sit satis.

CCCCXXVII. *De Protestatione Gervvici.*

Post memoratum Othonem Cardinalem Gerwici celeberrimorum Monasteriorum Weingartensis & Ochsenhusani, Ordinis S. Benedicti, Abbatis noster Ernestus meminit; eumque finitis Comitiis Ann. M.D.LV. dixisse ait, *De illis rebus transactum esse cum Protestantibus, quarum Ius & Potestatem Cæsar & Status Imperii nullam habent.* Quem Abbatem Cardinalem sequutum, cujus Abbatis verba esse Oraculum Ernestus imprudenter pronuntiat.

Solutio.

At Ego respondeo *primò*, me nescire utrùm Gerwicus fuerit doctus; *secundò* eum, si doctus asseratur, cùm certum sit subscripsisse Truchsessio esse contra Ernestum pro nobis; Truchsessius enim, ut demonstro à num.... pro nobis est: *tertiò* esse omninò verum permitti hæreticis in Pace Religionis res malas, quarum jus & potestatem nec Cæsar, nec Status Imperii (imò nec Pontifex Romanus) ul-

lam habet; at earumdem nihilominus permissionem esse licitam; nam & Iudæi, Usurarii, & Meretrices permitti & tolerari solent; & tamen tametsi Infidelitas, Usura & Fornicatio, res malæ sint, nec possint bene fieri nec cohonestari licentiâ & authoritate Reipublicæ; earundem nihilominus permissio, si debitæ concurrant circumstantiæ, bona est.

HENRICUS, ETIAM AUGUSTANUS Episcopus.

CCCCXXVIII. De tacitâ omnium Augustanorum Pontificum Protestatione.

Ut omnes Augustanos Præsules Paci Religionis contradixisse probent multa congerunt Iure-Consulti Dilingani, in expositione ejusdem Pacis Cap. XI. quæst. LXVII. num. XXXVI. & XL. Et Ernestus ad Henricum deveniens, sic infit.

Henrici Protestatio.

Præcessoris sui exemplo hodieque inhæret Illustrissimus & Reverendissimus Princeps ac Dominus D. Henricus Episcopus Augustanus, dum per Legatum suum in præsentibus Comitiis eandem Protestationem suo nomine interposuit, quando aliqua in præjudicium Religionis & Ecclesiæ proponebantur; quam voluntatem tanquam Testamentum suum præclaris & Religionis Zelo plenissimis litteris, sub finem vitæ ad Legatum suum Monasterium Westphalorum Anno Christi 1646. missis ita confirmavit, ut post gratias eidem Legato pro officio ritè præstito actas, omnium præterea bonorum, & ipsius etiam sanguinis jacturâ idem obsignare paratus fuerit, modò Ecclesiæ Catholicæ jus suum integrum & illæsum hac ratione conservare posset. Aureæ omninò litteræ sunt, quarum copia si esset, ad teporem nonnullorum excutiendum hic insererem. *Quid contra* Amnistiam recens cum Ecclesiæ detrimento conclusam fecerit, patet ex Protestatione, quam sua Celsitudo Cæsari, Cancellariæ Moguntinæ, & Consilii Principum Directoribus, per Adm. Nobilem & Magnificum Dominum Matthæum Wanner I. V. D. Cancellarium suum proposuit, in eum, qui sequitur tenorem.

De Amnistiâ.

CCCCXXIX. Hæc de pace privata periodus desumpta est ex Apologiâ Otho-

Nos Henricus Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Augustanus &c. profitemur & declaramus, quod omnem desiderabilem pacem re ipsâ promovere, & pro nostrâ parte fideliter servare, neque adversus quenquam hostile quid moliri velimus. Simul autem verbis & animo testamur,

mur, quod in articulos seu media Pacis, ab Anno 1555. hucusque in Comitiis ac Tractatibus Imperialibus proposita & conclusa, vel imposterum proponenda & concludenda, quatenus Catholicæ Religioni, ejusque dogmatibus, juribus, Rebus ac personis adversantur sive multum, sive parum, consentire neque possumus neque volumus. Sed confidimus nos in nostrâ obligatione, quâ Pontificiæ Sanctitati, & Sedi Apostolicæ, Cæsareæ item Majestati & sacro Imperio nos obstrinximus, constanter & inviolabiter permansuros, ac potius, quam ut in ejusmodi tractatum consentiamus, corpus, vitam, & quidquid in terris habemus constanter abdicabimus. Coram Deo & universo mundo expressè protestantes, nos in obligationum & Iuramentorum nostrorum observatione, ut constantis animi Christianum & Germanum Natum decet usque ad mortem perseveraturos. Actum Dilingæ in Arce Episcopalis Residentiæ nostræ die 30. Ianuarij anno 1641.

Sed hæc Protestatio neminem Virum prudentem turbare poterit; cum statim dubitationi locus sit, An pientissimus senex, qui anno elapso ad meliorem vitam translatus est, fuerit vir doctus? Ut fuerit, An voluerit insistere vestigiis Cardinalis Truchsessii, an verò laxius protestari? Quoniã Eminentissimũ Othonem à nobis stare luce meridianâ clarius est. [Vide disputationem illam secundam num....]

niu. §. Soviel aber/ꝛc. Illud Rebus huc positum est ex Protestationis Othonis Interpretatione; falsâ tamen. Vid. num. 64. & 79. Hæc circumstantia de Germanorum sinceritate ex litteris Ducis Wirtenbergici desumpta est. Vide num. 103. CCCCXXX.

GALLIA.

TRansit ad Principes peregrinos Ernestus, & Christianissimam Regionem ingressus, sic ait.

Neque desunt externa Catholicorum exempla. *Sæpius Regibus Galliarum contradixerunt ejus Regni status Catholici, cum Hæreticis Libertas Religionis concessa fuit, conditionibus licet multò æquioribus, quàm nostræ sint. Nunquam enim in Galliâ Libertas Religionis Hæreticis in perpetuum promissa est. Non concessa statibus Acatholicis facultas subditos pervertendi aut expellendi, neque introducendi exercitium Hæreticum, nisi iis locis ubi resident, aut proscribendi Religionem Catholicam, quæ reducta est in omnia loca totius Regni, ubi ejus exercitium fuerat intermissum, restituere denique Hæretici debuerunt omnia Ecclesiastica, jura ac bona, Catholicis ante hæc erepta.* Ut constat ex Edicto Nannetensi, (quo authore Petro Matthæo lib. 2. Histor: sui temporis) pacem & Libertatem Hugonottis concessit Henricus IV. Anno 1599. insertis præcipuis etiam articulis, quos Henricus III. Anno 1577. & Carolus

CCCCXXXI. *Status Galliæ libertati conscientiæ contradicunt.*

De edicto Nannetensi.

Carolus IX. Ann.1561. sanxerant. Quod verò aditum ad dignitates Hæreticis, ejusque in Galliis clausum aperuit, & nimis forte multis Locis exercitium reformatæ Religionis, ut vocant, permisit, legitimæ quidem permissionis Limites excessisse videri potest, multum tamen excusationis habet, quod pacto perpetuo ista non firmavit, neque in Leges publicas Regni recepit, cujus argumentum manifestum illud est, quod causas hujus pacis & Hugonottorum non in Parlamento, sed in extra ordinario & temporario Tribunali, quod Cameram edicti appellavit, voluit tractari, teste eodem Matthæo.] *Hucusque ille.*

Ernestemi non ideò excessit discretionis terminos quod hoc vel illud permiserit, sed quod ultrò permiserit.

Gaudeo me tam suavis indolis & genii esse, ut hæc potuerim sine animi perturbatione perlegere. Bone Deus! Essetne possibile quod hæc quæ dicit, esse falsa ignoraret Ernestus? Non puto. Ad rem venio, & Spondanum hîc legendum propono. Anno ille M. D. XCVIII. num. 4. sic inquit] Misit ad eos, qui necessitates Regni sui, aliasque rationes, quibus ad pacem cum Philippo ineundam adigeretur, explicaret.] Et quidem ne esset in causâ ut Calviniani contra Ecclesiam proficerent Philippus, adquievit Henrici petitioni, & pacem postulatam concessit, sed Henricus, ut idem Spondanus recenset [continuis atque importunissimis Hugonotorum Regni sui postulationibus pressus, ut & ardentem eorum ad res novas pruriginem pro tempore sedaret, atque ita toto regno pace intùs & extrà parta, ejus in pristinum statum & splendorem restitutioni incumbere posset, mense Aprili Edictum in eorum favorem condidit, quod à loco Nannetense appellatum est. Cujus tamen promulgationem in tempus, quo Legatus regno excessisset, differri voluit; ne is æquam inde occasionem offensionis acciperet, dum videret, quo tempore ipse expetitum à Rege pacis cum exteris Catholicis beneficium grandi solicitudine procuraret, eodem Regem internis hæreticis amplissimas gratias in Fidei catholicæ de decus conferre. Itaque non nisi Anno sequenti in Senatum ad publicationem delatum fuit: de quo dicetur ibi.] Et anno sequenti M. D. IC idem Anthor. [Urgebatur intereà promulgatio Edicti Nannetensis, in favorem Hugonotorum conditi, ut vidimus anno superiori; quæ dilata fuerat ob reverentiam Cardinalis Florentini Legati Apostolici. Ab eâ cùm plurimi ex Senatoribus. Parisiensibus penitus aversos sese ostenderent; & Clerus ei intercederet; R[illegible] foris partâ, ad constituendam intus tran-

Edictum Nannetense confirmavit Ludovicus XIII. ipsa augurationis sua die. Gramondus lib. 1. an. 1610 pag. 18. CCCCXXII.

Parcit veracitati Ernestus. Rex Hispaniæ, ut hæretici subigantur Gallo adquiescit.

Sedatis bellis externis hæretici potuerunt compesci: ergo sive causa illis libertas consciẽtia concessa. Nota singula.

Si Cardinalis aberat, Deus aderat qui debebat majoris fieri, quàm Cardinalis.

tranquillitatē, necessariam illam existimabat: post multas nequicquā factas Senatui jussiones, demùm vocatis ad se præcipuis singularum Curiæ classium viris, gravi oratione promulgationem fieri omninò injuxit, insinuans edictum, quod tantoperè exagitabatur, non tā pacis Hugonothis dandæ causâ, quàm ne bellum in Regno esset, conditum fuisse: omnemq; dans operam, ut sacro Ordini cunctisq; Catholicis persuaderet, id Religionis bono aliquando versurum, modò liberam ejus executionem prudentiæ suæ relinquerent, neq; difficultatibus injectis antiquas suspiciones renovarent. Quare post iteratas rursum multas difficultates, easq; tandem paulò majori votorum numero ægrè superatas, factum est tandem, ut promulgatū id fuerit die vigesimo quinto Februarii, continens unum & nonaginta capita publica, & sex ac quinquaginta secreta; quibus cūcta penè continebantur, quæ eatenus fuissent Hæreticis à superioribus Regibus concessa, & alia quædam pro tempore addita; quæ in publicum edita omnibus patent. Pro eorum vero omniū executione, bini delegati fuere in singulas Regni provincias ex Nobilium & Iudicū ordine singuli. Quātum autem molestiæ & doloris ejusmodi promulgatio attulerit Clementi Pontifici, intelligitur ex litteris à Cardinale Ossato scriptis eâ de re vigesimo octavo Martij ad Regem: quibus & argumenta atque rationes inseruit, per quas ipse Pontificis animum placare, & rei Catholicæ damnum ex edicto emersurum extenuare conatus est. Quo saltem illud boni consecuti sunt Catholici, ut eorum Religionis exercitium multis locis in quibus à longo tempore intermissus fuerat, absque tumultu & sanguine restitutum fuerit:] *Hæc ex Spondano*, ut videas, jure Ernestus cōtra nos mores Gallos inducat. Ad Hungariam excurrit, oportet sequi hinc inde, ut suffugium inveniat, vacillantem.

Nota illud versurum, ut videas, non fuisse præsentem necessitatem, quæ Henricum ad hanc pacem urgebat. Hinc factum, ut pro Deo tutelari habeatur à Calvinistis. Vide Gramondū Hist. Gall. libr. 7. Anno 1621. pag. 358.

Ingrata Pontifici edicti Promulgatio: & meritò.

HUNGARIA.

CCCCXXXIII

Claudit discursum suum Ernestus exemplo Catholicorum Statuum Hungariæ, quam cum vicinam vocet, se librum in Austriâ aut prope, scripsisse testatur. Ipsi enim in Comitiis Posoniensibus, cum illius Regni hæretici Libertatem conscientiæ & Religionis, Paci Augustanæ Anni 1555. similem postulassent, Protestationem scripto obtulerunt, affirmantes non magis hæresi, quàm homicidiis, aliisque sceleribus posse authoritatem Iuris publici concedi, & defensionem promitti, etsi tolerari debeant zizania,

Hungariæ status libertati conscientiæ resistunt.

Toleranda est

hæresis, si absq; Catholica Religionis periculo tolli non potest.

quando absque periculo tritici evelli non potest. *Et ego Ernesto.* Si sic Status Hungari fuerunt philosophati nostram illi, & veram sententiam tenuerunt; Ernesti sententiam non tenuerunt. Nos enim in permissione mali gravis inter Hæresin, Usuram, Homicidia, & alia scelera non distinguimus, sed dicimus omnia & singula posse permitti & tolerari, quando sine damno majori (hoc intelligitur nomine periclitãtis tritici) nequeunt eradicari. *Sed quia* Ernestus Hungaricæ Protestationis meminit; ex eâ unam aut alteram periodum audiamus.

Sunt pro nobis contra Ernestũ Status.

Protestationis littera.

Quæ cùm ita sint, inquiunt sub finem, *Majestatem vestram obsecramus per misericordiam Dei, per Animæ suæ salutem, per Inclytæ Domus Austriacæ illibatam fidem, per æternum posteritatis de Majestate V judicium: ut hanc libertatem Religionis omnibus Legibus Regni nostri contrariam concedere non velit, articulisque includi non patiatur. Sed contenta sit M. V. tolerare, quod corrigere non licet. Si verò, quod absit, M. V. aliter statuerit faciendum, nos omnes & singuli Prælati, Capitula, Conventus, cæterique omnium Ordinum Status Ecclesiastici in Hungariâ coram divinâ Majestate, gloriosissimâq; Virgine Mariâ, ut coram M. V. & toto mũdo protestamur, Ordinem Ecclesiasticum nunquam consensisse, neq; consensurum deinceps esse in hanc Libertatis concessionem; atque adeò ante tremendum divinæ justitiæ tribunal rationem animarum, quæ occasione hujus Libertatis æternæ damnationi adjudicabuntur, à se transscribere. Rogamus verò M. V. ut hanc nostram protestationem benignè ac clementer suscipere dignetur. Deus enim, qui corda scrutatur & renes testis est, quod nullo alio fine hæc nostra reclamatio & protestatio à nobis perfecta est, quam ut nostræ inprimis, quos Deus animarum saluti procurandæ præfecit, deinde verò & cæterorum conscientiæ consuleremus. De cætero M. V. diu feliciterq; ac dignè imperare à Deo vobis omnibus ac sacrificiis contendemus.*

Volunt, quæ corrigi nequeunt, tolerare.

Ernesti conclusio.

Quibus positis sic concludit Ernestus. [Hoc tam illustri exemplo, Hungari præluxerunt vicinis Germanis, quod si imitarentur, nõ magis quàm illi periclitarentur dejacturâ gratiæ & pacis humanæ, neque minùs quàm illi gratiam Dei & Pacem conscientiæ in tuto collocarent.]

CCCCXXXIV Status Hungari fortius posse procedere.

Sed hîc nihil video, quod contra veram, quam defendimus, doctrinam militet; imo censeo Hungariæ Status diminutè processisse, & debere adhuc fortiùs Protestatione sua Comitia stringere.

Primò enim sic dicunt. *Contenta sit vestra Majestas tolerare, quod corrigere non licet*; hoc est, *non potest.* Et his verbis totam nostram Con-

clusio-

clusionem reponunt, quoniam Cæsar tenetur ratione officii corripere & punire subditos, si flagitia committant; & solùm excusabitur apud Deum & Homines si tolleret quod tollere nequit.

Secundò addunt, *Se protestari, si Cæsar toleret hæresin, quam impedire possit*. Et in hoc bene faciunt; quia & Cæsarem monent, & suis conscientiis consulunt, & bonum pii nominis odorem apud Orthodoxos conservant.

Tertiò ex meis principiis deberent addere, *se protestari contra omnia, etsi Cæsar hæresim, bonorum & jurium Ecclesiasticorum usurpationem toleret necessitate compulsus*; & rationem ex Conclusione X. num. 18. desumere, quoniam sæpe Ecclesiasticorum consensus non requiritur, & posset prodesse Protestatio.

CONCLUSIO.

CCCCXXXV. Ignorantia duplex; voluntaria, involuntariaque.

NE igitur disputatio ista nostra in immensum diffusa, Lectori amico tædium pariat, pono calamum, & doctus ab Ernesto concludo esse aliquos qui voluntariò, alios qui insuperabiliter veritatem ignorant. Illos sect. IV. sat. 2. in fin. aggreditur ipse hisce verbis. *Væ vobis, qui dicitis malum bonum & bonum malum, ponentes tenebras lucem & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum*, ait *Isaias* cap. 5. vers. 20. *Quæ autem conventio Christi ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli* (*clamat S. Paulus* 2. Cor. 6. vers. 15.) *ut honestate, libertate, defensione, perpetuitate, pares habeantur aut fiant*, Istos his; *Cùm verò difficile sit, bonâ fide tot Principia Iuris naturalis, Divini & Christiani, reclamantibus præsertim assiduè summis Pontificibus, ignorari, viderint qui ignorant & caveant, ne ignorentur ab eo, qui nihil ignorat. Vt verò demus talia sine culpâ ignorari, aut non expendi à Principibus, at ægrè se purgabunt Theologi. Quorum Labia nisi custodiant scientiam SS. Patrum, Doctorum veterum, summorumque in primis Pontificum verbis, factis, adeoque decretis consentaneam: periculosè, quantumvis bonâ fide Principes legem Domini ex ore eorum requirunt. Sed eodem finiamus Epilogo, quo S. Augustinus Librum de perseverantiâ clausit.* Sic Ernestus post Regulam XIX. Cujus verba ego sincerè & pro veritatis commendatione paucis alteratis subsumo.

Contra sponte ignorantes.

Contra involuntariò ignorantes.

CCCCXXXVI Authoris ad Theologos, qui pacem impugnant, admonitio.

Væ vobis, inquam; *qui publicis privata præponitis, & ne domi aut utilitas cesset aut emergat jactura, ponitis tenebras esse lucidas, & lucem esse tenebrosam. Væ vobis, qui amarorem ut dulcem, & dulcedinem ut amaram proponitis. Si Cæsar dare Pacem Imperio sub peccato tenetur; cùm eum contrà, aciem debere du-*

re ducere & Religionem extremo periculo exponere è loco securo proclamatis, cœlum terrâ confunditis, & Belial in Christum trãsformatis. Qui procedit fideliter infidelitatis argui nequit, nec aliquid omisisse ille censendus est. qui fecit omninò quod potuit. Hæreticus, qui in doctrinæ puritate Catholico postponi debet; poterit sæpe, imò & aliquando debebit, in dotibus aliis præponi. Tam clara hæc veritas, ut dubitare incipiam, an insuperabiliter nesciri queat; difficile enim est bonâ fide Ernesti opinionem singularem amplecti, quam nulla ratio verisimilis firmat; quam Principia Iuris Naturalis, Divini & Christiani condemnant: quam denique dirimit Pontificum, Patrum, & Imperatorum authoritas, quæ sub specie protectionis protruditur. Ecclesia diebus singulis crudeliores miserias, acerbiora detrimenta perpetitur; discrimina majora incurrit; viderint, qui ignorant & caveant, ne ignorentur ab illo qui nihil ignorat. Vt igitur demus talia ignorari, aut non expendi ab Imperii Principibus, at nullo unquam modo se excusabunt Theologi, quorum labia nisi ad Rationis ductum, ad Iuris Naturalis dictamen, ad Divini legem, ad sanctorum Patrum sententiam, & ad summorum Pontificum definiant, periculosè, quantumvis bonâ fide Principes legem Dei ex ore eorum requirunt. Quam ob rem, cùm istæ Positiones; Prima, Res pessimæ sanctissimè permitti solent SECUNDA, Permissio, quæ Homini non est libera, imputari non potest. TERTIA, ex duobus æqualibus malis, si aut alterum aut utrumque evenire necessarium sit, sanctè permittetur alterum, iniquè utrumque. QUARTA, Ex duobus inæqualibus, si utrumque vitari non possit, arcendum majus, & minus permittendũ est. *Sint lumine naturali notæ, Iuri Divino & Humano consonæ; à nullo Patre, à nullo Pontifice, à nullo Christiano Cæsare (quidquid de factis sit) negatæ: & eisdem admissis, nec nostra sententia possit reiici, nec opposita adstrui, relinquitur nostram Resolutionem esse evidenter veram, & oppositam evidenter falsam. Sic sentio; & cùm res tam diversas video ab Ernesto confundi, eum aut fundamenta Iuris Divini percallere, aut Statum Imperii cognoscere summa sinceritate decredo.*

Omnium Resolutionum fundamenta.

FINIS.

IVDICIVM
THEOLOGICVM
SVPER
QVÆSTIONE, AN PAX
qualem desiderant Protestantes, sit secundùm se illicita?

EX

Principiis Christianis, sententia veteris Ecclesiæ, Summorumque Pontificum deductum:

Iis, qui publica tractant, conscientiam suam curant, aut alienam dirigunt, lectu vtile ac necessarium;

Operâ ac studio ERNESTI de Eusebijs, civis Romani;

Sumptibus & Typis Theodosij de Siccela Armona:

Ecclesiopoli, ad Insigne pietatis:

Anno 1648.

Author Henric. Wangnereck S.J. qui ante plures annos scripsit; nec putavit imprimendum. [illegible] L [illegible] ab aliis addita.

INDEX CONTENTORUM.

SECTIO

SECTIO, I.

Qualem pacem desiderent protestantes?

§. I.

Generalis huius pacis Idea.

VT de pacis æquitate vel iniquitate pronunciemus, necesse est conditiones nosse, quas certum vel verisimile sit à protestantibus ac eorum complicibus propositum iri. Occurrunt autem sequentes.

I. Vt Pax religionis Anno Christi 1555. constituta quoad omnes articulos & clausulas protestantibus fauorabilis sarta tecta in perpetuum maneat, & de nouo confirmetur: Neq; enim huic fundamentali scilicet Imperij Constitutioni quidquam detrahi patientur.

II. Eadem pax extendatur ad bona & Iura Ecclesiastica, quæ post & contra illam Catholicis eripuerunt. Occupârunt autem ab eo tempore viginti ferè Episcopatus. siue Ecclesiasticos Imperij principatus, aliasque Ecclesias & Monasteria absque numero.

III. Ad omnia vel aliqua bona ac Iura Ecclesiastica, quæ hisce annis Catholici iusto bello aut Iudicio recuperârunt, in specie quæ sunt in palatinatu, Protestantibus restituenda.

IV. Ad Ciuitates Imperij, vt potestatem reformandi principibus, aliisque Statibus parem, quam hactenus contra dictam pacem vsurpârunt, perpetuo & liberè exerceant.

V. Eadem Pax denique extendatur ad Caluinismum iisdem conditionibus, quibus illam obtinuit Confessio Augustana. Neque Status Caluiniani acquiescent, donec id impetrauerint.

*A*tque hæc certa & præcipua sunt eorum desideria, quibus an plura, v. g. relaxationem, Reservati Ecclesiasticorum, libertatem religionis in prouinciis Catholicis, aliaque sint addituri, tempus dabit.

NB. Imò iam dedit, nam & hæc & plura alia in postremis Comitiis, & in Conuentu Monasteriensi ac Osnabrugensi petierunt, vt ex Grauaminibus, quæ obtulerunt, constat.

§. II.
Quas conditiones PAX Religionis contineat;

CVm PAX, de quâ modo agitur, sit quædam Pacis Religionis confirmatio, extensio aut ampliatio, huius conditiones pernoscendæ sunt, vt de illâ iudicium feramus. Videtur autem PAX Religionis, pro ut Recessui Comitiorum, Anno 1555. inserta est, ad octodecim sequentes articulos redigi posse.

I. Nullus Status Imperij propter Augustanam Confessionem inuadatur, lædatur, opprimatur, neque inuitus ab illa, eiusque fide, ritibus, ordinationibus, quas vel instituerunt Protestantes, vel instituturi sunt, in suis Principatibus ac Dominiis repellatur, grauetur, aut contemnatur.

II. Vicissim Status Augustanæ Confessionis contra Catholicos nihil attentent.

III. Controuersa Religio aliter quàm Christianis, amicis ac pacificis viis & mediis non componatur.

IV. Qui alterutri harum Religionum addicti non sunt, hac pace non comprehendantur.

V. Si Archiepiscopus Episcopus, Prælatus, aliusque quispiam Ordinis Ecclesiastici à Catholicâ Religione recesserit, Ecclesias & Beneficia cum fructibus absque morâ quidem, sed sine detrimento honoris sui relinquat.

VI. Bona Ecclesiastica ante Transactionem Passauiensem occupata, quæ ad immediatos Imperij Status non pertinent, neque intra, neque extra iudicium repetantur.

VII. Ecclesiastica Iurisdictio aduersus Augustanam Confessionem eiusque Ministros, ritus, Ordinationes, quas instituerunt, aut instituent, quiescere atque suspensa esse & manere debet.

VIII. Catholicis reditus, Census, Pensiones saluæ maneant, saluis Iuribus sæcularibus eius Status, in cuius Territorio isthæc sita sunt. Ecclesiarum quoque ministeriis, Parochiis, Scholis, Eleemosynis, Hospitalibus ex ijs bonis prouideatur, vnde prius prouidebatur, non attento Religionis discrimine,

IX. Si super his præstationibus lites oriantur, per arbitros componantur.

X. Nullus status alium, eiusque subditos ad suam religionem compellat, nec eos arte aliqua ad se attrahac, aut contra Magistratum suum in tutelam suscipiat aut vllatenus defendat.

XI. Si aliqui Religionis ergo ex Statuum seu Catholicorum seu protestantium prouincijs aliò migrare velint, emigratio bonorumque distractio, (consueto emi-

grantium

grantium tributo, & si mancipia fuerint, lytro persoluto) absque impedimento & honoris obligationumque præiudicio concedatur.

XII. Si compositio Religionis in Concilio generali aut Nationali aut tractatione Imperiali Comitiorum non sequatur, nihil omnius pax ista secundum omnes supra dictos articulos vigorem obtineat, vsque ad finalem Religionis compositionem. Atque ita modo iam dicto & alias vndequaque constans, absoluta siue inconditionata & perpetua pax constituta &c. decreta sit ac maneat.

XIII. In hac pace libera quoque Nobilitas Cæsari immediatè subiecta comprehendatur.

XIV. In ciuitatibus Imperij vtraque Religio, vbi aliquamdiù viguit, etiam imposterum ita permaneat. Et neutra pars alterius Religionem & ritus abroget, vel ad eam deserendam alios compellat, sed vtraque pacifice & quiete cohabitet.

XV. Constitutiones Imperij vel aliæ ordinationes contrariæ nihil huic paci derogent, neque declaratio in contrarium dari, impetrari, acceptari possit, data verò, impetrata, acceptata nullius sit roboris, siue in iudicio siue extra.

XVI. Hos articulos Cæsar, Rex, eorumque Successores inuiolatè obseruabunt, nec non contra seu ex potestatis plenitudine, seu alio prætextu agent, neque suo nomine agi permittent. Idem præstabant Principes, Prælati, Comites & Ciuitates Imperij, eorumque Successores & hæredes sub obligatione Cæsareæ, Regiæ & Principalis dignitatis, fidei & fidelitatis, in verbo veritatis omni dolo secluso.

XVII. Ex vtraq; parte nec Cæsar, nec vllus Status alterum quocunque modo per se vel per alios grauet, opprimat, lædat. Si quis aduersus hanc pacem alteri vim aut molestiam intulerit, Cæsar, alijque Status, id faciendi non solum consilium, auxilium, patrocinium nullum præstabunt, sed contra alteram partem auxilio & patrocinio iuuabunt.

XVIII. Cameræ Imperialis Præses & Assessores secundum hanc pacem, non attenta Religione, partibus Ius dicant. Neque contra hæc processum aut mandatum decernant, vel alio modo agant.

§. III.

Quantum damni & præiudicij hæ conditiones Catholicæ Religioni inferant.

ID patebit, si apertioribus verbis dictas conditiones in istud compendium redigamus.

I. Prin-

I. Principibus & Statibus secularibus non solùm fas est à vera fide deficere, verùm citam hæresin in principatus & dominia sua introducere. art. 1. hinc orta est ea Regula: Ius Religionem introducendi, siue reformandi concessum est alto, siue mero seu sublimi Imperio, vt, qui istud habet, potestatem habeat Religionem mutandi & constituendi.

II. Deficiendi libertas conceditur quoque Archi Episcopis, Episcopis, Prælatis & alijs quibusvis Ordinis Ecclesiastici, modò Ecclesias & Beneficia cum fructibus dimittant, art. 5.

III. Eâdem libertate gaudent omnes subditi Catholicorum Principum & Statuum, si velint emigrare; art. 11.

IV. Apostatarum honori cauetur, tollendo omnem infamiam iuris nimirum seu facti, quæ hæresin insequitur, art. 5. & 11.

V. Subditi Protestantium aut Religionem illorum sequi debent, aut ex ditionibus eorundem migrare, art. 1. & 11. Vnde rursus confirmatur Regula sublimis Imperij.

VI. Bona Ecclesiastica ante transactionem Passauiensem occupata, quæ Imperio immediatè non subsunt, neque intra neque extra iudicium repeti possunt, art. 6.

VII. Ecclesiastica Iurisdictio adversus Augustanam Confessionem, eiusque Ministros & Ordinationes institutas aut instituendas suspensa est, art. 7.

VIII. Catholici ex bonis & redditibus intra territorium Protestantium sitis, ministerijs & Scholis Lutheranis prouidere debent, vti antehac Catholicis, art. 8.

IX. Si controuersiæ Religionis non componantur, in Concilio aut Comitijs, nihilominus Pax hæc absoluta, inconditionata & perpetua esse debet, art. 12. Eadem perpetuitas confirmata fuit in Comitijs, Anno 1557. 1559. 1566.

X. Constitutionibus Imperij & alijs ordinationibus contrarijs (adeòque vel maximè Pontificum & Ecclesiæ) derogatur, neque vlla declaratio in contrarium dari, peti, acceptari potest, art. 15.

XI. Ad hanc Pacem obseruandam Cæsar & Status pro se & Successoribus ac hæredibus suis fidem obligârunt, art 16.

XII. Cæsar & status Catholici secundum Pacis hujus articulos non minùs Protestantes, quàm Catholicos defendere debent, imò & iuvare in hæresi introducendâ, & subditis ad eam, vel emigrationem compellendis, si reniterentur. art 17.

XIII. Denique Camera Imperialis secundum hanc Pacem, non attentâ Religione, Ius dicere tenetur, adeoque condemnare v.g. subditos Catholicos protestantium ad acceptandam Confessionem Augustanam aut emigrationem, &c. art. 18.

§. IV.

§. IV.

Qualem Amnistiam cupiant Protestantes?

AMnistia vox Græca significat Legem obliuionis, qualem Thrasibulus Athenis tulit, eâque Rempublicam pacauit. *Reconciliatâ Pace*, ait Æmilius Probus, *cùm plurimum in ciuitate posset, legem tulit, ne quis antè actarum rerum accusaretur, neue multaretur*, eamque illi legem obliuionis vocarunt. Idem commemorat Valerius Maximus lib. 4. cap. 1. & imitatum se in Antonij, Cassij & Bruti discordijs componendis asserit Cicero Philipp. 1.

Præter hanc Amnistiam iniuriarum & maleficiorum seu damnorum, alteram quoque postulant Protestantes, iurium & bonorum ereptorum: vt nimirum pars læsa non solùm obliuiscatur iniuriarum, sed iurium quoque & bonorum iniusto bello sibi ereptorum, eaque inuasoribus in perpetuum vel ad tempus cedat & relinquat. Hæc posterior Amnistia inusitata est & peracerba; etsi absque eâ acquieturi Protestantes non videantur.

A quo verò anno & quorum bonorum cessionem postulaturi & impetraturi sint, tempus dabit. (NB. Imò iam dedit, vt ex Amnistiâ editâ & ex Grauaminibus, quæ Monasterij obtulerunt Protestantes, constat.)

Id fixum esto, nihil ex se illicitum sanciri, vel cuius potestas non sit penès Cæsarem & Status Imperij, ipsis concedi posse. Eadem enim ratio Amnistiæ quæ pacis, cuius proprietas quædam est, vel effectus, vel via ad eam obtinendam.

SECTIO II.

Quibus argumentis ostendi videatur, licite eiusmodi Pacem etiam perpetuam sanciri?

RATIO. I.

ETsi nulla necessitate vrgente illicitum est hæreticos tolerare, illisque falsæ Religionis libertatem permittere aut promittere: at, cùm Reipublicæ salus & veræ Religionis conseruatio id exigit, *quod non est licitum in lege, licitum facit necessitas*. c. quod non est licitum 4 extra: de Reg. Iuris.

B Ratio

RATIO II.

Deus mala permittit.

H*Vmanum regimem derivatur à Diuino & ipsum debet imitari*, ait S.Th.2.2. q.10. a 11. c. Ergo sicut Deus mala permittit ob maius bonum, aut ne sequatur maius malum, ita licitè Cæsar & Status Catholici libertatem falsæ Religionis permittunt, ne vera Religio penitùs intereat. Ex duobus enim malis minus eligi debet. c. duo mala dist. 13.

RATIO III.

Zizania non euellenda.

DIuinæ gubernationis exemplum, Christus Zizaniorum parabolâ confirmat Matth. 13. Prohibens, *ut eradicentur cum periculo tritici, & mandans vt simul sinantur crescere vsque ad messem.* Christo igitur morem gerunt, qui cum periculo tritici nolunt eradicare hæreticos, sed initâ pace illos sinunt crescere vsque ad messem à Deo decretam.

RATIO IV.

Vasa sacra vendi possunt.

VAsa Ecclesiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere licet propter pauperes, captiuos, ædificia templorum & cæmeteriorum c. aurum, 12. q. 2. ergo prædia quoque, pagos & oppida Ecclesiarum hæreticis cedere & transcribere fas est ad redimeuda extrema mala & pericula Imperij & Religionis.

RATIO V.

Ecclesiasticorum obligatio & Fundatorum intentio.

ECclesiastici vt præcipua Imperij membra & Religionis Antistites ad vtriusque conseruationem vel maximè obligantur. Si igitur Pax aliter obtineri nequit, nisi cessione aliquot bonorum Ecclesiasticorum, eam recusare non debent, cum præsertim præcipua fundatorum fuerit intentio Religionis conseruatio.

RATIO VI.

Necessitas facit omnia Communia.

IN *necessitate omnia fiunt Communia iure naturæ* teste S.Th. 2. 2. p. 66. a. 7. *adeò, vt in casu extrema necessitatis possit & debeat aliquis etiam auferre aliena, vt proximo subveniat teste* eodem q. 62. a. 5. ad 4. Quod cum in necessitate publicâ, præsertim Religionis, multò magis locum habeat, quam in priuatâ, censendum est ea bona Ecclesiastica, sine quorum cessione pax sperari non potest, facta esse communia toti imperio, & cecidisse sub potestatem Cæsaris & Statuum, vt Pacem inde redimant.

Ratio

RATIO VII.

Ahſque hoc remedio PAX deſperanda.

VEl cedeudum eſt Religioni & Eccleſiaſticis, vel pax deſperanda Germanis. Negatâ enim Religionis libertate & omni bonorum Eccleſiaſticorum Ceſſione, Pacem nullam admittent Proteſtantes. Non eſt autem congruum diuinæ prouidentiæ, quòd Deus Cæſari & Statibus poteſtatem eripuerit, remedij tam neceſſarij, & nos in neceſſitatem belli æterni coniecerit.

RATIO VIII.

Bona Intentio,

CÆſar & Status Catholici optimâ intentione conſeruandi Religionem eiuſmodi pacem ſanciunt, mala autem per accidens euenientia, aut hæreſis promotionem, vel approbationem nequaquam intendunt. Non ergo eâ in re magis peccant, quàm bellum iuſtum, aliaque gerendo, cum quibus per accidens & præter intentionem multa ſcelera aliaque mala coniunguntur. At non pauca hæc Pax Religionis in fauorem Catholicorum continet, vt reſeruatum Eccleſiaſticorum, poteſtatem reformandi Catholicis etiam Statibus & emigrationem Lutheranis quoque ſubditis conceſſam. Vt adeo hæc pax mala ſua paribus bonis compenſet.

RATIO IX.

Exempla.

S. Ioannes Papa I. vrgente Theodorico Rege Italiæ Ariano libertatem Religionis Arianis à Iuſtino Imperatore Catholico petiuit & impetrauit, teſte Anaſtaſio in Ioanne. S. Athanaſ. teſte Zozomeno l.3 c,19. inſtante Conſtantio Imp. Arianis Eccleſiam Alexandriæ concedere paratus fuit. Concilium Baſileenſe conceſſit Bohemis, vt Baſileæ in ſuis hoſpitijs diuina celebrarent. Chriſtiani Imperatores olim ſæpius eiuſmodi Religionis libertatem conceſſerunt Superiori ſeculo Ferdinandus I. alijque Principes Catholici tranſactionem Paſſauienſem Anno 1552. & Pacem Religionis Anno 1555. ſanxerunt. Eiuſdem Pacis confirmationem Petrus Caniſius cum alijs è Societate Ieſu, Anno 1566. probauit, & Legato Apoſtolico, ne obſiſteret perſuaſit, vt refertur in eius vita, eodem An. Ferdinandus II. Pacem Pragenſem in 40. annos ex Theologorum conſilio pepigit.

His exemplis ſuffragatur tolerantia Iudæorum & permiſſio Vſurarum ac lupanarium.

Contraria denique ſententia infauſtos ſæpè exitus habuit tum alibi, tum maximè in Germania, quando an. 1630. Pax à Theologis impedita fuit, vt non diſſimilis videatur Conſilio, quod Roboamo dederunt iuuenes. 3. Reg. 12. v. 10.

RATIO X.

Sententiæ huius probabilitas.

PAtrocinatur igitur huic paci multiplex ratio & autoritas, vt illicita secundum se dici non queat, sed tutò, in tantis præsertim necessitatibus, Theologi eam suadeant, & principes sequantur. Auctores compositionis Pacis c.5.q.29.n.51 *etiam fœdus perpetuum cum sectariis per aliquas circumstantias honestari posse credunt.* Tanner. Tom 3. disp.1.q.9.dub.3.assert.2 id quidem non affirmat, sed neque negat.

Plurium Theologorum suffragia haberemus, si occasio hâc de re scribendi se pluribus obtulisset. Quæ in diuersam partem afferuntur, vt docta sint, merè tamen scholastica sunt: Consilijs & Theologis practicis nunc opus est.

SECTIO III.

Quædam in hac ardua quæstione præ oculis habenda.

I.

PERMISSIO MALI TRIPLEX.

PErmissionem mali triplicem distinguunt Gerardus de Senis & Ioannes Andreas in reg. peccatum. de Reg. Iuris in 6. Item Angelus alijque Summistæ Theologi, vbi agunt de Vsuris. Prima est permissio simplex indulgens Pœnam, vt cum ob multitudinem, aut potentiam delinquentium delicta non puniuntur. Secunda & indulget pœnam & præterea prohibet, ne alij malum intempestive impediant vel tollant. Sic Ecclesia non solum tolerat ritus Iudæorum, sed prohibet quoque, ne Christiani festiuitates eorum impediant, Cæmiteria inuadant, personas occidant, c. Sicut de Iudæis c. Qui sincera, dist: 45. Tertia est cooperans & adiuuans, quæ malum non solum tolerat, idque impedientes coërcet, verum etiam promouet, auget, defendit, vel est pars actionis criminosæ siue peccati. Sic Pilatus permisit quidem, non præcepit Christum crucifigi, cum tradidit eum voluntati Iudæorum. Luc.23.v.25. Sed cooperatus est tanto sceleri præstando Iudicis autoritatem, & Satellites aliaque executionis adminicula suppeditando.

II.
Permiſſio quæ licita vel illicita?

PErmittere malum primo & ſecundo modo, vt maius bonum obtineatur, vel maius malum impediatur, licitum eſt. Vtriuſque permiſſionis exemplum præbet diuinum regimen. Prioris, cum benignitas Dei pœnam diſſimulando peccatores *adducit ad pœnitentiam*. Rom. 2. v. 4. Poſterioris, *ſinendo zizania creſcere vſque ad meſſem, nobiſque prohibendo, ne cum periculo tritici ea eradicemus*. Matth. 13. Extra has duas cauſas peccant Principes & Magiſtratus, ſi ſcelera manifeſta impunè tolerant, aut ea corrigere volentes impediunt. *Non enim ſine causâ gladium portant, Dei enim miniſtri ſunt, vindices in iram iis, qui malum agunt.* Rom. 13. verſ. 4. Tertio modo malum permittere cooperando, ſiue adiuuando, ex ſe illicitum eſt, ſi id, quod permittitur, peccatum eſt. Hoc genus peccati in Catechiſmo inter peccata aliena recenſetur, & generatim damnatur à S. Paulo Rom. 1. v. 32. *quoniam, qui talia agunt, digni ſunt morte, non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*, vel maximè autem cooperatio arguit conſenſum, cuius eſt effectus & argumentum.

III.
Permiſſionis cooperantis natura.

COoperatio duplex eſt, directa & indirecta. Directè cooperatur malo, qui ea agit, *quæ ſuâpte natura ad peccatum ordinantur*, vt ſunt illud ſtabilire, augere, defendere, *vel qui pars eſt, & Socius peccati*, vt cum Seruus Concubinam inuitat ad herum, aut miles pugnat in bello manifeſtè iniuſto. Indirectè cooperatur, *qui malum, quod poteſt & debet impedire, non impedit.* Sic Gubernator cooperatur ſubmerſioni nauis, quam deberet gubernare, ſi ex odio v. g. aut negligentiâ eam permittat ſubmergi iuxta S. Th. 1. 2. q. 6. a 3. Vbi iſtud indirectè, illud autem prius directè voluntarium vocat. Vtrumque reperitur in permiſſione cooperante. Hoc quidem in permiſſione Pilati, licet enim non præceperit Chriſtum crucifigi, quem maluiſſet dimitti, directè tamen cooperatus eſt, ferendo ſententiam & præſtando ſceleri autoritatem iudicis. Indirectæ cooperationis rei ſunt Principes & Magiſtratus, qui ſcelera tolerant, cum ea punire aut impedire poſſent, ideoque ex Officio deberent. Eſt verò *permiſſio cooperans ſeu directa, ſeu indirecta, ſolum permiſſio comparatione præcepti, quatenus dicitur permitti, quod non præcipitur? at reſpectu effectus eſt commiſſio.* Committit enim peccatum, qui illi cooperatur, & quidem eiuſdem ſpeciei: *Sic furti reus eſt, qui currit cum fure, & adulterij qui cum adulteris portionem ſuam ponit.* Pſalm. 49. v. 18.

IV

IV.

Non quia licet tolerare, licet absolutè pacisci.

ID rectè admonuerunt Autores compositionis Pacis.c.5.q 26. n.30. & Tannerto.3.disp.1.q.9.dub.3.n.97. Tolerare enim mala, intentione maioris boni aut metu maioris mali, licitum est & laudabile ijsdem circumstantijs durantibus. Absolutè autem vel in perpetuum eiusmodi tolerantiam spondere, repugnat obligationi Principum & Magistratuum. Eiusmodi enim promissio se cludit circumstantias excusantes, & quantum est ex intentione paciscentium, & natura pacti, obligat ad malum tolerandum, etiam mutatis circumstantijs, quando id impediri posset, & ex officio deberet. Vnde eiusmodi pactum non solum est ex genere suo illicitum, sed etiam irritum: *Quoties contractus est contra bonos mores iuris naturalis aut diuini, etiamsi iureiurando firmetur, non fit ratus, nec firmus.*

V.

Principibus politicis nulla Iurisdictio Ecclesiastica competit.

DVplex est potestas in Ecclesia, vt explicat Suarez lib.3.aduers.Regem Angliæ. cap.7. Vna *Ordinis* sacrificandum & administranda Sacramenta, Altera *Iurisdictionis*, tum in foro interiori ad remittenda peccata, tum in exteriori ad regendam Ecclesiam Dei; quæ huc spectat. Neutrius secundum se capaces sunt Principes & Magistratus politici, vt fatentur omnes Catholici, quia potestatem spiritualem à politicâ secundum veræ fidei Regulam distingunt. Tã ergo non possunt Principes potestate politicâ quidquã statuere de iuribus Religionis & Ecclesiæ, quatenus illa dimanant à iure pascendi oues Christi, quod accepit Petrus Io.21, v. 15. quã non possunt exercere vllum actum Ordinis. Neque his in rebus necessitas, error aut opinio tribuit Iurisdictionem; vt in ciuilibus & politicis arg.l. Barbarius ff. de officio prætor. tribuere existimatur. Iura enim Religionis & Eccl. gubernandæ non depêdent ab arbitrio humano, sed diuino, quod dispositioni vel ratihabitioni humanæ non subiacet, nisi quatenus Præsidibus Ecclesiæ Deus concessit. Ideòque *vana & irrita sunt, quæcunque Principes & Potestates seculares de rebus spiritualibus, & ad formam Ecclesiasticam spectantibus statuunt, etsi summâ ratione* (imò & necessitate) *nitantur, idque propter defectum potestatis & iurisdictionis.* Ita Conradus Brunus lib. 3. de hæres.c. 17.

VI.

Quod ex se peccatum est, necessitas licitum non facit.

DVo id iuris naturalis & diuini principia persuadent, Vnum explicat Christus Matt.16. vers. 26. *Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò*

verò suæ detrimentum patiatur? Nulla ergo tanta jactura est, quæ peccato redimi debeat aut licitè possit: alioqui enim Christus id facienti detrimentum animæ, quod solo peccato incurritur, non intentaret. Alterum stabiliuit Doctor gentium Rom. 3. vers. 8. *Non esse videlicet facienda mala, vt veniant bona,* cùm erroris contrarij ex eo quod diceret etiam *iniquitate nostrâ DEI iustitiam commendari*, falso sibi impositi blasphemiam à se repulit, & damnatione dignam iudicavit. Nullum ergo tantum bonum est, cuius causa peccare liceat, alioqui vel maximè ad illustrandam Dei gloriam id licere, quod veluti blasphemiam vt omnem boni finis intentione, peccandi licentiam excluderet, Apostolus damnauit. Quare præposterè nec Christianè Religionis & Imperij necessitas ad persuadendam pacem exaggeratur, priusquam licitas esse conditiones constiterit. Quæ si ex se illicitæ fuerint, non magis eas inire fas est, quàm necessitatis cuiuscunque causâ fidem negare, blasphemare, pejerare, fornicari, adulterari. Sicut autem *nemo sanæ mentis consultat de Impossibilibus*, teste Aristotele 3. Ethic. cap. 3. ita nemo verè Christianus, Deumque timens deliberat de illicitis. *Perinde enim est timorata conscientia, non licere & fieri non posse.*

VII.

Omnium Statuum Catholicorum interest Pacem illicitam, non fieri.

PErniciosus error est existimare, aut nihil aut parum interesse Catholicorum, qui Protestantibus vicini non sunt, neque aliquando bonis aut Iuribus Ecclesiasticis ab ijsdem spoliati fuêre, quibus conditionibus PAX transigatur. Cum enim Principes & Status singuli suffragium ferre debeant non pro se, suisque duntaxat ditionibus, sed pro toto Imperio: (secundum plura enim suffragia in Comitijs decerni solet) interest conscientiæ & salutis singulorum, ne quidquam Legibus diuinis & Religioni maximè aduersum suadeant vel ratum habeant, suoque suffragio comprobent, etsi id non ipsos, sed alios concernat. Multò enim iniquius est aliorum Episcoporum aut Catholicorum bonis ac Iuribus suo suffragio derogare, quàm suis, in quæ qualecunque Ius obtinere videntur. Denique ad omnes Status Catholicos PAX Religionis eiusque extensio attinet, tum quia ex omnium ditione subditi possunt ad hæreticos emigrare, tum quia si eiusmodi Pace hæresis nimium inualescat, periculum, quod antea paucorum fuit, erit omnium, & vbique vicinus paries ardebit.

SECTIO

SECTIO IV.

Pacem cum illis Conditionibus, quas desiderant Protestantes, ex se illicitam esse demonstratur.

De perpetuâ præcipuè agimus; temporaria enim parùm fidei & securitatis habet: Neque acquiescent Protestantes, donec vndequaque stabilem seu iam seu alias obtineant. Etsi, quæcunque cum illis ineatur, perpetuitatem habeat, quatenus Pacem Religionis includit & confirmat. Quas autem Conditiones desiderent Protestantes, patet & Sect. 1. §. 1. Talem ergo Pacem & quamuis ei similem ex se, siue genere suo illicitam esse demonstramus sequentibus Argumentis

1. PAX eiusmodi, hæresi tum directè, tum indirectè cooperatur.
2. Infert iniuriam Creatori & veræ Religioni.
3. Est causa perditionis animarum.
4. Est vsurpatio potestatis non-competentis.
5. Repugnat officio & iuramento Cæsaris, Statuumque Catholicorum, maximè Episcoporum,
6. Est frustratoria, ipsoque bello periculosior.
7. Absque comparatione est magis inordinata mendacio, quod necessitatis causâ licere negant Catholici.
8. Ecclesiæ DEI, Summorum Pontificum, SS. Patrum & veterum DD. suffragio destituitur & damnatur.

Hæc singillatim demonstremus.

RATIO I.

PAX eiusmodi hæresi tum directè tum indirectè cooperatur.

Vtramque cooperationem descripsimus Sect. 3. n. 1. & 3. Cùm verò directa ex indirectâ clarius elucescat, hanc illi præmittimus.

§. I.

Explicatur cooperatio indirecta.

Ea PAX indirectè cooperatur hæresi, quæ sancit illius tolerantiam, exclu[illegible] circumstantijs excusantibus, siuè eo etiam casu, quo tolli posset ac deber[illegible] Id agit PAX, quam desiderant Protestantes. Indirectè ergo hæresi cooperat[illegible]

Prop

Propositio patet ex indirectæ cooperationis naturâ Sect.3. §.3. traditâ. Assumptionem probamus:

I. PAX Religionis, quam stabiliri & ampliari volunt Protestantes, est perpetua iuxta art.12. Extenditur ergo in eum quoque casum, quo hæresis tolerari non posset nec deberet, sublatis videlicet causis excusantibus, quæ sunt maioris boni obtentio, aut maioris mali depulsio. Eiusmodi enim circumstantias esse mutabiles tū natura hæresum, quæ ætatem perpetuam non ferunt, tum mutabilis rerum humanarum conditio conuincit.

II. Eadem PAX est *absoluta & inconditionata* iuxta cit. art.12. excludit ergò causas excusantes. Absoluta enim & inconditionata non foret, si à circumstantijs vrgentis necessitatis dependeret. His autem sublatis, imminutâ v.g. hæreticorum multitudine aut potentiâ, Princeps iure diuino tenetur scelera, & vel maximè hæresin eorum grauissimum punire & extirpare. Quod cùm non facit, aut se non facturum promittit, indirectæ cooperationis manifestè reus est.

Neque obstat, quod PAX Religionis videatur initio solùm conclusa vsque ad amicabilem Religionis compositionem. Nam primò, Etsi Catholici hâc Conditione adiectâ Conscientiæ suæ consultum cupiebant, tamen Protestantes, paulò antequam PAX Religionis concluderetur, die 7. Septembris, Anno 1555. clausulam *absoluta & inconditinata perpetuitatis* à FERDINANDO I. extorserunt, Pacem alioqui temporariam & instabilem fore causantes, vt constat ex Actis publicis apud Lehmannum. Cùm eâdem *perpetuitatis* clausulâ PAX Religionis confirmata fuit in Comitiis Anno 1557. Ratibonæ, Anno 1559. Augustæ sub eodem FERDINANDO I. & postremo iterum Augustæ Anno 1566. MAXIMILIANO II.

Deinde etsi conditio compositionis amicabilis, si eam non sequi contingat, per clausulam Pacis perpetuæ exclusa non fuisset, nihilominus PAX Religionis perpetua foret. *Conditio* enim *impossibilis habetur pro non adiectâ.* Cap. fin. de condit. appos. in despons. vel alijs contract. Non autem magis possibilem aut sperandam esse amicabilem compositionem hæresis cum fide Catholicâ, quam concordiam ignis & aquæ, lucis & tenebrarum, Christi & Belial, experientia à Christo nato docuit. Item Germani experimur. Nam cùm initio sæpius eiusmodi compositio, in Comitijs maximè tentata fuerit, nunquam tamen successit. Ideòque post annum 1566. Cæsar & Status Imperij de eâ re velut desperatâ in Comitijs nunquam ampliùs deliberârunt, sed tam Catholici quàm Protestantes in Pace Religionis tanquam *lege fundamentali Imperij* acquiescunt.

Denique etsi daremus hanc conditionem simpliciter adiectam & possibilem

C esse,

esse, illicita tamen foret. Facilè enim inciderent tempora, quibus si remedia mollia nihil proficerent, Cæsar & Catholici absque periculo hæresin vi coërcere & tollere possent, ideoque ex officio, quo gladium portant, deberent.

Hæc perpetuitas omnes Conditiones Paci Religionis insertas reddit illicitas, quatenus Religioni Catholicæ adversantur, etsi aliquæ ad tempus pro circumstantijs duraturæ necessitatis licitè iniri possent. Transfert enim illas ad permissionem tertij generis sivè cooperantem. Sect. 3. §. 1, 2. & 3. explicatam quia extendit hæresis tolerantiam ad eos casus, quibus impediri posset, ac deberet. Ex quo capite, qualiscunque PAX iam sanciatur, illicita erit, si PAX Religionis in ea confirmetur.

II.

Explicatur cooperatio directa.

DIrectè cooperari malo est *ea agere, quæ suapte naturâ ad peccatum ordinantur; vel esse partem aut socium peccati sive actionis criminosæ*, ut constat ex Sect. 3. §. 3. utroque modo PAX Religionis, & quævis illi similis directè cooperationis rea esse convincitur. Priori modo præstant hæresi auctoritatem iuris publici, quod ad eam stabiliendam, augendam, defendendam, ordinatur quadruplici ratione.

Nam I. Hæretici, iure divino & humano infames, vi huius Pacis inter publicas & fundamentales Imperij leges receptæ, obtinent Statum illæsæ dignitatis: detrahitur enim hæresi & Apostasiæ omnis infamia sivè Iuris sivè facti, art. 5. & 11.

II. Regula annectens ius reformandi alto scilicet Imperio, ex se ordinatur ad hæresin augendam, imò in totum Imperium introducendam, si plures potentioresque Principes & Status à fide deficiant, aut Protestantes hæreditate vel alio Iuris titulo Catholicas ditiones suas faciant. Hanc regulam deduci ex art. 1. & 11. Pacis Religionis diximus Sect. 1. §. 3. Quam confirmat perpetuam praxis, & authoritas FERDINANDI II. is enim in Pace Pragensi Electori Saxoniæ petenti libertatem Religionis pro Provincijs Austriacis, dictam Regulam opposuit & firmavit afferens, *quod aliis Statibus concessum sit, (ut ius Religionis sublimi Imperio seu Iurisdictioni territoriali cohæreat) id Cæsari illicitum & vetitum esse non debere.*

III. Iisdem in Tribunali Cæsareo conceditur ius & actio ad Spolia Catholicis ante Tractatum Passaviensem erepta retinenda & vindicanda, itidem ad Confessionem Augustanam in ditionibus suis introducendam, subditis licèt invitis, aut Episcopis contradicentibus. Iubentur enim Iudices Cameræ Imperialis secundùm dictæ Pacis articulos non attentâ Religione jus dicere, art. 18.

Voca-

Vocamus autem hîc Ius quamvis legem publicè receptam, & actionem quamvis facultatem aliquid in iudicio persequendi, sive iustè id fiat, sive iniustè; quo pacto Ius Regis appellavit Samuel 1. Reg. 8 v.11.

IV. Denique si aduersùs hanc Pacem molestiam aut vim patiantur, non minùs eos defendere tenetur Cæsar, quàm Catholicos art.16 & 17.

Etsi verò permissio quoque secundi generis aliquam actionem aut defensionem tribuit, (quo pacto Ecclesia coërcet fideles, ne Iudæos in suis ritibus impediant, uti dictum Sect. 3. §. 1.) est tamen ratio valde diversa. Nam aut talis coërcitio non nititur lege perpetuâ, ut cum malum ad tempus toleratur; aut si jure est stabilita, ut coërcitio impedientium Iudæos, non extendit se ultra ritus ipsorum. Neque enim conceditur illis actio ad bona Catholicis erepta retinenda vel vindicanda, aut Catholicos ad Iudaismum compellendos, nec liberantur infamiâ; nec intervenit participatio peccati vel actionis criminosæ, qualis cernitur in Pace Religionis vel simili quam desiderant Potestantes.

Nam compellere subditos ad hæresin vel emigrationem ex patriâ, introducere vel reducere exercitium hæresis in loca Catholica, eripere Catholicis bona & jura legitimè recuperata ut hæreticis restituantur, non minùs sunt actiones ex se & obiecto malæ sive criminosæ; neque magis excusari possunt, quàm subditos domo eijcere, nisi in atrocia scelera consentiant; honorum exercitum aliquò introducere vel reducere; eripere denique innocentibus bona vel iura legitimè recuperata, ut sceleratis publicâ vindictâ coërcendis restituantur. Hæresis enim *ex suo genere grandia scelera non solùm æquat, sed etiam superat,* ut post S. Aug. tr. 89. in Ioannem cum S. Th. q. 10. art. 3. docent Theologi. Etsi quia hoc malum familiare est, & maiorem Imperij partem occupat, id non æstimamus.

Huius actionis criminosæ participationem induci, si defensio patrocinium & auxilium hæreticis promittitur manifestum est.

Expulsio Catholicæ Religionis & Catholicorum ex bonis & Iuribus legitimè recuperatis in Pace Religionis quidem non continetur, sed novæ Amnistiæ hunc sensum affingere volunt aliqui, ut videlicet Monasteria, Ecclesiæ, Ditiones hæreticis per hosce annos legitimè ereptæ ijsdem restituantur, id est, recuperata Prædonibus. Qui si ipsi rursus ea raperent, fieri deberet, quod impediri non posset; si autem Cæsar & Catholici id decernant, & re ipsâ præstent vel adiuuent, actionis illicitæ & criminosæ vel maximè participes sunt. Atque ex his posterior quoque modus directæ cooperationis intelligitur.

RATIO II.

PAX eiusmodi infert iniuriam Creatori & veræ Religioni, &c.

DVplici id Argumento probamus. Primò eiusmodi PAX cooperatur hæresi, quæ tota ex iniurijs & blasphemiis in Deum, Sanctos veram Ecclesiam & Sacramenta constat. Cooperari autem iniurijs Creatoris & veræ Religionis, est illarum reum se facere, *quoniam qui talia agunt, digni sunt morte; non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Rom. 1. v. 32. vide Sect. 3. num. 2. Qualis verò sit hæc cooperatio dictum est RAT. I.

Secundo PAX hæc, præter iniuriam cooperationis, aliam quoque specialem Creatori & Religioni infert, dum hæresim veræ fidei exæquat:

I. *In dignitate illæsa famæ*; detractâ enim hæresi infamiâ, Hæreticos & Apostatas in ordinem hominum honestorum recipit, art. 1. 5. & 12. quantùmuis infames fecerit Christus, Matth. 18. v. 17. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*, conspirante Iure vtroque, Canonico & Ciuili. Age, simili pace infamiam detrahe Magiæ & Sodomiæ, & excusa scelus, si potes!

II. In libertate profitendi, quæ non solùm Principibus, sed omnibus omnino, Laicis & Ecclesiasticis conceditur, art. 1. 5. 11. & eousque se extendit, vt sicut tota Germania Catholica fuit, ac esse deberet; ita per regulam alti seu meri Imperij, ad hæresin tota facilè queat traduci. Vnde apparet, Catholicam Religionem in Imperio non esse amplius præceptam, sed instar hæresis solùm tolerari; quæ est insignis contumelia Iuris diuini & veræ fidei, *sine qua impossibile est DEO placere*; Heb. 11. v. 6. Meritò Cardinalis Hosius, Paulo IV. Pontifici quærenti, quid sentiret de Pace Religionis, respondit: *Iam quod in ea Constitutione scribitur; liberum esse cuique debere, integrâ famâ fideque suâ, se ab Ecclesiâ Dei separare? quid hoc est aliud, quàm sacrilegium schismatis approbare?* vti refert Antonius Posseuinus in Epist. ad Stephanum Poloniæ Regem, similem Pacem eidem dissuadens.

III. *In defensione*; æque enim se defensurum eos qui sunt hæreticę, atque eos qui sunt Catholicæ Confessionis, & eodem vtrosque loco habiturum, vnà cum alijs Catholicis promisit Cæsar, art. 17. idemque mandatur Iudicibus Cameræ Imperialis art. 18. *Qua in re esse grauius erratum, quam vt vero sermone explicari queat*, respondit eidem Pontifici idem Cardinalis; Non enim minùs illicite promittitur defensio & patrocinium hæresi, quàm Magiæ, Sodomiæ, alijsque sceleribus.

IV. *In perpetuitate*; quam propriam Ecclesiæ Catholicæ prærogatiuam, PAX

Religionis.

Religionis communem facit cum hæresi, perpetuam ei libertatem paciscendo contra hæresum naturam, quæ vt citò oriuntur, ita facilè occidunt.

Væ vobis, qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum, ait Isaias cap. 5. v. 20. *Quæ autem conuentio Christi ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli* (clamat S. Paulus 2. Cor. 6. v. 15.) vt honestate, libertate, defensione, perpetuitate pares habeantur aut fiant?

RATIO III.

PAX eiusmodi est causa perditionis animarum.

DVplici quoque ratione ostendimus, Primò ex cooperatione cum hæresi RAT. I. demonstrata. Cum enim ea fundamentum salutis, Fidem nempe euertat, quisquis huic malo cooperatur, perditionis animarum se reum facit. Elucet vero cooperatio in his maximè.

I. PAX Religionis art. 1. Principibus qui tum defecerant, potestatem dedit hæresim in suis ditionibus stabiliendi, & Catholicam Religionem funditus euertendi. Adeòque miseros illos populos diabolo in perpetuum veluti oppignorauit, vt reliqui Germani in vera fide manerent. Contra morem diuinæ bonitatis & Iustitiæ, quæ vt alios seruet, alijs viam salutis non claudit.

II. Eadem PAX Principibus Secularibus, non solum imposterum quoque concedit potestatem deficiendi, sed subditos etiam reformandi, vti ex art. 1. & 11. colligitur, & Imperij Praxis confirmat. Subiacent igitur animæ quoque subditorum arbitrio Principum Germanorum; frustrà clamante Deo Ezech. 18. v. 4. *Ecce omnes animæ meæ sunt*! Tradit enim illas Pax Religionis Principibus eâdem ratione seducendas, quâ Pilatus metu sui periculi perculsus, Christum tradidit Iudæis crucifigendum. Ioann. 19. v. 16. Aut ergo Pilatum absolue, aut hanc Pacem damna.

III. Subditis imponitur necessitas aut hæresis amplectendæ, aut iniustæ emigrationis. art. 11. Vt enim emigratio Catholicis inter Catholicos est illecebra Apostasiæ; propter amicam carni noui Evangelij libertatem: ita ijsdem inter Hæreticos est lex Exilij, ipsisque Hæreticis remora conuersionis. Innumeri hisce præsertim annis ad nos transiissent, aut transirent, si illis Catholicum Principem retinere, aut sub Acatholico veram fidem in Patria profiteri liceret. Pauci sunt Abrahami, *qui vocante Deo egrediantur de terrâ suâ, & de cognatione suâ, & de domo Patris sui*. Gen. 12. v. 1. Multi se in Patria facilè alunt, qui ægrè foris mendicant. De-

nique si integra communitas, oppidum, pagus emigrare vellet, an credimus aut id permissuros Status Protestantes, aut exules locum apud nos reperturos, vbi considere, & victum habere, aut quærere queant?

IV. Facultas apostatandi omnibus tum Laicis, tum Ecclesiasticis permittitur. art. 5. & 11. Vtrique enim authoritate Pacis Religionis impunè transire possunt ad Confessionem Augustanam. O miseros Germanos quibus peccare licet! etsi peccare nemini licet, sed sermonis errore labimur, id enim licere dicimus, quod cuique conciditur, ait Cicero 1. Tuscul.

V. Cooperatio directa maximè cernitur in autoritate Iuris publici, quâ Pax Religionis hæresi detrahit infamiam; hæreticis dat actionem, & præstat defensionem non minùs quàm Catholicis, quodque nullâ excusatione colorari potest, compellit subditos etiam renitentes ad hæresim, nisi emigrare velint. Si enim maneant, non solùm per Pacem Religionis veram fidem illis profiteri in patria non licebit, verùm etiam compellentur per Principes suos, & sententiam Cæsaris, si renitantur, ut reformationi se subijciant, ut bonis auitis ac Patriâ, nullâ aliâ, quàm veræ religionis culpâ cedant, ac in exilum abeant. Quorum illud Sacrilegium, istud iniquum: prius autem tam apertè impium est, ut licet daremus emigrationem necessitatis obtentu purgari posse, alterum optionis membrum fit inexcusabile, totamque disiunctionem vitiet. Hæc simplicioribus non immeritò ingenerant opinionem, utramque Religionem esse veram & approbatam: Cùm præsertim Catholici quoque pacem Religionis pro lege fundamentali habeant. Quasi hæresis tolerantia & defensio esse queat fundamentum Catholici Regiminis, vel Imperij Germanici, quod tamdiu invictum fuit, quamdiu integrè Catholicum fuit; tuere cœpit, cum Hæresin recepit.

Secundò, speciali ratione, PAX nova perditionis animarum rea erit, si Catholicam Religionem & Catholicos ex bonis & Iuribus per hosce annos legitimè recuperatis expellat; quod ante Pacem Pragensem inauditum fuit Imperio. Nam PAX Religionis solùm concessit, ut Protestantes ea, quæ Catholicis antè eripuerant, retinerent; non autem ut Catholicis eriperentur, quæ tum legiantè tenebant, aut recuperârant, Ita indies cordatiores sumus in exitium nostrum & aliorum. Nam præterquam quòd Pacifici hi expulsores actione criminosâ & sacrilegâ Deum offendunt: innumeras quoque animas, verâ fide jam imbutas, aut propediem imbuendas, denuo sub jugum Hæresis mittunt.

R A-

RATIO IV.

Pax eiusmodi est usurpatio potestatis non competentis.

Ea potestas incompetens est, quæ neque jure divino, neque humano conceditur. Potestatem sanciendi Pacem Religionis vel aliam similem, Cæsar & Status Imperij neutro jure acceperunt; potestatem igitur sibi non competentem hac in re usurpârunt & usurpant. Propositio per se patet. Omnis enim potestas à Deo aut homine datur, quam si neuter dedit, nemo habet. Imò non est potestas nisi à Deo. Rom. 13. v. 1. nam illam, quam homines dant, Deus quoque instituit, ut darent.

Assumptio fidem habebit, si ea expendamus, quorum potestatem sibi Cæsar & Status in tali pace usurpant: Sunt autem hæc præcipua. Libertas hæresis profitendæ, & exercendæ. Suspensio Iurisdictionis Ecclesiasticæ erga hæresin & hæreticos; Cessio & traditio bonorum Ecclesiasticorum & subditorum Catholicorum: Renuntiatio constitutionum & ordinationum huic paci adversantium. Hæc autem esse extra sphæram potestatis politicæ ostendimus.

Nam I. Oppositorum eadem est ratio; de fide autem Catholicâ & Ecclesiâ nihil decernere potest Princeps Politicus. Ergo nec de oppositâ hæresi, quatenus urgente necessitate toleranda sit. Arcere enim lupos vel tolerare, pertinet ad Ius pascendi oves Christi quod Ioan. 21. v. 15. Petro, ejusque successoribus demandatum est. Nec Principes Politici quicquam legitimè hac in re agunt, nisi quatenus eorum operam Ecclesia requirit.

II. Non possunt Cæsar & Status suspendere Iurisdictionem Ecclesiasticam, quia nullam habent. Non minùs enim suspendere, quàm dare supponit Iurisdictionem eiusdem ordinis in suspendente, eamque superiorem: Iurisdictio quippè legitimè non exercetur, nisi in subditos. Cùm igitur Episcopi & Ecclesiastici, in Spiritualibus & Ecclesiasticis non subdantur potestati politicæ; eorumque iurisdictio non à potestate tali, sed à Christi in terris Vicario procedat; irritum est & inane, quidquid de eâ Principes Politici statuunt, ut dictum est Sect. 3. nu. 5. Gravissimè verò hac in re delinquit PAX Religionis, quod Iura Ecclesiastica *verbo suspendit, reipsâ penitus abolet, ob pacti perpetuitatem.* Jus enim, quod nullo unquam tempore exerceri poterit, extinctum meritò censetur.

III. Ecclesiæ earumque bona subiacent Ecclesiæ & Pontifici, tamquam supremo administratori; non possunt ergo potestate seculari alienari, seu transferri, maximè in hæreticos; aut quod nunc agitur, legitimè recuperata Catholicis eripi,

eripi, vt hæreticis restituantur. Etsi verò ex Ecclesiarum thesauris & reditibus, legitimâ authoritate subueniendum sit periclitanti Imperio & Religioni; oppida tamen, pagi, prædia, seu ditiones earum, cum alto seu mero Imperio hæreticis concedi non possunt. Simul enim tradi deberent animæ. Sic autem pacisci de ouibus Christi cum lupis vtique nefas est.

IV. Tollere vel suspendere ea, quæ sunt juris diuini & Ecclesiastici, vel ijs renunciare, excedit limites potestatis politicæ. Jura Ecclesiæ & Episcoporum in hæresin & hæreticos, in Ecclesias earumque bona & subditos, omnesque in Imperio Catholicos, nituntur Iure partim diuino, partim Ecclesiastico. Non potuerunt itaque, nec possunt Cæsar & Status Imperij ista (quatenus adversantur Paci Religionis & Ecclesiæ) renunciare: vti fecerunt, art. 15. Renuntiando enim omnibus contrarijs, vel maximè renunciârunt juribus Pontificijs, Ecclesiæ & Episcoporum; hæc quippe Paci Religionis directè repugnant.

Manifestum igitur est in his vsurpari à Cæsare & Statibus, Iurisdictionem non competentem, & Ecclesiam Dei sic paciscentibus meritò dicere: *Quis vos constituit Principes & Iudices super nos?* Exodi 2. v. 14. vbi præterea hæc obseruentur.

I. Cum Iura Religionis & Ecclesiæ à Iure diuino dependeant, eorumque Laici, quà tales, sint incapaces; nulla necessitas harum potestatum Cæsari, & Statibus magis tribuere potest, quam potestatem Ordinis, vt constat ex Sect. 3. numero 5. Quod verò DD. tradunt, *in casu necessitatis publicæ, Principem posse tollere iura & bona aliorum*, non extenditur ad ea, quæ sunt Iuris diuini, vt Iura Ecclesiæ in Religionem & animas.

II. Neque Episcopis jus aliquod competit ita paciscendi. Tum quia in comitijs non exercent potestatem Episcopalem, sed politicam, quam habent vt Principes. Tum quia nec habent Ius dispensandi, nec renunciandi. Non prius: quia non possunt dispensare in legibus Superiorum, DEI videlicet, Ecclesiæ & Pontificum. Non posterius; quia Iuri publico nemo renuntiare potest, juxta Reg. 45. ff. de reg. Iuris. Priuatorum conuentio Iuri publico non derogat. Quod eò verius est de Iure diuino & Ecclesiastico, quam de Ciuili, quo illud est altioris & arctioris Ordinis. Quare errauit FERDINANDVS I. si existimauit, vt aliqui scribunt, in sanciendâ pace Religionis, conscientiam suam exonerari posse per consensum Episcoporum.

III. Si quidquam hæreticis Pacis causâ licitè concedi potest, sine facultate aut rati habitatione Pontificis id fieri non debet, Quia is est supremus Iurium Religionis & Ecclesiæ arbiter. *Neque iniuriosum sibi debet Imperialis & regia dignitas reputare, si super hoc Apostolico Iudicio se committat*; vt ait Innoc. III. cap. Nouit. de Iudicijs.

dicijs: Exemplis Valentiniani, Theodosij & Caroli Magni authoritem suam in causa violatæ Pacis inter Reges Galliæ & Angliæ confirmans. Mirum profectò est pro facultate collectandi Ecclesiasticos, aut alienandi prædium Ecclesiæ ad Pontificem recurri: integros verò Episcopatus, Ecclesias, Monasteria, absque consensu Sedis Apostolicæ hæreticis concedi vel restitui. Hoc nempe est excoriare culices & glutire Camelos.

RATIO V.

PAX eiusmodi repugnat Officio & obligationi Cæsaris, Statuumque Catholicorum, maximè Episcoporum.

EX officio & Iuramento supremi Advocati Ecclesiæ, Cæsar tenetur Religionem Catholicam, Iura item Sedis Apostolicæ & Ecclesiæ pro virili defendere & promovere; scelera verò, maximè hæresin punire & tollere. Idem incumbit omnibus Statibus Catholicis ex Iure divino, maximè Episcopis, qui oves Christi pascere, errantes reducere, lupósque arcere debent; & peculiari iuramento Pontifici & Ecclesiæ obstricti sunt.

Atqui hæresi perpetuam, absolutam, & inconditionatam impunitatem, parémque cum Religione Catholicâ defensionem spondere & vi talis pacti tàm directè quàm indirectè cooperari in creatoris iniuriam & perditionem animarum, sunt talia quæ officio boni Principis & obligationi Cæsaris ac Statuum Catholicorum præcipuè Episcoporum manifestè repugnant; & in pace Religionis, vel alia simili, qualem Protestantes desiderant, aut omnia aut aliqua irrefragabiliter continentur. Pugnat igitur eiusmodi Pax cum officio & obligatione Cæsaris, Statuum Catholicorum & maximè Episcoporum.

Iurat futurus Imperator super sancta Dei Evangelia, ut ex Pontificali constat Deo & B. Petro, *se de cetero protectorem atque defensorem fore Summi Pontificis & S. Romanæ Ecclesiæ, in omnibus necessitatibus & utilitatibus eius custodiendo & conservando possessiones eius, honores & iura, quantùm divino fultus adiutorio poterit secundùm scire & posse suum, rectâ & purâ fide.*

Atqui vi Pacis Religionis iurat, seu quod idem est, *in verbo veritatis* spondet, se hostes Pontificis & Romanæ Ecclesiæ perpetuò & inconditionatè defensurum non minùs quàm Catholicos; Principibus hæreticis in hæresi introducenda

auxilio futurum; Iurisdictionem Ecclesiasticam erga hæresin & hæreticos exerceri non passurum, nec ut bona Ecclesiastica mediata, ante tractatum Passauiensem occupata, unquam repetantur. Quæ aliaque talia saluo officio & iuramento Cæsaris, non posse præstari, agnoscit, quisquis verba intelligit.

Episcopi in Consecratione inter alia hæc maxime jurant: *se Iura & authoritatem Romanæ Ecclesiæ & Pontificis conservarere, defende, promovere velle. Neque futuros in Consilio seu facto, seu tractatu, in quibus contra Pontificem, vel Ecclesiam Romanam, aliqua sinistra seu præjudicialia machinentur. Hæreticos, Schismaticos & rebelles pro posse persecuturos & impugnaturos. Possessiones ad mensam suam pertinentes, nullo modo aldinaturos.*

Atqui consentiendo in Pacem Religionis vel aliam similem, ad contraria se obligant. Qualia sunt, hæresi & hæreticis libertatem perpetuam & inconditionatam concedere; Iura Ecclesiæ & Religionis in bonis Ecclesiasticis & Secularibus, quæ hæreticis conceduntur, suffragio suo suspendere, imò abolere. Præterea, (quod ijs Episcopis peculiare est, quorum Diœcesis partem, aut aliqua bona Ecclesiastica ibi sita, hæretici occuparunt) Iurisdictionem Episcopalem iure divino sibi competentem, erga errantes oves & ius erepta repetendi in perpetuum abdicare.

Denique se una cum Cæsare obligare, ad hæresis introductionem & Catholicorum expulsionem vel seductionem, adiuvandum. Quod multo atrocius est, si Episcopi cogitent, se etiam ad diœcesanorum & ovium à Deo commissarum depravationem promovendam, éásque à se abigendas obligari; si contingat Principem secularem, in cujus dictionem diœcesis porrigitur, à fide deficere, & per Regulam alti seu meri Imperij, confessionem Augustanam subditis invitis introducere. Hæc verò in Pace Religionis contineri, evidens est ex dictis, eáque extremè juramento Episcopali adversari fatebitur quisquis lucem à tenebris, nigrum ab albo dissidere non negat.

RATIO VI.

PAX eiusmodi est Frustratoria, ipsoque bello periculosior.

ESse frustratoriam sive fallacem indè patet, quia ex neutra parte obligationem inducit; defectu tum materiæ, tum potestatis se obligandi. Defectus materiæ apparet ex cooperatione cum hæresi, injuriâ Creatoris & veræ Religionis; violatione

tione denique officij, quæ in ejusmodi Pace contineri demonstravimus, Rat. 1. 2. 3. 5. cùm enim hæc secundùm se sint illicita, nemo ad ea obligari validè potest, defectum potestatis explicavimus Rat. 4.

Esse eandem hanc pacem Bello periculosiorem persuadet hæreticorum perfidia: à qua Pacem præ se ferente majus periculum Catholicis inermibus imminere, quàm ab eâdem à parte belligerante armatis, sapientes non negabunt. Argumenta perfidiæ hæc sunt non vana.

I. *Experientia.* ab initio enim hæresis in Germania Protestantes nulla unquam pacta, nec Pacem quidem Religionis constanter & integrè servaverunt: detinent contra illam, partim antè, partim pòst occupatos viginti ferè Episcopatus, sive Principatus Ecclesiasticos, cum innumeris Monasterijs. Neque de illis restituendis, uti deberent, sed perpetuò retinendis cogitant.

Non desunt exempla eorum, qui recens in gratiam recepti fidem heri datam, hodie violant. Ante Pacem Religionis non adeò multa occuparunt; Post ea cordatiores, tantùm rapuerunt, ut nunc duas ferè tertias partes Imperij Germanici obtineant. Utinam Pax nova non tantùm illis animi addat, quantùm ad reliqua Catholicis eripienda sit satis. Experientiam domesticam confirmat exerientia totius orbis Catholici innumeris hæreticæ perfidiæ exemplis.

II. *Hæresis natura.* Est enim ea dissensionis partus & mater. Dissensio autem contrarios affectus inducit, animósque exacerbat. Ea igitur vigente, præsertim in re gravi (qualis est Religio) Pax stabilis sperari non potest. Consonat illud Christi, *Omne Regnum in se divisum desolabitur.* Luc. 11. v. 17. Neque credibile est Hæreticos qui fidem Deo debitam irritam faciunt, eam hominibus præstituros.

III. *Hæreticorum sensus.* Detestantur enim Religionem Catholicam, ut falsam Deo & saluti animarum adversam, eaque opinione ad eam opprimendam continuò incitantur. Sic quondam Oratori Cæsareo opponere non dubitârunt, non posse se absque læsione conscientiæ Religiosos & Catholicorum instituta tolerare; uti refert Hortlederus l. 7. c. 4. n. 23. Ex quibus alijsque scriptis, præcipuè quæ ante tredecim ferè annos titulo *Veredarij* vulgârunt, apparet, quàm malè ad pacem Religionis & quamvis aliam cum Catholicis servandam sint animati, si doctrinæ suæ principijs constanter insistant.

Sed prudentia carnis hanc hæreticorum perfidiam, in patrocinium eiusmodi Pacis, & excusandas excusationes in peccatis detorquet. Aiunt Cæsarem & Status Catholicos sic paciscentes, in praxi excusari posse! quòd sciant, Hæreticos Pacem mox violaturos; ideòque nec ipsis conditiones illicitæ seruandæ sint, nec animum eas servandi habere debeant, juxta Regulam DD. quam colligunt

ex ca. 3. de Jurejur. & gloss. ibid. & L. cum proponas. 21 C. de pactis quòd fidem frangenti, fides frangenda sit.

Atqui mysterium hoc non minùs Pseudo-Theologicum, quàm Pseudo-politicum manifestè refellitur.

Primò, pactum ex se illicitum non ideo extra culpam est, quia paciscens novit effectum per accidens non secuturum; Sic homicidij reus est, qui promittit alteri cædem innocentis, etsi prævideat, se propter abitum illius, vel diligentem custodiam, id effectui dare non posse. Etsi ergo constet, conditiones illicitas, ob alterius partis perfidiam non fore servandas, non ideo extra culpam sunt paciscentes. Trahit enim pactum malitiam ex objecto per se malo, eàque quoad substantiam completur in voluntate & actu paciscendi. Esse verò ex se malum objectum Pacis, quam desiderant Protestantes, agnoscunt Theologi, qui illam asylum hæreticæ perfidiæ eam ob causam appellant. Deinde Cæsar & Status Catholici seriò paciscuntur cum hæreticis: intendunt ergo se obligare ad servandas conditiones Paci insertas, licèt illicitas. Nullum enim pactum est serium absque intentione implendi, Antecedens probatur.

I. Cæsar & Status Catholici non mentiuntur, nec perfidè agunt, ut hæretici; habent ergo in animo, quod promittunt. Neque enim dices illos excusari à mendacio, quia hæretici mentiuntur: sicut excusantur ab observatione Pacis, quia hæreticeam violant. Nam violatio Pacis per Hæreticos, tollit obligationem ejus observandæ à Catholicis, juxta naturam pacti & Reg. cit. Mendacium autem hæreticorum non habentium in animo quod promittunt, non tollit falsitatem à verbis Catholicorum, si ipsorum quoque mens à verbis discordet.

II. Cæsar & Status Catholici ejusmodi Pacem cum omnibus conditionibus, sub Imperialis, Regiæ & Principalis dignitatis attestatione, & in verbo veritatis ac fidelitatis confirmant. Hæc autem vim juramenti habent. Ergo vel pejerant, quod nemo dicet; vel in animo habent, quod promittunt.

III. Catholici pacem promulgatam ejusque conditiones religiosè implere solent, etiam quas illicitas esse demonstravimus. Sic si Amnistia, de qua agitur, ad restituenda Protestantibus, quæ Catholici legitimè recuperârunt, extendatur, mox mandata emanabunt, quibus Catholici ejusmodi bonis & juribus cedere jubeantur, & recusantes Cæsaris authoritate, imò & armis expellantur. (NB. Imò hoc ipsum apertè in recenti decreto Amnistiæ continentur.) Quod in Pace Pragensi primùm decretum, antea inauditum erat.

IV. Etsi Protestantes fidem frangant, Catholici tamen constanter eam observant; quod perpetua experientia à Pace Religionis huc usque confirmat. Nam

post

post eam novis spoliationibus,& frequenti Rebellione multipliciter licèt violatam ab hæreticis, Catholici semper fidem seruarunt. Paciscuntur ergo seriò, siue cum intentione implendi, non solùm ex natura pacti secundùm se, verùm etiam contra illius naturam: Cum hæreticis fidem frangentibus fidem seruant, quam nec dare potuerunt, nec si dare potuissent, ad alterius partis perfidiam, eâ tenerentur.

Tertiò denique, si semel concedimus posse pactum ex se illicitum excusari, quod paciscentes sciant, ad perfidiam alterius partis id non fore observandum: licebit quantumus impias conditiones pacis causâ sancire, cum quibusuis hostibus, quos constet ob notam perfidiam mox forte fœdifragos. Fas ergo erit Turcis, v. g. aut Ethnicis, si pacem aliter non admittant, spondere nos Mahometum, vel Idola culturos, & pro Religione Christianâ Alcoranum obseruaturos: modò constet, Pace mox ab illis violandâ conditiones tam impias non fore implendas. Vel enim omnes condiciones illicitæ sic purgantur, vel nullæ. Hæc scilicet praxis est novæ Theologiæ fœdera cum hæreticis sanciendi, Ecclesiæ Dei, omnibusque retro Orthodoxis Theologis ignota, & præcepto profitendæ fidei adversa. Quam si in praxin recipimus, in eo sumus, ut Pacis studio à fide deficiamus.

RATIO VII.

PAX eiusmodi absque comparatione magis inordinata est mendacio, quod necessitatis causa licere negant Catholici.

MEndacium ex genere suo, unâ solum inordinatione laborat, quòd aliquis voce significet id, quod non habet in mente ut ait S. Thom. 2.2.q.110, a.3. Ob hunc verborum abusum, naturali eorum institutioni repugnantem, Aristoteles 4. Ethico. c. 7. naturâ magistrâ pronunciat, mendacium esse per se pravum & fugiendum. Omnesque hodie Catholici cum S. August. lib. contra mendacium, & de mendacio, juxta cap. superco. De usuris, consentiunt illud ex genere suo esse peccatum, neque ullius boni intentione aut mali vitandi causâ, licere mentiri; contra Cassianum, qui collat. 17. cap. 17. 18. 19. 20. usum mendacij, perinde ut hellebori probat, & alios quosdam veteres, quorum error licèt in levibus mendacijs fuisset tolerabilis, ad gravia tamen pernitiosa & blasphema (fide salvâ) extendi non posset.

Nunc multiplicem Pacis, quam desiderant Protestantes inordinationem, cum unâ mendacij inordinatione componamus.

I. PAX ejuſmodi repugnat Ordini luminis naturalis, quod non ſolùm monſtrat malum non eſſe faciendum, ſed neque eidem cooperandum, ſuffragante Apoſtolo.1.Rom.℣.ult. Multiplicem autem cooperationem cum hæreſi malorum peſſimo, in tali pace contineri, demonſtravimus RATIONE I.

II. Violat ordinem Caritatis divinæ & Religionis; non ſolùm in utriuſque injuriam hæreſi cooperando, verùm etiam veræ Religioni falſam exæquando, in dignitate illæſæ famæ, libertate eam profitendi, defenſione, perpetuitate, & denique juris publici autoritate, ut oſtenſum eſt RAT. II.

III. Evertit ordinem Caritatis proximi, non ſolùm per hæreſin cooperando perditioni animarum, ſed etiam velut ex Officio, ad hæreſin vel iniuſtam emigrationem, ſi hæretico Principi placeat compellendo. Catholicam deinde Religionem & Catholicos, ex bonis & locis legitimè recuperatis expellendo, ut oſtenſum eſt RAT. III.

IV. Excedit ordinem Iuſtitiæ, uſurpando juriſdictionem non competentem in cauſas Religionis; Perſonas Eccleſiaſticas, & bona ac jura Eccleſiarum, ut declaravimus RAT. IV

V. Peccat infidelitate, contra officium & obligationem Cæſaris ſtatuumque Catholicorum, maximè Epiſcoporum, ut liquet ex RAT. V.

VI. Denique veritatis quoque ordinem perturbat; eſt enim fruſtratoria ſive fallax: adeoque grande mendacium, formale quidem apud intelligentes, materiale apud eos, qui defectum materiæ & poteſtatis ignorant, ut manifeſtum eſt ex RATIONE VII.

Ex quâ tam multiplici, graviſſimaque inordinatione, neceſſariò ita concludimus. Deus unicam, leviſſimamque jocoſi vel officioſi mendacij inordinationem publicis Eccleſiæ aut Reipublicæ neceſſitatibus non condonat; ſed neutram vult mentiendo conſervari; Ergo multò minùs alterutram, vel utramque vult conſervari hâc inordinatiſſimâ Pace, quæ Ordinem Naturæ, Religionis, Caritatis Dei & proximi, Fidelitatis, & ipſius denique Veritatis graviſſimè violat. Neque verò ratio reddi poteſt, cur in ſummâ licèt neceſſitate, inordinatum, adeoque peccatum ſit, aliud verbis ſignificare, aliud in mente habere: non ſit autem inordinatum ſeu peccatum, cooperari malo contra lumen Naturæ; veræ Religioni falſum æquare; proximum in ruinam ſpiritualem impellere, uſurpare poteſtatem non competentem; in perpetuum ſpondere, quæ officio repugnant, pactum denique fruſtratorium, & fallax inire. Tam enim intrinſecè laborat PAX ejuſmodi, ſextuplici hâc inordinatione, quàm mendacium unâ ſimplici. Aut ergo licitum eſt mentiri Reipublicæ & Religionis causâ, aut illicitum eſt ſic paciſci.

RA-

RATIO VIII.

PAX ejusmodi, Ecclesiæ Dei, Summorum Pontificum, SS. Patrum, veterumq; suffragio destituitur & damnatur.

§. 1.

SS. Patres.

NUllum exemplum aut suffragium SS. Paterum, Veterum DD. Summorumque præcipuè Pontificum, pro hac pace allegari potest, etsi tot hæresium, hæreticorumque procellis Ecclesia Dei jactata fuerit, ut dubium non sit, tale remedium Spiritu S. suggerente sæpius quæsituros fuisse ejus Antistites & doctores, si legitimum esset. Non solùm autem eo nunquam usi sunt, sed etiam oblatum constantissimè rejecerunt, expeditúmque damnarunt. Cujus rei exempla rariora extant, quòd ejusmodi pacta Legibus Divinis tam manifestè repugnare Veteres crederent, ut nec hæretici quidem ea postulare auderent, de Pace autem perpetuâ, absolutâ & inconditionatâ impetrandâ ne quidem somniarent,

S. Ambrosius Valentiniano Imp. Ecclesiam Mediolani pro Arianis postulanti, intrepidè id negavit, nullâ periculi sui habitâ ratione. Responsum suum ipse commemorat Epist. 33. ad Marcellinam. *Allegatur*, ait, *Imperatori licere omnia; ipsius esse universa.* Respondeo, *Noli te gravare Imperator: ut putes te in ea, quæ Divina sunt, Imperiale aliquod Ius habere.* Sed hanc prolixè Baronius An. Christi, 300. Nobis licet sciscitari; Si Imperator tempore S. Ambrosij nullum in Divina Ius Imperiale habuit, quo postea anno, quo Privilegio, quo Pontifice illud acquisivit?

S. Joannes Chrysostomus, uti refert Sozomenus l. 8. c. 4. Gaynæ summo exercitûs Cæsarei Duci Ariano, Ecclesiam Constantinopoli concedere noluit, etsi Arcadius Imp. ob Gaynæ rebellionem, in extrema Imperij, imò & Religionis necessitate, id impensissimè flagitaret. Respondit verò S. Chrysostomus: *Satius esse Imperio cedere, quàm prodere domum Dei & à Religione deficere,* Non quòd Arcadius à fide Catholicâ deficere cogitaret, sed quòd Religionis quædam violatio S. Chrysostomi judicio foret, si Imperator quid quam juris sibi in ecclesias usurparet.

Hunericus convocatis universæ Africæ & vicinarum Insularum Episcopis ablatas Ecclesias se redditurum promisit; *Si jurarent, se desiderare, ut filius Hunericus ei in Regno succedat, & ad Regiones transmarinas epistolas non directuros: sed præter aliquot*

simpliciores, qui verebantur ne populus Dei in posterum diceret, quòd vitio Sacerdotum omnes fuerint Ecclesiæ restitutæ, reliqui sanctitate, doctrinâ & martyrio deinde illustres teste Victore Vticensi lib. 3. de persecut. Wandalorum, sentientes dolum fraudis, iurare noluerunt; etsi eo juramento Religionem, Ecclesias, exilium, mortem, famamque Episcoporum redimi non solùm potuisse, verùm etiam debuisse, hesterni, hodierni que Theologi & Politici judicabunt.

De aliis PP. & DD. qui ante Pacenm Religionis scripserunt, id universim dixisse sufficiat: nullius Orthodoxi Scriptoris Theologi suffragium pro tali Pace posse produci. Cujus præcipuos articulos decem ferè annis antequam PAX Religionis conderetur, confutavit libris sex adversus hæreticos. Conradus Brunus, Ottonis Cardinalis Truchsesij, & Episcopi Augustani Cancellarius.

§. II.

Summi Pontifices.

S. Joannes Papa. I. & Martyr. Anno Christi 526. à Theodorico Rege Italiæ Ariano Constantinopolim ad Justinum Imp. ire compulsus, cum eo inrer alia mandato: *ut Imperatorem permoveret ad reddenas Arriandis Ecclesias in partibus Orientis, id nisi faceret, se totam Italiam gladio perditurum: impijs mandatis non solùm non paruit, verùm etiam suffragante sibi Iustino pijssimo Imperatore, quascunque illis in partibus Arrianorum Ecclesias reperire potuit, Catholicaas consecravit.* Ita ipse testatur in Epist. ad Episcopos Italiæ, quâ post reditum in carcerem à Theodorico conjectus, eosdem hortatus est, ne periculi aut necessitatis causâ Tyranno cederent. *Et quanquam*, ait, *Prædictus Theodoricus Rex, eorum* (Arianorum) *peste tactus intrinsecus, nos & omnem Regionem nostram perdere, & gladio & igne consumere minetur, nolite tamen propterea deficere, sed viriliter in agro Dominico elaborare studete. Et iuxta veritatis vocem: Nolite timere eos, qui occidunt corpus*, &c. Quæ verba in Pacis, quam hodie desiderant Protestantes condemnationem, paulò post gloriosus Martyr suo sangvine obsignavit: Ut ruborem inde mutuentur, qui adversùs autoritatem & rationem frontem perfricuerunt. Sed de S. Joanne prolixè Baronius Anno Christi 525. & 523.

Paulus III. Carolum V. graviter reprehendit, ob eosdem ferè articulos, qui posteà Paci Religionis inserti sunt, ad tempus hæreticis concessos in Comitijs Spirensibus Anno Christi 1544. Qui idem iam antè, cùm ex sententiâ Statuum in Comitiis Ratisbonensibus Anno Christi 1541. *quorundam articulorum ab Ecclesiâ dissentientium, quoad per Oecumenicum Concilium declarentur, tolerantia ab eo peteretur*, id facere

facere recusavit, *quòd neque Christiana & Catholica veritas, neque sua & Apostolica Sedis dignitas id permitterent*, ut ait in Bullâ indictionis Concilij Tridentini.

Paulus IV. editâ Bullâ Paci Religionis (quæ ipso 23. Martij An. 1555. ad Pontificatum evecto, quatuor post mensibus 25. Septemb. Augustæ in Comitiis conclusa fuit) contradixisse posteà fertur. Nam ipsis Comitiis Legatus Apostolicus non interfuit. Cardinalis enim Moronus ad ea missus, auditâ morte Julij III. qui 23. Martij decesserat, mox in Urbem ad novi Pontificis electionem rediit, comite Ottone Cardinale Truchsessio, & Episcopo Augustano. Sed ante eorum Adventum 9. Aprilis electus est Marcellus II. ipsoque Pontificatus initio 1. Maij vitâ functus. Quæ duorum Pontificum mors, & tertij electio recens peracta, causa fuit, quò minùs Legatus Apostolicus ad Comitia denuò mitteretur, & nomine Sedis Apostolicæ Paci Religionis se opponeret.

Etsi verò Pauli IV. Bullam, seu literas ad Carolum V. nobis videre non contigit: ejus tamen de Pace Religionis sententia ex Epistolâ Antonij Possevini ad Regem Poloniæ, quæ habetur in fine operum ipsius, manifesta est. Possevinus enim Regi Stephano, ne hæreticis Poloniæ libertatem hæresis Paci Religionis similem concederet, non aliis argumentis persuasit, quàm quæ Cardinalem Hosium à Paulo IV. de memoratâ Pace interrogatum, protulisse testatur. Præcipuè notanda sunt ea verba. *Non ignorat Sanctitas vestra, quod N. agnoverit, quàm absurda, quamque multa impia decretum hoc in se contineret, quodque multum renitens, multis priùs profusis lachrymis invitus subscripserit* Et paulò infrà: *Certè concedere, qualia fuerunt in illis Comitijs postulata, nihil aliud fuit, quàm Christum negare, &c.* Etsi verò Possevinus, neq; Cæsaris FERDINANDI nomen, neque Pacem Religionis exprimat, evidens tamen est, tempore Pontificatûs Pauli IV. & mentione rerum Germanicarum, & quòd ea libertas Confessioni Augustanæ in solo Imperio receptæ, concessa dicitur; quod denique articuli ab Hosio Producti, in Pace Religionis reperiuntur, eam ipsam ejusque autorem FERDINANDUM condemnari.

Pius V. Anno Christi 1566. Cardinalem Joannem Franciscum Commendonum Augustam ad Comitia ablegavit, pauloque pòst per litteras eidem mandavit, ut si quæ adversus Concilium Tridentinum decreta fierent, eaque Cardinalis impedire non posset, nomine Sedis Apostolicæ protestationem interponeret. Quod his præcipuè verbis fecit: *Itaque ut muneris mei partes hâc in re præstem, ac ut eiusdem* S. D. N. *iussa hâc in parte exequar: postquam* S.C.M. MANXIMILIANUM II. *Prælatos ac Principes Catholicos non modò semel, sed bis & pluries, ob D.N. IESV Christi viscera obtestatus sum, requisivi, & admonui, ne permittant ac consentiant deveniri ad hanc tacitam vel expressam Confirmationem recessûs* Anno 1555. (quatenus continet Pacem Religionis) *ob quam*

E *ali-*

aliquâ ratione vel modo minimâ etiam in parte, Concilij Tridentini decretis præsertim in eius Dogmatibus præjudicari posset. Et cùm mihi facultas non detur, hoc Officium præstare publicè in eorum Congregationibus & Concilijs, ob interventum nonnullorum Principum, qui Religioni nostræ adversantur, & ad evitanda scandala quæ oriri possent; coram Notario & testibus protestor nomine S. Sedis Apostolicæ, ac S. D. N. me nedum hisce eorum Ordinationibus & Statutis non consensisse, & consentire, verùm etiam expressè contradixisse & contradicere, prout & nunc contradico ad perpetuam rei memoriam. Ne verò quis de hâc protestatione ambigat, noverit ejus exemplum authenticum in Archivio Episcopatus Augustani asservari, unde hæc exscripsimus.

Urbanus VIII. datis literis, quas Nuntius Apostolicus Anno 1631. Francofurti Legato Cæsaris exhibuit; *neque Cæsarem, neque alios Status, aut Episcopos potestatem habere*, de Ecclesiæ bonis aut Juribus quidquam hostibus Ecclesiæ in ejus *præjudicium per pacta tradendi aut permittendi*, apertè significavit. In eandem sententiam respondit Romæ Anno 1634. Legato Electoris Moguntini: *nimirum Catholicos non posse cum hæreticis de bonis Ecclesiá, & Religione pacisci, imò ne Papam posse dare consensum, aut potestatem.* (NB. Ejusdem Pontificis nomine adversùs Amnistiam nuper Ratisbonæ conclusam protestationem Cæsari obtulit Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus, Dominus, Caspar Archi-Episcopus Athenarum ad S. C. M. cum potestate Legati de Latere Nuntius, in hæc verba.

Cùm in præsentibus Imperialibus Comitijs de mandato V. C. M. in hac Ratisbonensi Civitate convocatis, conclusum fuerit super Amnistiâ infrascripti seu alterius tenoris, &c. ac diversa fuerint ab Hæreticis producta in Directorijs, ut vocant, gravamina, cùmque hæc sint contra SS. Patrum Decreta, Concilia Oecumenica Generalia, & Constitutiones Summorum Pontificum: ideo ego Caspar Acrhi-Episcopus Athenarum S. D. N. Vrbani Papæ VIII. ac S. Sedis Apostolicæ Nuntius, Sanctitatis suæ, ac S. Sedis nomine, sicuti pastoralis officij sollicitudo postulat, C. M. V. ut Catholicum Principem, & Ecclesiæ Catholicæ Romanæ Advocatum ac Defensorem rogo requiro & hortor: ut Majorum suorum vestigijs inhæreat, & ut pietatem M. V. decet, incolumitatem & integritatem Religionis Catholicæ & Ecclesiasticorum acpiorum locorum, Personarumque Ecclesiasticarum indemnitatem tueatur; neque permittat, aut consentiat secus quid fieri. Aliàs omni meliori modo ejusdem S. D. N. ac Sedis Apostolicæ nomine repugno & resisto; meque semper repugnare & resistere velle profiteor, pro ut certus sum, quod idem S. D. N. ac ipsa Sedes Apostolica repugnabit & resistet. Datum Ratisbonæ 18. Aprilis Anno 1641.

Sanè quo animi sensu sua Sanctitas acceperit id quod Deputati Francofurti 12. Augusti, 1643. Anni, super bonis Ecclesiæ Protestantibus tradendis, statuerunt,

runt, & S. Cæsareæ Majestati approbandum obtulerant, patet ex brevi Apostolico ad Reverendissimum & Illustrissimum Dominum Episcopum Augustanum ex Urbe 17. Octob. datum in hæc verba. VRBANUS PP. VIII. *Propositam Francofurti de Ecclesiasticis bonis Hæreticorum potestati committendis sententiam ex Fraternitatis tuæ literis, tum etiam ex supplici libello ad nos transmisso non sine ingenti molestiâ audivimus. Neque facile est conjicere quænam inde animarum pernicies, & sacri cultûs imminutio exspectanda esset. Eâ tamen Imperator Electus pietate pollet, eam erga Ecclesiasticos gerit propensionem, ut minime verendum arbitremur, ne improbum illud Consilium constanter simul & religiosè rejiciat. Nos quidem ut Pontificij muneris partes impleamus, cuncta quæ è re fore significasti, officia accuratè adhibuimus, Deumq; precamur, vt optatus exitus gravissimo negotio haudquaquam desit. Interim qua par est laude prosequimur insignem zelum Fraternitatis tuæ, cui ingem à Divinâ Clementiâ felicitatem petimus, & Apostolicam benedictionem ex animo impertimur. Data Romæ 7. Octobris 1643.*

Adversùs tot Pontifices Pacem talem, qualem desiderant Protestantes, seu suadere seu probare, est viam sibi aliisque ad supremam in Ecclesiâ autoritatem enervandam aperire. Profectò *ambigua foret Dei erga Ecclesiam providentiâ*, si Christi Vicarium in tantis Religionis Catholicæ necessitatibus decipi pateretur in ea Pace repudiandâ, quam Theologi & Politici huius sæculi salvâ conscientiâ non solùm iniri posse, sed etiam illicitè recusari pronuntiant.

§. III.

Cæsares & Principes Statusque Catholici.

HOnorius Imp. Attalo Tyranno Africam tentaturo Religionis libertatem rescripto Donatistis concesserat. Id cùm teste Baronio Anno Christi 410. in magnum Religionis Christianæ dispendium redundaret, rogantibus Episcopis rescidit, *postridie eius diei, quo Roma capta est ab Alarico* ut constat ex l. 51. C. Theodos. de hæreticis. Paulò pòst misso Marcellino Tribuno, eosdem Donatistas, ad Collationem illam celeberrimam cum Catholicis adegit. Præclarè verò expendit Orósius l. 7. c. 24. Honorium, *quòd licet udique bellis obrutus, & à multis Tyrannis oppressus, à Religionis Catholicæ adversùs hæreticos tuendæ, se non passus sit absterreri, mirifica à Deo beneficia consecutum.* Aparuit sanè, *quàm verissimum atque certissimum sit, tunc Deum curare ac tueri Principum Regna, cum ipsi Principes pro Religione laborant. Contra verò cùm id negligitur, vel humanâ prudentiâ (quæ ex Apostoli sententiâ Deo inimica est) in Religionem peccetur, ipsa Imperia in deterius prolabi, penitusque consumi*, ait Baronius Anno Christi 411. num. 38.

Sigismundus Imp. cùm post multas clades ab Hussitis acceptas, nec inducias quidem ab ijs impetrare posset, nisi Religionis libertatem, & utriusque speciei usum indulgeret, Ecclesiasticos præterea bonis externis ablatis, ad vitam scilicet Apostolicam redigeret, &c. nihil horum concessit, in summâ licet difficultate constitutus. Nihilominus *Deo constantiam remunerante*, iniquis postulatis maturioris deliberationis spe elusis, in Vrbem Pragensem receptus, & Rex Bohemiæ coronatus est, referente Bzovio tom. 15. An. Christi 1420. n. 9. Vtinam sicut Protestantes, Pacis, quam desiderant, id eam ab Hussitis cum multis erroribus acceperunt; ita Sigismundi Successores, negandæ eiusmodi pacis exemplum ab eodem sumerent.

Carolus V. à Constantiâ reprimendi hæreticos, in nimiam adversus eos indulgentiam deflexisse visus est, cùm Anno 1544. Spiræ in Comitiis, ijsdem fere conditionibus pacem temporariam sanxit, quas postea PAX Religionis æternitate donavit. Harum verò conditionum non solùm illum deinde pœnituit, verùm etiam plerasque defectu maximè potestatis irritas declaravit in instructione, quam Ottoni Cardinali & Episcopo Augustano, suo ad Comitia Augustana Anno 1555. Legato, Bruxellis misit 10. Aprilis, Anno 1554. Anno deinde sequente, Comitiis jam cœptis, ad eundem Cardinalem, & Legationis socium Jurisconsultum Bruxellis 9. Junij hæc scripsit, quæ ex Germanico reddimus.

Cùm præterea nesciamus, quomodo tractatus, præsertim in causâ Religionis n dictis Comitijs successuri sint: & tamen vereamur, ne ab aliquibus tam gravia puncta proponantur, quibus si coràm adessemus, nullâ ratione assentiri possemus, vel deberemus: ideoque præfatum Dilectum Fratrem nostrum Romanorum Regem (proculdubio contra Dilectionis suæ mentem & voluntatem, utpote quem semper pro Christiano Rege habuimus & habemus) aliqui status vehementissimè urgeant; hanc ob causam neque Dilectio tua, neque Tu illi rei Nostro Nomine autoritatem præstabitis. Sed dilectionem suam (cum eidem omnem potestatem & facultatem absolutè tractandi & decernendi tribuimus, tanquam Romanorum Regi & post Nos in Imperio capiti (non solùm quantum in istis efficere & obtinere poterit, verùm etiam in omnibus rebus occurrentibus, absolutè tractare & decernere permittatis. Neque Nostro Nomine quicquam addetis, nisi ut dilectioni suæ subjectissimam operam exhibeatis: & res omnes pro viribus ad optimum exitum deducere laboretis. Hæ literæ unà cum instructione extant in Archivio Episcopatûs Augustani, & habentur in appendice Compositionis Pacis. lit. B. & D.

Ex quibus apparet Carolum V. in summis illorum temporum necessitatibus *Pacem Religionis illicitam iudicâsse*: ideóque in eam consensurum non fuisse, si præsens fuisset. *Imò neque directè consensisse dici potest*, cùm per Commissarios suo Nomine ra-

ne ratam haberi noluerit; & Regi Ferdinando potestatem talis Pacis sanciendæ minimè contulerit, quam sibi non competere, in Instructione & literis ad Cardinalem Ottonem paulò ante pronunciavit.

Sed neque Ferdinando autori suo eam Pacem probatam fuisse non ignoravit Paulus IV. *quòd nimirum agnoverit, quàm absurda, quamque impia multa decretum hoc* (Pacis Religionis) *in se contineret, quoque multùm restitans, multis prius profusis profusis lachrymis invitus subscripserit.* Cùm à nullâ re magis, quàm à tali subscriptione mens illius abhorreret, ut memorato Pontifici respondit Cardinalis Hosius teste Possevino in Epist. ad Stephanum Regem Poloniæ. Cui ergò eiusmodi PAX arrideat, quam ipse Conditor pœnitentis animi lachrymis deploravit?

Eiusdem rei argumentum quoque est, quod cùm Carolus V. An. 1544. absque consensu Statuum, ex plenitudine prætensæ potestatis, eosdem articulos de Religione & bonis Ecclesiasticis, quos postea irritos declaravit, sanxisset. FERDINANDUS sciens, ipso Carolo teste, *tantam potestatem, neque illi neque sibi competere,* absque Archi-Episcoporum & Episcoporum consensu, Pacem Religionis inire noluit. Pro onerosa reputetur, quod C.M. sicuti antè Anno 44. factum est, quidquam in se suscipiat; Episopis omnia agenda sunt, ait Conradus Brunus in literis ad Cardinalem Ottonem, Anno 1555. die Pentecostes datis: sed cum Episcopi neque dispensandi neque renuntiandi Ius habeant, ut ostendimus RAT. 4. hoc exonerandæ conscientiæ consilium frustra susceptum esse apparet.

Vt magis pateat sensus FERDINANDI Primi circa potestatem principum sæcularium in bona Dei & Ecclesiæ, simulque contra Goldasti pudendam calumniam vindicetur Egregij Principis pietas & conscientiæ studium, libet subiicere extractum Testamenti ipsius è Germanico in latinum versum, & eorum qui modò Publicæ Pacificationis Consilia tractant, lectione ac imitatione dignissimum, Is talis est. *Cæterùm ad animum nostrum Regium reduximus, qualiter Status nostri Regni Bohemici opinentur usum ac consuetudinem obtinuisse, quod fundationes, Monasteria & bona Ecclesiastica inter Cameralia nostra bona recensenda sint, adeoque Nobis veluti Regi Bohemiæ Ius competat, eiusmodi bona non tantùm ad tempus, sed etiam hæreditariò & in perpetuum mutandi atque ad alios pro libitu transferendi.* Quod insuper tempore nostri Regiminis in tabulas Regni publicas articulus irrepserit, quò Ecclesiasticis prohibeantur bona Ecclesiastica à nobis & Prædecessoribus aut Successoribus Nostris Bohemiæ ad alios translata aut transferenda, repetere.

Sed quando jam rem accuratiùs expendimus, deprehendimus sanè bona quidem Ecclesiastica sub sæcularium Principum potestate constituta & in sustentationem famulorum Dei ad ipsius Omnipotentis honorem destinata, à sæculari

potestate, non minùs, quàm ipsa propria Principum bona Cameralia protegi ac defendi debere. Sed quâ æquitate quòve prætextu Nos cum Bohemicis Nostris Statibus, aut quivis alius Magistratus sæcularis, potestatem nobis arrogemus bona Omnipotenti Deo in augmentum divini sui cultus & sustentationem Ministrorum Ecclesiæ & Deo dicatarum personarum collata ac donata, Bonis Nostris Cameralibus æquandi aut accensendi; adeò ut liberum nobus sit illa pro libitu mutare, alienare ac transferre, aut cuilibet alteri ea bonâ fide & securâ conscientiâ accipere, penitus non despicimus; Cùm potiùs omni Iuri & æquitati congruum sit, ut illa quæ semel Deo dicata, & in ejusdem cultum destinata sunt, nec Vos nec ullus alius aliò transferat; multò minùs veluti sua attrectet, expendat aut dilapidet. Qua propter cùm nemo non æquum æstimet, quòd nullus proximo suo id quod ipsius est invito eripiat aut, detrectet, meritò ac deliberatissimâ mente concludimus, neque Nobis neque Successoribus, aut subditis nostris Statibus Bohemiæ, licere Deo Omnipotenti, Creatori ac Redemptori nostro aut ipsius Ecclesiæ, sive ipsi devotis personis Ecclesiasticis, quod ipsorum est, eripere, attrectare aut transferre. Neque excusare Nos aut Nostros Status Regni Bohemiæ potest nostrum aut ipsorum supradictum privilegium usus sive consuetudo, aut Tabulæ publicæ Regni, cùm etiam in merè temporalibu ac profanis causis inferiori aut subdito non competat ullum Ius circa bona Superioris sive Magistratus disponendi, adeóque neque Nobis nec [illegible] nostris liceat ullâ ratione Bona Deo Domino nostro, aut Iustitiæ ejus semel tradita, veluti nostra propria tractare, alienare aut mutare. Idcirco cùm errorem suum fateri ac emendare nemini grave aut probrosum esse debeat, Nos pro nostra parte prædictam libertatem, consuetudinem & articulum Tabulis Regni insertum, nullarum virium aut valoris esse decernimus: quin imò ex animo dolemus, Nos illum articulum consensisse, & ejus vigore aliqua Bona Ecclesiastica hæreditariò aliis tradere animum induxisse: imò quantùm est ex parte Nostra datis literis Nostro Sigillo munitis aliqua de facto tradidisse. Hinc Filios Nostros charissimos paternè requirimus ac monemus, ut prudenter considerantes, quantis gratiis, opibus, ac fælicitate Dominus Deus eos auxerit, qui loca & bona ipsi dicata favore, homines verò Ecclesiasticos, amore & honore prosecuti fuerunt; econtra verò quàm horrendis pœnis multati fuerunt omnes illi, qui Ecclesias & Ecclesiasticos lacerârunt, aut inhonorârunt, Bonáque ipsorum ausu temerario attrectarunt, & in suos usus impenderunt, supradictam Ordinationem provincialem, quo ad illum articulum ne sequantur, sed dimittant, neque ulla bona Ecclesiastica hæreditariò vendere, aut transferre præsumant, sed ejusmodi Bona potiùs iis Beneficiis ac Monasteriis,

qui-

quibus dicata fuerunt, conservent, neque ullâ ratione amplius obligent, sed quantùm fieri ullo modo potest, jam distracta aut oppignorata redimant, & Monasteriis ac Regularibus personis restituant, nostróque Nomine Status nostros Bohemicos moneant ac compellant, ut quantum ex parte ipsorum, supradictam ex se ipsa invalidam libertatem, consuetudinem & articulum ultrò dimittant; Bonáque Ecclesiastica, quæ Nostrâ aut alterius traditione detinent, accepto iusto pretio Ecclesiis restituant, cúmque articulum (quem in rei veritate ex inadvertentia veluti licitum, irrepere sivimus) ex renovatis Regni Tabulis expungant, Ecclesiasticis non minùs quàm aliis ea, ad quæ ius habent, ordinariâ Iuris viâ quærere & repetere permittatur.

Hactenus FERDINANDUS Cæsar: ex quibus constat nullam sæcularibus Principibus circa Bona Dei prostituenda, aut protestantibus concedenda Ius competere. Intellexerunt id Status Catholici in Comitiis Spirensibus. Anno 1544. & Wormatiensibus Anno 1545. Cùm enim in prioribus Carolus V. articulos illos inauspicatos statueret; posterioribus autem colloquium ad disceptandas Religionis controversias indiceret: *neque indictos articulos, neque in colloquium se consensisse, aut consentire posse. Sed cum S. C. M. ex plenitudine potestatis ita sanxerit, se id toleraturos & neminem contrà gravaturos*, per parenthesin Recessui Comitiorum insertam professi sunt. A quâ sententiâ, cùm plus interea juris non acquisivrrint, neque in legibus divinis aut Ecclesiasticis deprehenderint, decennio pòst, Anno 1555. Pontifice ne quidem Consulto, infeliciter recesserunt, sanciendo pacem Religionis articulis Spirensibus longè deteriorem, utpotè perpetuam, & quæ latissimam portam Apostasiæ principum omniúmque Catholicorum, & ultimò Religionis Catholicæ exterminio aperiret.

Sit in benedictione memoria præstantissimi *Cardinalis & Episcopi Augustani Ottonis Truchsesii*, qui ne latum unguem ab hac veteri Ecclesiæ Dei & Statuum Catholicorum in Imperio sententia decessit, sed gloriosâ protestatione eidem paci contradixit; *Se potiùs corpus, vitam, & quidquid in terris obtineret, abdicaturum professus, quàm ut in vllum Tractatum vel Articulum, iuribus Religionis & Ecclesiæ adversantem consentiret.* Extat ea protestatio in Compositione pacis. c. 11. 9. 7. 8. n. 2. quàm in pluribus Comitiis sequentibus Anno 1557. Anno 1559. Anno. 1566. & denique Anno 1570. aut ipse repetivit, aut per Legatos suos repeti iussit cùm in præjudicium Religionis, & Ecclesiæ aliquid decerneretur.

Memoratum Cardinalem secutus fertur Gervvicus celeberrimorum, Monsteriorum Weingartensis & Ochsenhausani, Ordinis S. Benedicti Abbas, qui sinit

nitis comitijs Anno 1555. id oraculum protulit: *de illis rebus transactum esse cum Protestantibus; quarum jus & potestatem Cæsar & Status Imperij nullam habeant.*

Præcessoris sui Exemplo hodiéque inhæret illustrissimus & Reverendissimus Princeps ad Dominus D. Henricus Episcopus Augustanus. Dum per Legatum suum in præsentibus Comitiis eandem protestationem suo nomine interposuit, quando aliqua in præjudicium Religionis & Ecclesiæ proponebantur, quam voluntatem, tanquam Testamentum suum præclaris & Religionis zelo plenissimis literis, sub finem vitæ ad Legatum suum Monasterium Westphalorum Anno Christi 1646. missis ita confirmavit, ut pòst gratias eidem Legato pro officio ritè præstito actas, omnium præterea bonorum & ipsius etiam sangvinis jacturâ idem obsignare paratus fuerit, modò Ecclesiæ Catholicæ Ius suum integrum & illæsum hac ratione conservare posset. Aureæ omnino literæ sunt, quarum copiâ si esset, ad teporem nonnullorum excutiendum hîc insererem.

Quid contra Amnistiam recens cum Ecclesiæ detrimento conclusam fecerit patet ex Protestatione, quam Sua Celsitudo Cæsari, Cancellariæ Moguntinæ, & Consilij Principum Directoribus, per Adm. Nobilem & Magnificum Dominum Matthæum Wanner J. U. D. Cancellarium suum proposuit, in eum qui sequitur tenorem.

Nos Henricus Dei & Apostolicæ Sedis gratia, Episcopus Augustanus, &c. profitemur & declaramus, quod omnem desiderabilem pacem reipsa promovere, & pro Nostrâ parte fideliter servare, neque adversùs quenquam hostile quid moliri velimus. Simul autem verbis Domino testamur, quæ in Articulos seu media Pacis, ab Anno 1555. hucusque in Comitiis ac Tractatibus Imperialibus proposita & conclusa, vel imposterum proponenda & concludenda, quatenus Catholicæ religioni, ejusque dogmatibus, Iuribus ac personis adversantur, sive multùm sive parum, consentire neque possumus neque volumus. Sed confidimus nos in nostrâ obligatione, quâ Pontificiæ Sanctitati & Sedi Apostolicæ, Cæsareæ item Majestati, & Sacro Imperio nos obstrinximus, constanter & inviolabiliter permansuros, quàm ut in ejusmodi Tractatum consentiamus, corpus, vitam & quidquid in terris habemus, constanter abdicabimus. Coram Deo & universo mundo expressè protestantes, Nos in obligationum & Iuramentorum Nostrorum observatione, ut constantis animi Christianum & Germanum natum decet, usque ad mortem perseveraturos. Actum Dilingæ in arce Episcopalis Residentiæ Nostræ, die 30 Ianuar. Anno 1641.

Neque desunt externa Catholicorum exempla. Sæpius Regibus Galliarum contradixerunt ejus regni Status Catholici, cùm hæreticis libertas Religionis concessa fuit, conditionib. licet multò æquioribus, quàm Nostræ sint. Nunquam enim in Gallia libertas religionis in perpetuum promissa est. Nos concessa Statibus Acatholicis facultas subditos pervertendi aut expellendi, neque introdu-

cendi

cendi exercitium Hæreticum, nisi iis locis ubi resident, aut proscribendi Religionem Catholicam, quæ reducta est in omnia loca totius regni, ubi ejus exercitium fuerat intermissum, restituere denique debuerunt omnia Ecclesiastica Iura ac Bona, Catholicis ante hac erepta, uti constat ex edicto Nanetensi, quo (autore Petro Matthæo lib 2. histor. sui temporis) Pacem & libertatem Hugonottis concessit Henricus IV. Anno 1599. insertis præcipuis etiam articulis, quos Henricus III. Anno 1577. & Carolus IX. Anno 1561. sanxerant.

Quod verò aditum ad dignitates hæreticis eousque in Galliâ clausum aperuit & nimis fortè multis locis exercitium reformatæ Religionis, ut vocant, permisit, legitimæ quidem permissionis limites excessisse videri potest, multùm tamen excusationis habet, quòd pacto perpetuo ista non firmavit; neque in leges publicas Regni recepit; Cujus argumentum manifestum illud est, quòd causa hujus Pacis & Hugonottorum non in Parlamento; sed in extraordinario & temporario Tribunali, quod Cameram edicti appellavit, volu tractari, teste eodem Matthæo.

Sed claudamus exemplo vicino Catholicorum Statuum Hungariæ. Qui Anno 1638. in Comitiis Posoniensibus, cùm Hæretici illius regni religionis libertatem Pacis religionis Germanicæ similem postularent, protestationem scripto obtulerunt, ex nostræ sententiæ firmamentis affirmantes, non magis hæresi, quam homicidiis, aliis que sceleribus posse autoritatem Iuris publici concedi & defensionem promitti, etsi tolerari debeant zizania, quando absque periculo evelli non possunt. Sed protestationis Epilogum audiamus.

Quæ cùm ita sint, aiunt, M. V. obsecramus per misericordiam Dei, per animæ suæ salutem, per inclita Domûs Austriacæ illi datam fidem, per æternum posteritatis de M. V. iudicium; hanc libertatem religionis, omnibus legibus regni nostri contrariam concedere non velit, articulisque includi non patiatur. Sed contenta sit M. V. tolerare, quod corrigere non licet. Si verò, quod absit, M. V. aliter statuerit faciendum, Nos omnes & singuli Prælati, Capitula, Conventus, cæterique omnium Ordinum Status Ecclesiastici in Hungaria, coram divinâ Majestate, Gloriosissimâ que Virgine Mariâ, item coram M. V. & toto mundo protestamur, ordinem Ecclesiasticum nunquam consensisse, nec consensurum deinceps esse in hanc libertatis concessionem; atque adeò ante tremendum Divinæ Iustitiæ tribunal rationem animarum, quæ, occasione huius libertatis, æternæ damnationi adiudicabuntur, à se transscribere. Rogamus verò M. V. ut hanc nostram protestationem benignam clementer suscipere dignetur. Deus enim qui corda scrutatur & renes, testis est, quòd nullo alio fine hæc nostra reclamatio, & protestatio à Nobis profecta est, quàm ut Nostræ inprimis, quos Deus animarum saluti procurandæ præfecit, deinde verò & cæterorum conscientiæ consuleremus.

De cetero M.V. diu, feliciterque ac dignè imperare, à Deo votis omnibus ac sacrificiis contendemus.

Hoc tam illustri exemplo Hungari præluxerunt vicinis Germanis. Quod si imitarentur, non magis quàm illi periclitarentur de jactura gratiæ & pacis humanæ: neque minùs quàm illi gratiam Dei; & pacem conscientiæ in tuto collocarent.

SECTIO V.

Argumenta initio allata diluuntur.

Ad I.

Non est ex se illicitum.

RESp. Esse ex se illicitam Pacem, qualem desiderant Protestantes, satis demonstratum est ex cooperatione tam directâ, cum hæresi, ex injuriâ Creatoris & veræ ligionis; ex violatione officij & usurpatione potestatis non competentis, ex comparatione cum mendacio, & denique sensu ac exemplo Pontificum, SS.PP. veterisque Ecclesiæ. Quàm ergo illicitum est in necessitate fidem negare, blasphemare, pejerari; tam illicitum est cujus vis necessitatis aut periculi obtentu talem Pacem confirmare aut extendere. Regula Iuris in oppositum inducta procedit de illis, quæ Iure positivo aut humano, non Pauli & divino, sive secundùm se prohibita sunt, ut exemplum Sabbati & Ieiunij ostendit.

Ad II.

Deus mala permittit.

Resp. Regiminis divini exemplum suffragari permissioni primi & secundi generis, non tertij. Nam etsi Deus peccata dissimulat ad tempus, & subinde impedit, ne contra Sapientiæ suæ ordinem mala & mali intempestivè tollantur; peccatis tamen nequaquam cooperatur. Neque enim ulli concedit impunitatem perpetuam, aut secluso fine majoris boni, neque libertatem peccandi legibus firmat, aut ad peccandum provocat, vel impellit, neque vitia virtutibus æquat, vel eodem loco habet, nec quicquam cum peccantibus paciscitur; nihil præterea contra Officium supremi Domini & Moderatoris Optimi Maximi committit, cùm peccandi libertatem naturæ rationali, quam liberam fecit, relinquit: ad bonum præmiis provocans, à malo suppliciis absterrens, & nullâ in re potestatem in competentem usurpans, qui quæcunque voluit, fecit in cœlo & in terrâ. His conditionibus si Cæsar & Status permittunt hæresin, quam tollere non possunt, divinæ gubernationis exemplo rectè se defendunt. Ex duobus enim malis minus eligendum esse, cùm absque eligentis peccato fieri potest, & præstare aliquid quàm omnia perdere, nemo

nemo sanæ & bonæ mentis vel ambigit vel negat. Si verò minoris mali electio fieri nequeat nisi cooperando peccatis, usurpando Ius non suum, violando officium, aut aliter peccando, lucrum mundi cum detrimento animæ non quæratur, & perdamus omnia, ut servemus Dei gratiam. Ita faciendum esse nisi credimus Christiani non sumus; & cùm aliter facimus, Christianè non vivimus.

Ad III.

Zizania non evellenda.

Resp. 1. Paterfamilias non prohibet absolutè ne eradicentur Zizania, sed ne id fiat cum periculo tritici; id enim significat particula fortè. Periculo isto cessante, & alio urgente, ne Zizania triticum lædant, non est expectanda messis, sed maturè oportet evellere, teste S. Aug. lib. 3. contra Parmenian. cap. 2. & S. Tho. 2. 2. q. 10. a. 8. ad 1. Neque huius rei judicium pertinet ad Principes, qui etiam ipsi sunt servi, sed ad patrem familias, qui in terris non est alius, quàm Christi Vicarius sive Pontifex Romanus, ut notat Maldonat. in hunc locum Matthæi.

Resp. 2. Vrgente licèt periculo tritici, non aliam Zizaniorum permissionem Patrifamilias injungi, quàm primi & secundi generis, quæ pœnam conniveat & intempestivè impedientes coërceat; non generis tertij quæ cooperetur. Id verba apertè significant: *finite utraque crescere usque ad messem.* Non autem: spondete zizaniis absolutam impunitatem vel publici juris autoritate ea in agrum recipite, vel facite potestatem triticum opprimendi, vel ipsi in gratiam Zizaniorum illud eradicate & Zizania plantate; vel denique eodem pretio & loco utraque habete, & æquali curâ custodite. Quæ omnia contra mentem & præceptum cœlestis Patrisfamilias hæreticis (qui præcipuè per Zizania à SS. PP. intelliguntur) à Catholicis ejusmodi pacem sancientibus, spondentur & præstantur.

Ad IV.

Vasa Sacra vendi possunt.

Resp. 1. Vasa sacra & quævis mobilia pretiosa Ecclesiarum, non solùm propter pauperes, captivos, ædificia templorum & cæmeteriorum, juxta Cap. Aurum. 11. q. 2. sed pari & majori ratione propter necessitates Imperij & præcipuè Religionis, constringi, conflari, & vendi posse ac debere, iisdemque ex reditibus quoque Ecclesiarum & Ecclesiasticorum (legitimâ tamen autoritate) subveniendum esse.

Quod hisce annis liberaliter fecerunt Ecclesiastici Status in Imperio, & imposterum quoque pro viribus, etsi valdè accisis præstare parati sunt.

Resp. II. Prædia, pagos, oppida seu ditiones Ecclesiarum ad redimendam Pacem hæreticis concedi non posse *simul enim per regulam alti seu meri Imperij in Imperio receptam concedi deberet Ius in animas* Christi Sangvine redemptas ejusque Ba-

 ptismo

ptiſmo initiatas, quibuſvis vaſis Sacris pretioſiores. Neque enim loca ſubditis vacua cupiunt Proteſtantes, ſed hiſce ſed ducendis vel maximè inhiant, Quâ eâdem ratione, etſi ditiones ſeculares hæreditate vel alio Iuris titulo acquirant, pacto tamen illis permitti non poteſt, ut hæreſin introducant & ſubditos reforment.

Quare abſque gravi peccato Status Catholicus Imperij hæreticum ditionis ſuæ hæredem ſcribere, aut eam illi vendere non poteſt; per Regulam Religionis alto ſcilicet meróve Imperio cohærentis, tradit eo ipſo Ius hæreſin introducendi & ſubditos pervertendi.

Secus eſt, ſi Eccleſia, Monaſterium, Pagus, oppidum, ſitum in ditione hæreticâ Principis hæretici non habeat merum Imperium, nec immediatè Imperio ſubiaceat; hæc namque urgente gravi neceſſitate vel causâ, videntur (authoritate tamen Eccleſiaſticâ) concedi aut vendi poſſe hæreticis; cùm enim his locis nec tale quidem Ius, quale PAX Religionis tribuere fingitur, in Religionem competat, nullum hæreticis traditur.

Ad V.
Eccleſiaſticorum obligatio & Fundatorum intentio.

Reſp. Epiſcopos alióſque Eccleſiaſticos obligationi ſuæ, & Fundatorum intentioni ſatis facere, ſi legitimâ authoritate & causâ exigente theſauros Eccleſiarum partémque fructuum, promptè & liberaliter, in ſubſidium Religionis & Imperij conferant. Ad Eccleſias verò & animas hæreſi ac diabolo ſeu tradendas ſeu prodendas, non ſolùm non obligari, ſed ſalvâ obligatione & Fundatorum intentione in id conſentire non poſſe.

Ad VI.
Neceſſitas facit omnia Communia.

Reſp. Bonorum *temporalium diviſionem & approbationem ex Iure humano procedere, non autem curam & ſalutem animarum.* Quare neceſſitas illas communes non facit, ut cum pagis, prædiis, oppidis in diſcrimimen fidei & ſalutis coniici poſſint. Neque Iura Religionis & Eccleſiæ, quibus ſubditi & bona Eccleſiarum ſubiiciuntur, poteſtas Secularis intra ſphæram ſuam continet; ut adeò in illum recidere non poſſint, ſub quâ nunquam fuerant. Quis fructus ſequatur ex eo, quod ſub pallio neceſſitatis publicæ, Bona Dei attrectentur, & in redemptionem pacis impendantur, docet dolenda proximè elapſi ſæculi experientia. Et notat Matth. Tymp. in ſpeculo boni Magiſtratûs Sig. 71. argm. 1. §. Eadem inhumanitas circa fin. Et argm. 6. *Licèt hæretici Catholicique nominales, à multis annis quidquid potuerunt detraxerint Eccleſiaſticis, eoſque de facto contra data olim privilegia gravârint, quod tamen nunquam profuerit Reipublicæ vel Regno invaſiſſe Iura Eccleſiæ. Etſi enim* (inquit) *videatur ea in re aliquid*

quid commodi accedere Statui Politico, illud tamen pòst magnis plerumque compensatur cladibus. Permittit enim Deus excitari bella intestina & externa, quibus Religiones vastantur, ærarium exhauritur, negotiatio avertitur, & pristina gentis gloria obscuratur. Adeò vt centies millies plùs damni accipiatur in pœna, quàm fuerit commodi in culpa. Hæc ille. Consideremus fructus amarissimos pacis Pragensis Anno 1635. & Amnistiæ Ratisbonæ promissæ Anno 1641. quibus vti magna pars patrimonii Christi Protestantium importunitati cessit, ita à prostituentium Catholicorum armis omnis Dei Benedictio recessit. Id quod Gallorum felices erga Imperium successus, Germanorum autem Mars retrogradus, & Francisci Alberti Saxonis, Lamboij, Francisci Melonii, Archiducis Lepoldi Wilhelmi, aliorumque ad Reinfeldam & Wittenvveierum acceptæ clades; Brysachi, Vberlingæ, Villæ Theodonis, &c. amissio; Archi-Episcopatuum Monasteriensis, Paderbornensis & Trevirensis, Ducatûs Juliacensis, Episcopatuum Monasteriensis & Paderbornensis devastatio luculenter demonstrant. Qui rerum successus si cum S. Scripturæ sententiis & exemplis conferantur, evidens est cuique pectori Christiano divinorum Iudiciorum ordinem piè contemplanti, Deo summopere displicere Catholicorum in prodigendum Ecclesiæ patrimonium pronitatem.

Ad VII.

Absque hoc remedio PAX desperanda.

RESP. Neque cedendum esse Ecclesiasticis cum læsione conscientiæ; neque pacem desperandam Germanis. Quam enim mundus dare non potest, aut non vult, Deus dabit, si magnâ divini auxilii fiduciâ quæremus inprimis Regnum Dei & Iustitiam eius. Vel enim concedet victoriam de hostibus vel animos inflectet ad pacem non iniquam, si ab eius legibus deflectere, eius patrimonium ac honorem prodigere cessemus. Vnum recens Exemplum, cùm ab uno alterove mense summus Pontifex conclusum Francofurtensium, Deputatorum super anticipatione effectûs suspensiui Amnistiæ, & prostitutione bonorũ Ecclesiasticorum improbâsset, cùm S. Cæs. Maiestatis eidem concluso subscribere non minùs constanter quàm piè renuisset, cùm Electores Catholici re paulò accuratiùs discussâ, menteq; mutatâ in favorem Ecclesiæ propendere, ac causam piarum fundationum S. Cæs. Maiest. commendare animum induxissent; Mox ipsa Catholicorum fortuna in melius mutata, & ad Düttlingen 24. Novembris, Anno Christi 1643. insigni miraculo contra copias Gallo-Weinmarianas nobilissima victoria parta fuit. Quasi intento digito Catholicæ reipublicæ capitibus ostendere voluisset Deus, successus armorum feliciores non à prostitutione, sed à defensione Ecclesiarum pendere: Id quod prudenter notavit Cardin. Baron. Annal. Ecclesiast. lib. 5. ad annm 432. num. 3. dum scribit: Ecclesiæ religionis & iurium Ecclesiasticorum defensionem

solidum esse ad sustinendam Imperij molem fundamentum ac sustentaculum, quo si careat, corruat necesse est, Idque cùm in alijs mundi proceribus, tum evidenter in Regibus Francorum ostendi posse ait. Quamdiu enim defensores Ecclesiarum & rerum Ecclesiasticarum vixêre Francorum Reges & Imperij Principes, ut Pipinus, Carolus Magnus, Ludovicus Pius, & alij, qui legibus, armis, multóque sangvine bona Ecclesiastica illibata servârant felices illi fuerunt, eorumque hostes victi, iugo submissi, noménque Francorum summâ gloriâ toto orbe diffusum: Ubi verò direptione rerum Ecclesiasticarum, adversùs Deum conflatum est bellum, imbelles populi, Reges socordes & obtusa eorum facta sunt arma, ut pluribus exemplis ostendit idem Baron. ad A. C 545. num. 33.

Certè quantúmvis Imperio necessaria & optabilis sit PAX, tamen facultatem Rempublicam medijs illicitis pacificandi & conservandi, Deus nulli Principi aut Magistratui concessit. Nec revocat Christus, quod dixit Matth. 16. ℣. 26. *Nihil prodesse homini, si universum mundum lucretur, anima sua detrimentum patiatur.*

Nec S. Paulus quod scripsit: *Non esse facienda mala ut veniant bona.* Est bellum grande malum scelerumque compendium, eóque deterius, quò diuturnius, sed non sicut cuneum cuneo, ita peccata peccatis pellere fas est; & *praestat, vel maxima mala ferre, quàm minimum facere.*

AD VIII.

Bona intentio.

RESP. Pacem illicitam non magis excusari bonâ intentione, quàm furtum animo dandi eleemosynam, aut adulterium cum hæreticâ animo ipsam convertedi ad fidem. Inordinatio quidem & pravitas eiusmodi pacis, per accidens se habet *ad intentionem pacificentium, ut in omni peccato contingit* teste S. Th. 1. 2. q. 72. a. 1, *nemo enim intendens ad malum operatur*, ait S. Dionysius ca. 4. de diu. nomin. (mallet quippe fornicator aut potator abesse deformitatem culpæ à delectatione veneris & potûs, quam quærit) *quia vero eiusmodi pravitas sive deformitas per se conjungitur actui fornicationis aut ebrietatis (& in proposito conditionibus desideratæ pacis*, ut demonstratum est:) ideo bona intentio non excusat fornicantes, aut se inebriantes, adeoque nec ita pacificentes.

Secus est de justo bello, alijsque similibus. Mala enim his adjuncta non solùm *per accidens se habent respectu operantis*, *verùm etiam operationis*, quæ ex se benè fieri potest. Sic bellum justum gerere, ex se non est latrocinari, prædari, libidinari; sed Rempublicam defendere vel injurias & damna legitimâ auctoritate vindicare, quod ad officium justitiæ pertinet. Pacem autem, qualem desiderant Protestantes, sancire, ex natura actûs, & objecti est cooperari hæresi, ea veræ fidei

dei

dei exæquare, usurpare potestatem non suam, officium denique & jusjurandum violare, quæ non per accidens, sed secundùm se sunt illicita.

Neque juvat, hæc metu majoris mali ab invitis fieri, quique hæresin maximè detestantur. *Est enim hoc quidem bonæ mentis indicium, quod non potest non laudari,* ut Cardinalis Hosius respondit Paulo IV. sed metus peccatum quidem minuit, non tamen tollit: neque enim præceptum fidei non violat, qui metu mortis sacrificat Idolis, quæ mēte detestatur; licet minus peccet, quàm si eadem eadem Deos putaret. Neque Petrus non peccavit, quia ex metu Christum non animo sed verbis negavit. Etsi igitur *Catholici cum Protestantibus juxta votum illorum pascentes, animo hæresin non approbent: at re ipsa tantùm eidem concedunt exterius, quantùm non nisi veræ fidei debetur, ideoque peccant.*

Quod verò dicitur, multa in fauorem Catholicæ religionis hac pace contineri, est *excusatio indigna Christiano*, qui à Christo didicit, *neque totius mundi lucrum cum detrimento animæ, sive peccato esse quærendum*, & à S. Paulo, *non esse facienda mala, ut eveniant bona.* Neque fas unquam fuit peccata peccatis compensare. Non absoluitur judice Deo adulter, qui eleemosynis alijsque pijs operibus turpitudinem excusat, in qua perseverat. Nec denique fauor religionis est solidus, cum hæresis illi æquatur, aut in periculum tanto nocentiùs, quantò speciosius conijcitur.

AD IX.
Exempla.
§. I.
De SS. Ioanne Papa I. & Athanasio.

RESP. Gravissimam injuriam fieri S. Ioanni Papæ, indè evidens est, quòd calumniam refutat epistola ab ipso ex carcere scripta, quam allegavimus RAT. 8. §. 2. & Gregorius Turonensis ejus seculi scriptor, cap. 40. de gloria martyrum asserens, Ioannem cum ad Episcopatum venisset, summo studio hæreticos execratum, Ecclesias eorum in Catholicas dedicâsse. Neque Theodoricus eum carcere & morte multâsset, si Arianis Ecclesias, uti injunxerat, impetrâsset. Suscepit Ioannes jussu Regis Legationem pro Arianis eodem animo, quo Mater Machabæorum, 2. Machab. cap. 7. Antiocho Rege suadente, ut filio adolescentiori, qui solus carnificinæ fratrum supererat, fieret in salutem, per ironiam se obsecuturam promisit: idque mox gravissimis ad Constantiam monitis, re ipsâ demonstravit.

S. Athanasius Constantio viribus impar, sapienter dixit se Arianis templum Alexandriæ concessurum, cùm præsertim indè majus bonum speraret, si vicissim pro Catholicis templum Antiochiæ obtineret; quod advertentes Ariani permissionem templi Alexandrini libenter remiserunt. Neque, si hæretici ex aliquâ urbe penitus expelli nequeant, nihilque præterea in præjudicium Religionis

solidum esse ad sustinendam Imperij molem fundamentum ac sustentaculum, quo si careat, corruat necesse est, Idque cùm in alijs mundi proceribus, tum evidenter in Regibus Francorum ostendi posse ait. Quamdiu enim defensores Ecclesiarum & rerum Ecclesiasticarum vixêre Francorum Reges & Imperij Principes, ut Pipinus, Carolus Magnus, Ludovicus Pius, & alij, qui legibus, armis, multóque sangvine bona Ecclesiastica illibata servârant felices illi fuerunt, eorumque hostes victi, jugo submissi, noménque Francorum summâ gloriâ toto orbe diffusum: Ubi verò direptione rerum Ecclesiasticarum, adversùs Deum conflatum est bellum, imbelles populi, Reges socordes & obtusa eorum facta sunt arma, ut pluribus exemplis ostendit idem Baron. ad A. C 545. num. 33.

Certè quantúmvis Imperio necessaria & optabilis sit PAX, tamen facultatem Rempublicam medijs illicitis pacificandi & conservandi, Deus nulli Principi aut Magistratui concessit. Nec revocat Christus, quod dixit Matth. 16. ℣. 26. *Nihil prodesse homini, si universum mundum lucretur, animæ suæ detrimentum patiatur.*

